CURSUS

SCRIPTURAE SACRAE

AUCTORIBUS

R. CORNELY, I. KNABENBAUER, FR. DE HUMMELAUER

aliisque, Soc. Iesu presbyteris

COMMENTARIUS

IN

LIBROS HISTORICOS

IV

LIBRI IUDICUM ET RUTH

COMMENTARIUS

IN LIBROS

IUDICUM ET RUTH

AUCTORE

FR. DE HUMMELAUER S. I.

Cum approbatione Superiorum

PARISIIS

SUMPTIBUS P. LETHIELLEUX, EDITORIS

4, VIA « CASSETTE », ET VIA « DE RENNES » 75,

1888

LEONI · XIII · PONTIFICI · MAXIMO

COMMENTARIOS · ISAGOGICOS · ET · EXEGETICOS

IN · OMNES · VETERIS · NOVIQVE · TESTAMENTI · SCRIPTVRAS

AD · SANCTORVM · PATRVM

ET · VETVSTIORVM · SCHOLAE · DOCTORVM

IVNIORVMQVE · INTERPRETVM

NORMAM · EXACTOS

ADHIBITIS · VBI · OPVS · FVERIT

RECENTIORVM · SCIENTIARVM · SVBSIDIIS

AVCTORES · OBSEQVENTISSIMI

SVMMO · ATQVE · INERRANTI · DIVINAE · VERITATIS · INTERPRETI

QVI · SINGVLARI · DIGNATIONE · BENIGNITATIS

ID · QVIDQVID · EST · OPERIS

NOMINI · SVO · INSCRIBI · PERMISIT

PIETATIS · ET · IMMOBILIS · FIDEI · PIGNVS · EXHIBENT

SEQVE · AC · SVA · STVDIA · OMNIA

ADDICVNT · DEVOVENT

SEDIS · APOSTOLICAE · DOCTRINAE · ADSERENDAE

SACRARVM · LITERARVM · AVCTORITATI

PRO · VIRIBVS · PROPVGNANDAE

Cum opus, cui titulus est : *Commentarius in libros Iudicum et Ruth*, auctore P. Francisco de Hummelauer S. I., aliqui eiusdem Societatis theologi, quibus id commissum fuit, recognoverint et edi posse iudicaverint, facultatem concedimus, ut vulgetur, si ita iis, ad quos pertinet, videbitur.

In quorum fidem tras literas manu nostra subscriptas et sigillo Societatis nostrae munitas dedimus.

Fesulis die 18 Novembris 1887.

ANT. MAR. ANDERLEDY

Praep. generalis S. I.

IMPRIMATUR

Parisiis, die 10 Februarii 1888.

† FRANCISCUS, Arch. Parisiensis.

TYPIS MANDETUR

Suessionis, die 10 Martii 1888.

† ODO Episc. Suessionen. et Laudunen.

CORRIGENDA

Pag. **22**, 4 l. 119. — **26**, 45 l. 2, 6-3, 4. — **47**, 22 sq. l. ובבני et קבני. — **74**, 15 l. Gen. 33, 18 et 34, 2. — **78**, 11 l. Num. 27, 18. — **107**, lin. ante paenult. l. Ex. 15, 1. — **111**, lin. ult. l. Lev. 26, 22. — **118**, 9 l. אז. — **122**, lin. ult. l. μετεχομένων. — **131**, 16 l. facilis. — **252**, 36 l. לעשות.

PROLEGOMENA

1. Libri nomen et ambitus. — Iudicum liber *Hebr.* שופטים, LXX κρίται, nomen nactus est ab iis viris, qui demortuo Iosue usque ad institutum regnum Hebraeorum rebus praefuere atque iudicum nomine insigniti sunt.

Quaerunt antiquiores auctores, num non Moyses etiam et Iosue iudicibus sint accensendi (cf. *Bonfr.*). Respondeas primo, eius generis quaestiones non a priori, sed ex factis esse definiendas : atqui iudicum appellatione Moyses et Iosue in s. paginis nusquam designantur. Praeterea dubium quidem haud est, Moysen et Iosuen totam eam potestatem, quae postmodum fuerit iudicum, obtinuisse, quam postea item obtinuere reges (cf. 1 Reg. 8, 6 : « Da nobis regem, ut *iudicet* nos ») ; at praeterea longe ampliorem. Moyses legislator erat et propheta, Iosue unam quadamtenus cum Moyse moralem efficiebat personam, illius opus complendum susceperat armis subiecta terra s., a cuius aditu ille morte fuerat prohibitus. Uterque toti Israeli necessario praeerat ; secus iudices. Uti ergo universi exercitus dux centurionis haud nanciscitur appellationem, licet totam centurionis habeat potestatem, ita iudicibus potestate maiores et nomine Moyses et Iosue.

Is liber ab eo, quod in nostris bibliis primum inscribitur, capite orditur, neque ultra libri Samuelis initium ullo iure producitur.

Incipit a Iud. 1. Quo nostro aevo viros doctos titillat pruritus omnium s. librorum terminos confundendi, unus *Staehelin* (Theol. Studien u. Kritiken 1835 p. 474 sqq.) defendit, sedecim priora libri Iud. capita unicum cum prioribus libris primitus effecisse librum. Quem refutavit *de Wette* (Lehrbuch der historisch-kritischen Einleitung, Berlin 1852 p. 218 sq.) et *Ewald* (Geschichte des Volkes Israel, Goettingen 1864 I. p. 238 sq.), ignoravere ceteri : ecquo efficaciore argumento confici potuit ille vir ? Cujus rationes sunt perquam infirmae. Aliqua, inquit, vix non verbotenus cum in illis libris, tum in libro Iud. repetita leguntur : num ideo eiusdem uterque liber auctoris ? num non quandoque auctor auctorem exscribit ? num non ex communi fonte ambo auctores haurire potuerunt ? — Multae expressiones libro Iud. et antiquioribus libris communes. Ita omnino. At, cum auctorem Iud. eos libros oppido cognovisse constet et a nobis infra sit demonstrandum, quid mirum, ut stilum eorum stilo conformaverit ? Nonne apud nos viri, qui s. libros assidue pervolvunt, biblicam quamdam loquendi rationem induunt ? — Quotquot Staehelin rationes congerit, eae ad summum illud

efficiunt, unum esse tam Iud. quam praecedentium librorum auctorem : at, nonne duorum distinctorum librorum unus esse potest auctor ? Iud. liber a prioribus antiquissimis iam, quamtum novimus, temporibus distinguitur : quod traditionis argumentum solidis rationibus, non meris coniecturis conficiatur oportet. Iudaei paraschas in solo Pentateucho, non in Ios. neque in Iud. distinxere. Noster liber suum habet exordium, cui narratio cap. 2-16 intime subordinatur, ergo liber est ab aliis distinctus.

Nullam libri Samuelis partem complectitur. Ewald (I p. 193. 232 sqq.) post Pentateuchum cum Iosue, quem Librum Originum (das Buch der Urgeschichten) vocat, alterum supponit Librum Regum maiorem (das grosse Buch der Koenige), ex Iud., Ruth quatuorque Regum libris conflatum, quae perperam in nostris bibliis ab invicem secernantur. Accessit *K. H. Graf* (Die geschichtl. Bücher des A. T., Leipzig 1866, p. 97), sententiam admittit *E. Reuss* (Die Geschichte der hl. Schriften A. T., Braunschweig 1881, p. 337); *Bertheau* vero (Das Buch der Richter u. Rut, Leipzig 1845, p. XXVII) eadem minime contentus omnes libros a Genesi ad 4 Reg. unicum continuum librum efficere affirmat. Inauditae sententiae exquiris argumenta : accipe. Pericopae Iud. 2, 6-23 et 4 Reg. 17, 7-23 ita et re et verbis similes sunt inter se, ut ab eodem auctore scriptae sint oporteat. Eaque *Ewaldo* illatio non probabilis tantum est, sed « absolute certa ». Verum quid explicatu facilius, quam auctorem posteriorem, qui antiquiores libros assidue pervolverit, quandoque ipsissimis eorumdem verbis loqui ? — Rursum librum Iud. cum libris Sam. unum esse librum eruunt inde, quod Samson 13, 5 referatur *incepisse* liberare Israel atque ita Samuel, eam liberationem absoluturus, digito veluti demonstretur : ergo auctor, dum Samsonis acta conscribebat, iam alto animo fixerat Samuelis etiam historiam concinnare. Praepostera conclusio. Sufficit adstruere, auctorem actorum Samsonis aut aliquod iam scriptum cognovisse, quo acta Samuelis referrentur, aut in animo habuisse eadem alio quodam libro describere. Tandem Ewald dicendi genus librorum, quos magno illi Regum Libro attribuit, plurimum differre affirmat a dicendi genere Libri Originum, alias iam usuvenire voces et expressiones. Quae si concesseris, illud tantum sequetur, duas haberi librorum classes, alteram altera antiquiorem, non vero duos libros. Ceterum istud argumentum respuit *Bertheau* affirmans, Gedeonis acta Pentateuchi narrationibus esse perquam affinia, et nomen « Dominus exercituum » libris Sam. solemne in libro Iud. pariter, atque in antiquioribus libris, ignorari. Vide, quam incerta argumenta, quae ex solo alicuius libri stilo et expressionibus petuntur.

2. LIBRI DIVISIO. — Communi consensu Interpretes cap. 17-21 a praecedentibus seiungunt.

ACTA IUDICUM CAP. 1-16. — Cap. 1 cum immediate sequentibus non cohaerere asseruerunt *Bertholdt* (Historisch Kritische Einleitung in saemtliche Schriften des A. u. N. T., Erlangen 1813, III. 883), *de Wette* p. 218, *Bertheau* p. XXIX, *Reuss* p. 343, *I. Wellhausen* (Prolegomena zur Geschichte Israels, Berlin 1883 p. 243). At cum reliquis omnino tenendum, hoc caput sequentis narrationis cap. 2-16 esse *introductionem*, cum factum stabiliat, cui ea tota superstruitur, gentiles quasdam nationes post tot divina exterminationis decreta in terra sancta perseverasse. Cur autem introductionem non ultra cap. 1 producamus, suo loco patebit. Neque

idem caput pro introductione totius libri, etiam cap. 17-21, habendum est, cum iis capitibus nulla penitus gentilium nationum mentio recurrat.

Ipsa *Iudicum Acta*, consentientibus omnibus, non secundum merum eventuum ordinem procedunt, sed *consilio et arte* disposita narrant. Tota autem disponuntur secundum ideam 2, 10-23 explicatam : ubi sc. Israelitae a cultu Dei ad gentilium idola deficerent, consueverat Deus eos gentilibus permittere opprimendos, ac dein ad poenitentiam conversos per iudices liberare, mox in pristinos errores relapsuros. Quam ideam imprimis expressam habes 3, 5 sqq. 12 sqq.; 4, 1 sqq.; 6, 1 sqq.; 10, 6 sqq.; 13, 1.

Narratio cap. 17-21 eius ideae nullum prodit vestigium; unde iure merito a praecedentibus communi interpretum consensu dividitur.

Accipe brevem narratorum conspectum.

Introductio cap. 1 enarrat

1) acta tribus Iuda Simeoni iunctæ 1, 1-20. In hostibus devictis et speciatim in perditis civitatibus Hebron, Dabir et Horma divinae promissiones et minae impletae cernuntur, quo minor sit admiratio, etiam minas contra Israel pronuntiatas postea esse impletas; v. 19 habitatores Sephelae permanere esse permissi narrantur.

2) Acta reliquarum tribuum 1, 21-36. Ea fere constant enumerandis iis nationibus, quas singulæ intra suos fines tribus permanere sunt passae.

Acta Iudicum cap. 2-16.

1) Praemissis 2, 1-5 divino quodam oraculo, 2, 6-23 Dei in suscitandis iudicibus oeconomia, 3, 1-4 summario gentilium terram sanctam incolentium,

3, 5-11 referuntur Hebraei in idololatriam prolapsi, a Chusan oppressi, tandem poenitentes ab *Othoniele* liberati.

3, 12-30 narrantur iidem rursus prolapsi, a Moabitis oppressi, inde implorata Dei ope ab *Aod* libertati restituti.

3, 31 una sententia *Samgar* commemoratur.

4, 1-5, 32 habes Israelitarum peccata Iabini imperio punita, dein invocato Domino per *Debboram* et *Barac* factam salutem.

2) Initiis narrationis 6, 8-10 altero divino oraculo interserto,

6, 1-9, 57 habes domus *Gedeonis* fata. Israelitae foederis immemores a Madianitis subiguntur, postea per Gedeonem trecentosque viros inermes liberantur. Subiunguntur Gedeonis filii *Abimelechi* acta, qui tyranniden attentavit.

10, 1-5 *Thola* et *Iair* breviter commemorantur.

3) Inserto 10, 11-16 tertio divino oraculo,

10, 6-16, 31 Israelitae rursum in idololatriam delapsi Ammonitis et Philisthaeis traduntur diripiendi. Et ab Ammonitis quidem oppressi ad Deum supplices confugiunt,a quo per *Iephten* redimuntur.

12, 8-15 recensentur *Abesan, Ahialon, Abdon*.

13, 1 ad Philisthaeorum oppressionem gradum reflectit auctor, quam in poenam defectionis inflictam esse inculcat. Conversionis h. l. non meminit neque etiam completae salutis, sed tantum liberationis per *Samsonem* inchoatae.

Non ea igitur mente haec Acta conscripta fuere, ut eventus omnes, qui Iosuen inter et Samuelem obtigissent, enarrentur : sed *ut legens*

e loceatur *divinum consilium* in gentilibus in terra sancta remanere permissis et hinc in iudicibus ad illos reprimendos suscitatis. Cum autem et gentium tolerandarum et iudicum suscitandorum ultima ratio fuerit populi idololatria, haec autem a Deo fuerit ad tempus tantum permissa, nequaquam vero permanenter intenta, ergo Iudicum Acta cum gentes in terra sancta toleratas, tum iudices excitatos exhibent tamquam *oeconomiam minus perfectam et ad tempus tantummodo provisam,* in cuius tandem locum perfectior aliqua *ratio* sit successura, quae haud alia esse potest a *regno* sive instituto sive instituendo.

Non omnes ex ordine eventus Iudicum Actis narrari, evincit cap. 17-21, quibus referuntur eventus aliqui sat graves, qui inde ab obitu Iosue obtigerant, in Actis tamen silentio fuerant praeteriti. Narrationis scopum alii aliter adumbrant. *Reuss* p. 338 seriam scriptorem praetendit in animo habere monitionem, ne Israelitae a Deo deficiant neve idololatriae indulgeant; narrationem pronuntiat esse prophetae cuiusdam concionem (Predigt) indutam forma historica, qui extraneos circumquaque praevalentes pravos mores et viderit et horruerit. Similiter *Iahn* (Einleitung in die goettl. Bücher des A. B., Wien 1803, II. 1 p. 184) scriptorem id adstruit ex publicis monumentis voluisse populum edocere, toto iudicum aevo observatam esse a Deo normam Ex. 23, 24 sqq.; Lev. 16, 1 sqq.; Deut. 28-32 statutam, ut inimicorum miserrimae oppressiones solum ob eas neglectas conditiones sint permissae, quibus prospera omnia Israelitis pollicitus sit Deus. Generaliora haec, et quae *Bertheau* p. XI merito asserat omnibus omnino libris historicis a Gen. ad 4 Reg. usque exprimi. *Bonfr.* (in Commentarii Praefatione) hoc scriptum ait manifestis exemplis demonstrare, « unde regnorum splendor et florens reipublicae status peti debeat, ex una videlicet religionis cura, quae si principum regumque animis insederit, perspicue intelligant se suaque regna sub Dei protectione et tutela futura, a quo et externa vis hostium sit arcenda et bonorum omnium suppeditanda affluentia; sin huius religionis curam abiiciant vel postremam habeant haeresesque sustineant, cum eas profligare possunt, certo sciant se viam inire, quae et regnis ipsorum interitum afferat et posteritati ipsorum exitium et imperii spoliationem, ita ut post generationes pauculas vel in vivis nemo ex eorum stirpe supersit, vel certe nullus qui regno et sceptris gerendis idoneus sit ». Quae utique doctrina e libro utiliter eruitur; non tamen ad eam inculcandam unice vel etiam primarie conscriptus est liber. Narrationis scopus clarissime enuntiatur 2, 6-3, 4, ut sc. legens edoceatur rationem, ob quam Deus gentiles nationes tamdiu passus sit in terra sancta permanere, gentem electam identidem opprimere, atque ad eas coercendas varios iudices suscitaverit.

Recte tandem monet *Cassel* (Das Buch der Richter u. Ruth, Bielefeld 1865, p. VIII), mediate Iudicum Acta praeludere regni institutioni. « Liber Iudicum illam necessario secuturam demonstrat. Vel ipso cap. 2 clarescit, eo robore destitui iudicum regimen, quod ex transmissa haereditate oritur potestate. Potentissimorum auctoritas morte terminatur. Heroum quisque suo docet exemplo defectum regiæ potestatis a patribus filiis traditae. Liberaverunt populum iudices, qui tamen non totus eorum suberat imperio; immo ne in una quidem tribu perseverabat iudicialis auctoritas ».

ISRAEL SINE REGE CAP. 17-21. — Haec pars duas complectitur historias idoli Michae et sceleris Gabaitarum, quae unam efficiunt narrationem,

qua docemur, quam misere inter Hebraeos pessum ierint tam religio quam mores, regno nondum instituto.

Hae historiae eo a praecedentibus separantur, quod nihil in illis sit ethnicae idololatriae, hostilis oppressionis, liberationis per iudices effectae. Quorsum connectantur inter se, disputatur, cum alii nexum intimiorem omnem videantur excludere (*Wellh.* p. 246, *Reuss* p. 342), alii solam aequalitatem temporum admittere (*Bonfr.* ad 17, 1 et 19, 1; *Iahn* p. 180; *Vigouroux* : Manuel Biblique, Paris 1883, II. 44 sq.) aut difficultatem alio, praeter libri calcem, loco earum inserendarum (*Eichhorn* : Einleitung in das A. T., Leipzig 1803, II. 495; *Keil* : Commentar, Leipzig 1863, p. 178). Nos cum *de Wette* p. 216, *Hengstenberg* (Die Authentie des Pentateuches, Berlin 1839, II. 23), *Cassel* p. 168, *I. M. Scholz* (Einleitung in die hl. Schriften, Koeln 1845, II. 299), *Clair* (La Sainte Bible, Les Juges et Ruth, Paris 1880, p. 5) pronuntiamus, has duas historias *unam* efficere narrationem.

Id autem inferimus ex formula, quae bis brevior legitur 18, 1. 31 : « In diebus illis non erat rex in Israel »; bis explicitior 17, 6; 21, 24 : « In diebus illis non erat rex in Israel, sed unusquisque, quod sibi rectum videbatur, hoc faciebat ». Claudit ea formula quatuor veluti narrationis strophas, quarum prima 17, 1-6 confectum Michae idolum, altera 17, 7-18, 1 levitam sacerdotem constitutum, tertia 18, 1-31 translatum in Dan Lais idolum, quarta 19, 1-21, 24 Gabaitarum scelus enarrat. Simile quid habes non solum Iud. 2-16, ubi singulorum fere iudicum acta iisdem formulis ordiuntur et concluduntur, sed 1 Reg. 1-7 et 18, 5-29. Nostram igitur formulam omnes uno ore admittunt ab uno quatuor locis scriptore esse adscriptam. Unde sequitur, aliquam certe *unitatem* in eventibus narrandis eum scriptorem deprehendisse. Quae potuit esse aut generalior tantum, quod sc. ii eventus regni institutionem praecesserint; aut particularior, quod sc. ii eventus unam aliquam veritatem illustrarent. Qualis reapse fuerit, cum ex eventuum natura, tum ex formulae sensu nobis discendum.

Formulae igitur pars negativa explicatur positiva. Sane differentia inter dies, quibus non esset rex, et dies, quibus esset rex, in eo ex auctoris mente sita erat, ut illo tempore fecerit quisque, quod sibi, hoc vero quod regi videretur. Utrane conditio putas auctori visa est melior atque desiderabilior? Movebaturne gaudio, quod tanto magis prospere omnia ante quam post institutum regnum cessisse conspiceret, an moerore percellebatur tantis consideratis ante institutum regnum malis? Eventus attende. In Michae sane superstitione primum domi exercita et postea in Lais translata, in nefandis levitae sacrificiis nihil erat, quod pii auctoris mentem ad gaudium sollicitaret; et licet praepeditus unius tribus interitus animum gravi anxietate redimeret, at Gabaitarum scelus Sodomorum sceleri aequale animum pudore suffundebat maximo, nec ullum unquam fuit in tota Israelitarum historia bellum civile aeque atrox atque Beniaminiticum. Formulae igitur sensus hic : ratio, cur superstitio morumque licentia tanta obtinere potuit, haec est, quia non erat tum rex in Israel; sola quippe regia auctoritas tantis malis efficaciter et constanter reprimendis par erat. Quia non erat rex, qui, quod rectum esset coram Deo, id observari curaret, ideo quod sibi videbatur quisque faciebat, superstitioni et luxuriae indulgebat. — Ergo ideo haec facta in unam narrationem collecta fuere, ut, quam excellens et necessaria ad compescenda mala publica esset regia auctoritas, demonstraretur.

Si quaeras, cur historia Michae et Gabaitarum non fuerit Actis Iudicum inserta, quo secundum temporum ordinem pertinet, ratio haec est, quia Acta tota sunt in reprehendendo gentilium idolorum apud Israelitas cultu; sed in factis Michae et Gabai-

tarum nulla ad gentilium idola defectio, nulla gentilium oppressio, domestica omnia, tam superstitio quam turbae. At, dices, cur auctor scripti, quod non immerito Israel sine Rege inscripseris, nullam ipsorum iudicum facit mentionem, quorum Acta tam egregie excellentiam et necessitatem regiae auctoritatis illustrant? Non enim minus efficax in proscribenda ethnica idololatria, quam ad coercendam superstitionem et luxuriam erat regia potestas. Ratio videtur esse haec, quod Iudicum Acta iam essent conscripta, quo tempore edendis historiis Michae et Gabaitarum manum admovebat auctor. Quod etiam eo confirmatur, quia Acta Iudicum tenore verborum 1, 1 et 2, 8 sqq. omnino praetendunt esse immediata libri Josue (cf. Ios. 24, 29 sqq.) continuatio. Illas iam historias dignas iudicabat auctor, quas oblivioni eriperet; descripsit ergo; quid Hebraeos utiliter docerent, adnexa formula expressit; Iudicum Acta, quod iam conscripta exstarent, reticuit. Hinc tandem colligas, iure merito narrationem cap. 17-21 vocari *appendicem* Actorum Iudicum, seu verius *supplementum,* non vero duas appendices.

Verum h. l. silentio praetereunda non est sententia *Bertheau* p. XIV et *Auberlen* (Theol. Studien u. Kritiken, Gotha 1860, p. 539 sqq.), qui Actorum Iudicum *tres appendices* agnoscunt, historiam idoli Michae, Gabaitarum et Ruth. Quae singulae historiae ab enarrandis actis non publicis totius gentis, sed privatis quarumdam personarum ordiuntur, inde vero ad singularum tribuum Dan (?), Beniamin et Iuda fata gressum faciunt. Omnia autem regni institutionem respiciunt: in idolo Michae adumbratur idololatria in Dan Lais aliisque locis postmodum *in regno Israel* (3 Reg. 12, 29) continuanda, in scelere Gabaitarum *regnum Saul* indidem profectum, in historia Ruth *regnum Davidicum* perpetuo duraturum. « Tribus igitur libri iudicum appendicibus regno domus David theocratico et messianico opponuntur duo regna non theocratica, praedavidicum Saulis et postdavidicum decem tribuum; quorum origo inde ab ipsis iudicum temporibus repetitur, quo patefiat, neque ex monte Ephraim cum Dan, neque ex Gabaa et Beniamin derivari posse reges nisi peccato infectos et a theocratia alienos, dum Bethlehem Iuda et divinitus praeordinata et humanitus perquam idonea fuerit vero regi Israelis progignendo ». Ingeniosiora haec. Historiam Gabaitarum cum actis Saul, fabulam Ruth cum regno David aliquam habere affinitatem, non infitiamur: at idolo Michae cum Ieroboami idololatria vix aliud commune quam locus, diversum idolum, diversi sacerdotes; certe de recentiori hac idololatria non cogitabat noster auctor Iud. 18, 31. Formula « Non erat rex in Israel » fabulae Ruth non est adiecta. Quodsi igitur hanc appendicem libri iudicum defendere placet, dicas ei libro duas adiectas esse appendices, Israel sine Rege et Ruth.

3. CONSPECTUS HISTORIAE IUDICUM. — Eventus cap. 17-21 Acta Iudicum omnia aut fere omnia tempore praecesserunt. Cf. *Kaulen* Einleitung in. die hl. Schrift, Freiburg i. B. 1887, p. 181.

Iud. 2, 7 docemur, aliquo post obitum Iosue tempore, sc. « cunctis diebus seniorum, qui longo post eum vixerunt tempore », Israelitas fideliter Deum coluisse, a gentilium idololatria abstinuisse. Cui tempori attribuenda, quae cap. 19-21 referuntur. Etenim Phinees pontifex 20, 28 reapse erat filius Eleazari neposque Aaronis, nullis intercedentibus generationibus, quod patet conferenti Ex. 6, 25; Num. 25, 7; Ios. 24, 33. Porro Eleazar Moyse superstite pontificis fungebatur officio illudque demortuo etiam Iosue Ios. 24, 33 aliquamdiu exercuit. Ergo cum Phinees patri Eleazaro successerit pontifex, Othoniel vero ex Iud. 1, 13 fuerit Calebi fratris filius, qui ipse aequalis fuerat Moysis et Iosue, efficitur Phineen et Othonielem quadamtenus fuisse aequales.

Non videtur Othoniele iudice in Beniaminitas susceptum esse bellum, cum secus eius nomen in eo narrando supprimi vix potuisset : ergo aut ante aut post Othonielem iudicem illud bellum gestum est. Putaverim equidem ante. Omnium prima videtur fuisse expeditio Iud. 1, 1 sqq., in qua oraculo nomine totius populi interrogato primae partes concedebantur tribui Iuda : iamvero eadem prorsus ratione Iud. 20, 18 oraculum et interrogatur et respondet, dum Othoniele iudice eiusmodi oraculum non commemoratur, ut fere videatur in desuetudinem abiisse interrogandi mos. Bethel 1, 22 sqq. ante bellum ab Israelitis illatum Beniaminitis capta sit oportet, cum ea 20, 18. 26; 21, 2 in Hebraeorum reperiatur potestate.

Etiam cap. 17-19 narrata circa tempus mortis Iosue evenere. Pro qua opinione primum invocamus auctoritatem *Ios.*, qui haec immediate post Iosuae mortem et ante Othonielis acta narrat. Cum autem secus sacrae narrationi sat mechanice adhaereat Ios., suspicari fas est, eum h. l. in invertendo s. narrationis ordine aliquam traditionem esse secutum. Accedit, urbem Lais a Danitis captam etiam Ios. 19, 47 referri; verum illi Iud. 1 eventus, qui etiam variis libri Iosue locis fuere subnexi, uti cap. 1 explicantes monebimus, omnes ipsis aevi iudicum initiis attribuendi sunt : ergo etiam captam Lais eodem ineunte aevo affirmabimus. Porro 18, 1 exhibet nobis Danitas finibus arctioribus inclusos, et quidem pressos ab hoste aliquo, qui eos a planitie marisque littore arcebat, secus enim ibidem sedes sibi a Iosue assignatas occupassent; ii vero septemtrionem petunt traiectis aliarum tribuum finibus. Quae cum ita sint, nonne pronum est, cum *Bonfr.* aliisque recurrere ad Iud. 1, 34 : « Arctavitque Amorrhaeus filios Dan in monte, nec dedit eis locum, ut ad planiora descenderent » ? Sed haec rursum ad initium aevi iudicum nos revocant : etenim Iud. 1 (cf. infra n. 13), eam describit rerum conditionem, quae ipso aevi iudicum initio obtinebat. Amorrhaeorum principatui 1, 35 finem imposuere Ephraimitae; id autem effecisse videntur iam ante Debborae expeditionem, quo tempore liber Danitis ad planitiem et mare patebat accessus 5, 17 : « Dan vacabat navibus ». Aliud argumentum desumimus ex formula « in diebus illis non erat rex in Israel », quae narrationis cap. 17-21 quatuor partes simul distinguit et inter se connectit : sed eventus cap. 19-21 brevi post Iosuae mortem et superstite 20, 28 Phinee pontifice obtigere. Tandem 18, 30 Ionathan sacerdos scribitur nepos Moysis : iamvero, ut suo loco ostendemus, nulla est ratio, cur non eam expressionem sensu obvio interpretemur et genealogiam a Moyse per Gerson petitam, nullo omisso membro, completam esse defendamus. Quibus fere rationibus permoti *Bonfr.*, *Calm.* factum Michae attribuunt anarchiae 2, 10 sqq. post seniorum obitum exortae. Immo ne hoc quidem sufficit, cum Phinees pontifex non ad anarchiam, sed ad ipsam seniorum aetatem pertineat. Dicamus ergo cum *Ios.*, *Lyr.*, *Abul.*, *Tir.*, facta esse haec omnia brevi post Iosue mortem; vel etiam concedamus *Clair*, domesticam Michae superstitionem ipso fortasse Iosue superstite incepisse. Ubi obiicit *Bonfr.*, tempus Iosue et seniorum 2, 7 describi, quo universi Israelitae Domino servierint : ergo non posse eidem tempori attribui superstitionem Michae et Danitarum. Respondeo, laudato textu intelligi divinum servitium, ut opponitur cultui idolorum et quidem eorum, quae gentilium accolarum essent propria. Sane Gabaitarum Iud. 19 scelus Dei servitio, si illud latius intelligas, plurimum repugnabat; tamen seniorum aetate commissum est. Michas et Danitae nequaquam gentilium idolorum cultui indulsere : Iahve se colere praetendebant, ab eo se benedicendos esse 17, 13 confidebant, levitam sacerdotem adsciverant.

Eorum igitur, quae *aetate seniorum* gesta fuere, hunc conjectura conspectum subiicimus :

Michae idololatria fortasse nondum demortuo Iosue inchoata cap. 17.

Iudaeorum bella duce Calebo 1, 1 sqq.	Capta Bethel 1, 22 sqq.	Danitae ab Amorrhaeis pressi 1, 34, Dan Lais a Danitis occupata cap. 18.

Scelus Gabaitarum et bellum Beniaminiticum cap. 19-21.
Chusani oppressio annis octo 3, 8.

Quies per Othonielem comparata quadraginta annorum 3, 11.

Singuli iudices non sunt dicendi toti praefuisse Israeli.

Id existimavere *Bertheau* p. XXII et *Wellh.* p. 243. Et hic quidem putat, reapse singulos iudices singulis tantum paucisve praefuisse tribubus, at ab auctore libri, quasi toti praefuerint nationi, exhiberi fuisseque ita necessario exhibendos, quod secus non universa populi historia videretur unice ab observato aut neglecto Iahve cultu pendere. At non ita exhibentur. Expressiones « omnes viri Israel » 8, 22, multoque magis « Israel », « filii Israel » ex loquendi ratione s. scripturae sensu arctiore intelligi possunt. Nonne 1 Reg. 3, 20 dicitur « universus Israel a Dan usque Bersabee » cognovisse, fidelem Samuelem esse prophetam? nonne 7, 5 « universus Israel » congregatus fuerat Maspham? et tamen 9, 6 sqq. Saul describitur Samuelem nunquam vidisse penitusque ignorasse. Nonne ib. 31, 6 mortui dicuntur « universi viri Saul », et tamen 2 Reg. 2, 8 sqq. deprehenditur Abner cum sat multis aliis superstes fuisse? Ergo eiusmodi expressionibus non cogimur, singula in libro Iudicum narrata ad universos extendere Israelitas. Praeterea in toto libro nihil est, quo vel unicus iudex toti genti praefuisse ostendatur. Othoniel ubi pugnaverit quibusve sociis, non constat. Aod 3, 27 Ephraimitas vocat, in Beniaminitarum finibus dimicat, non dicitur Israelitis omnibus praefuisse. Debbora 5, 14 sqq. enumerat tribus, quae pugnam contra Sisaram iniere aut ab ea se retraxere, Iudam et Simeonem ignorat. Gedeon 6, 35 Manassen vocat, Aser, Zabulon, Nephthali; 8, 3 videtur etiam Ephraimitis praefuisse; sed nulla suppetit ratio eius imperii ad alias tribus extendendi, uti etiam Abimelech filius nequaquam universis Israelitis imperasse videtur. Iephten sequuntur Manassaei transiordanici 11, 29, fortasse etiam Ruben et Gad et ex 13, 1 sqq. fortasse Ephraim. Samson nulli proprie tribui imperans exhibetur, solus dimicat. Facilius intelliguntur Israelitae a tot ex ordine nationibus subiugati, si singulae tribus supponantur sibi fuisse relictae et ab aliis separatae. Cf. *Scholz* II. 288; *Vigouroux* (La Bible et les découvertes modernes, Paris 1881, III. 232). — Hinc alia solvitur difficultas, quam movere *Reuss* p. 338 et *Wellh.* p. 241. In nostra narratione, inquiunt, Israel constanter veluti motu penduli a Dei ad idolorum cultum deflectit, ab idolorum ad Dei cultum retro fertur. « Integrum aliquem populum continuo et aequalibus veluti intervallis inter pietatem et impietatem fluctuare, id ab iis, quibus humana mens regitur, legibus abhorret » (*germ.* ist psychologisch undenkbar). Sed neque id asserit scriptura : diversae diversis temporibus tribus idololatriae poenas tulere.

Impune item defendes, duos vel plures iudices apud diversas tribus eodem simul tempore imperasse.

Singularum tribuum fines alii aliis nationibus gentilibus obiiciebantur ; gravius et instantius idololatriae periculum hic, remotius alibi ; pronior ad peccatum tribus una, firmior altera : hinc diversa apud diversas defectionis, punitionis, resipiscentiae tempora. Defendunt iam communiter auctores ex 10, 7, quo tempore transiordanicos oppresserint Ammonitae, eodem Iudaeos et Danitas a Philisthaeis esse lacessitos, ibi Iephten et hic Samsonem iudicasse. Cf. *Scholz* II. 279, *Vigouroux* (Manuel II. 51), *B. Neteler* (Zusammenhang der alttest. Zeitrechnung mit der Profangeschichte, Münster 1886, p. 16).

Fieri item potuit, ut, quo tempore una vel aliquae tribus ab hostibus opprimerentur, eodem aliae quaedam post victoriam per iudicum aliquem de suis hostibus partam quiete fruerentur.

Nihil v. g. prohibet, quominus durante longa illa annorum octoginta requie, quae apud Beniaminitas Aodi consecuta est victoriam, tribus septentrionales statuas a Chananaeis primum esse oppressas, dein per Debboram liberatas. Quem synchronismum nuperrime defendebat *D. Palmieri* (De veritate historica libri Iudith aliisque s. scripturae locis, Galopiae 1886, p. 161 sq.).

Historiae iudicum *tres aetates successivas* s. textus non obscure designat.

Sunt eae Iud. 2, 1-5, 32 ; 6, 1-10, 5 ; 10, 6-16, 31. Unaquaeque solemni aliqua divina admonitione orditur. Habes 2, 1-5 nuntium divinum beneficia recensentem, sacrorum gentilium societatem exprobrantem, eiusque poenam pronuntiantem gentiles nationes in terra sancta permanere permissas. Habes 6, 8-10 virum prophetam rursum beneficia et defectionem in memoriam revocantem. Habes 10, 11-14 acerbiorem etiam Dei reprehensionem, qui pristina salute et ingratitudine commemorata : « Ite », inquit, « et invocate deos, quos elegistis : ipsi vos liberent in tempore angustiae ». Post singulas admonitiones resipiscunt Hebraei, liberantur, quiete per iudices comparata fruuntur : specie haec eadem sunt, at specie tantum. Auream excipit argentea, argenteam ferrea aetas. In prima aetate habes Othonielem, aevi Mosaici heroem; post Sisarae stragem tota regio divinis cum Debbora laudibus resonat ; sequitur longa requies hinc octoginta, illinc quadraginta annorum. In secunda aetate Gedeonem reperis, heroem magnum, immaculatum, una tantum in re 8, 27 imprudentiorem. Specie tenus composita omnia, non re, scintillae sub cineribus dormientes : tribuum aliquarum non iam dissidia tantum (cf. 5, 15 sqq.), sed patentes invidiae (cap. 8) ; idololatria repressa verius quam exstincta, atque brevi post iudicis mortem tam Ephrae quam Sichimis reviviscens. Sequitur 8, 28 quadraginta annorum requies, sed quae in diras desinat domesticas turbas. In tertia aetate duo eminent iudices, meretricis filius alter, meretricius alter : Iephte, qui fidei egregiae meritum immolata filia obscuravit ; Samson, non poenitentis populi gemitibus impetratus, nazaraeus coma, incircumcisus corde, nonnisi in morte tandem sanctus, magnus. Ibi insurgunt Ephraimitae armis compescendi, hic Danitae et Iudaei, toti inertes et enerves, iudicem deserunt. Neutri iudici quietis anni adscribuntur.

Fuerunt autem eae tres aetates sine dubio *successivae*. Gedeon eam regionem incolebat, quae per Debboram a Chananaeorum oppressione fuerat liberata : oportuit igitur, ut octoginta quietis anni 3, 30 effluxerint ante, quam Madianitarum oppressio

inciperet. Porro exeunte epocha altera 10, 3 sq. in Galaaditide florebat Iair, quo nonnisi mortuo censendi sunt Ammonitae 10, 17 Galaaditiden infestasse.

Singularum aetatum acta is, quem subiicimus, conspectus ordine exhibet.

Aetas I. Acta ab Othoniele ad Debboram, 2, 1-5, 32

Cum tanta superstite Phinee obtinuerit morum apud Beniaminitas corruptio, haud mirum, eo demortuo eosdem numero post cladem illam paucissimos a vicinis gentibus, imprimis Moabitis, vix non esse absorptos, eorum idololatriam esse imitatos dominationemque perpessos tandemque ab Aod liberatos, qui bellatorum manum non tam ex Beniamin, quam ex vicina tribu Ephraim 3, 27 videatur collegisse. Neque mirandum, si idem bellum similem, licet fortasse nonnihil lentiorem, apud alias tribus habuerit effectum, ut sc. mores in dies degeneraverint, idololatria irrepserit et, exhaustis internecino certamine Israelitarum viribus, facilius ab aquilone Chananaei, ab austro Philisthaei praevaluerint. In hac aetate Samgar Debbora antiquior, quippe qui eius cantico celebretur. Ante quem fruebantur Iudaei illa quadraginta annorum pace, quam 3, 11 illis Othoniel comparaverat. Chusani servitus aut ante Moabiticam servitutem aut brevi post illam initium sumpsit. Longae octoginta annorum 3, 30 requiei finem fecisse crediderim Madianitas (cf. cap. 6); at iidem etiam magis tribus Ephraim et Manasse, quibus Debbora quadraginta annorum 5, 32 procuraverat requiem, subiugavere. Ergo utriusque requiei eundem scribimus finem. Annos margini adscribimus ab incoepta Moabitica oppressione.

Annus	*Benjamin*	*Tribus septentr.*	*Juda*
1	Servitus Moabitica a. 18.		Servitus Chusan a. 8, fortasse iam nonnihil prius incoepta.
9 (?)			Victoria *Othoniel*, requies a. 40.
19	Victoria *Aod*, requies a. 80.		
38		Servitus Chananaea a. 20.	
48			Finis requiei, *Samgar*.
59		Victoria *Barac*, requies a. 40	
98	Finis requiei.	Finis requiei.	

Aetas II. Fata domus Gedeonis, 6, 1-10, 5

In hac aetate res planior, quaedam tamen incerta. Margini adscribimus numeros ab incoepta servitute Madianitica continuos: fieri tamen potuit et factum esse sat probabiliter affirmatur, ut aliqua intercesserint intervalla. Fortasse Abimelech non illico post Gedeonis mortem rebus potitus est, Thola non immediate Abimelecho successit. Si Abimelech, quod quidem ignoramus, transiordanicis etiam imperavit, tum Iair Galaadites Tholae fere aequalis fuit.

Annus		
1	Servitus Madianitica a. 7.	
8	Victoria Gedeonis, requies a. 40.	
48	Abimelech a. 3.	
51	Cis Iordanem Thola a. 23	Trans Iordanem Iair a. 22.
72		Moritur Iair.
73	Moritur Thola.	

Aetas III. Acta contra Ammonitas et Philisthaeos, 10, 6-16, 31

Quod Ammonitarum res primo loco recenseantur, non sequitur ante Philisthaeorum res incoepisse : potuerunt quippe hae altero loco narrari, quod iudicum aevo componi coeptae nonnisi a Samuele, quem nostra silet historia, fuerint absolutae; vel acta Iephte immediate subnectuntur fatis domus Gedeonis, qui in eodem fere regionis tractu floruisset. Sed alius se offert synchronismus certior rerum Samsonis cum actis Samuelis. Etenim 13, 1 Philisthaeae servituti anni quadraginta tribuuntur, quorum viginti 16, 31 Samsoni iudici permittendi et quidem, cum ipse post coeptam servitutem natus sit, viginti fere ultimi. Aliunde novimus post mortem Heli 1 Reg. 7, 1 viginti annis durasse Hebraeorum sub Philisthaeis servitutem; refertur Samson *coepisse* liberare Israelitas, Samuel 1 Reg. 7, 14 plene liberasse : pronum igitur est concludere, unam exprimi servitutem, in qua excutienda Samson occubuerit, Samuel victor exstiterit. Hinc, si Samuelem eo fere anno, quo mortuus est Samson, iudicem creatum supponas, sequentem habes probabilem synchronismum, cui adscribimus annos ab inito Heli pontificatu.

Galaad	*Zabulon*	*Ephraim*	Annus	*Silo et Beniamin*	*Dan*
			1	*Heli* iudex a. 40.	
Oppressio Ammon. a. 18 (?).			21	Servitus Philisthaica a. 40	Nascitur Samson
			40	Arca captiva a. 20.	*Samson* iudex a. 20
Iephte a. 6.	*Abesan* a. 7 (?)				
	Ahialon a. 10 (?)				
		Abdon a. 8 (?).			
			60	*Samuel* iudex.	Moritur Samson.

4. Chronologia historiae Iudicum. — Quamvis quem suggessimus conspectus construendae absolutae cuiusdam aevi iudicum chronologiae utiles quosdam lapides suppetere videatur, tamen ab eiusmodi chronologia compingenda abstinere cogimur, cum quod certus cum chronologia Pentateuchi et Iosue nos nexus deficiat, tum quod Actorum Iudicum numeri plures ad eum usum sint inepti.

Non quidem, quod aliqui putavere, censemus narrationem Actorum Iudicum non esse satis continuam. Quietis tam per Aod quam per Debboram obtentae censemus Madianitarum incursiones finem fecisse, itemque quietem per Gedeonem comparatam et, post Abimelechi turbas, per Tholam et Iairum continuatam usque ad Ammoniticam servitutem durasse. Annos defectionis omnino censemus intra annos praecedentis quietis computari, cum quies et oppressio, non vero quies et peccatum invicem excludant. Sic v. g. Israelitae, dum longa post Baracum pace fruerentur, paulatim ad idola deficere coeperunt; quod cernens Deus elapsis quadraginta annis quietis finem fecit accitis Madianitis. Nullius momenti est omitti Samgaris annos, quod is durante

quiete per Aodum et Debboram comparata decertasse videatur. At nullibi docemur, quot annos Iosue praefuerit, quot fuerint « seniorum dies, qui longo post eum vixere tempore » (2, 7), quantum tempus inter eos dies et Chusani bellum intercesserit. Deficit ergo certus cum chronologia priorum librorum nexus.

Iam ipsos Actorum Iudicum numeros continua serie subiicimus.

Iud.	3,8	servitus Chusan	annis	8
»	» 11	requies per Othonielem obtenta	»	40
»	» 14	servitus Moabitica	»	18
»	» 30	requies per Aod obtenta	»	80
»	4,3	servitus Chananaeorum	»	20
»	5,31	requies per Debboram obtenta	»	40
»	6,1	servitus Madianitica	»	7
»	8,28	requies per Gedeonem obtenta	»	40
»	9,22	Abimelechi tyrannis	»	3
»	10,2	Thola	»	23
»	» 3	Iair	»	22
»	» 8	servitus Ammonitica	»	18
»	12,7	Iephtae principatus	»	6
»	» 9	Abesan	»	7
»	» 11	Ahialon	»	10
»	» 14	Abdon	»	8
»	13,1	servitus Philisthaica, qua includuntur etiam 20 anni Samsonis	»	40

Igitur, quod iam plures animadvertere, numerorum istorum alii accurati esse praetendunt (3, 7, 23 etc), alii utique sunt approximativi seu « rotundi » (40, 80) et ita quidem, ut nullus legatur numerus 25 maior, qui rotundus non sit. Neque lubet cum *F. Kaulen*, p. 181 sq., admittere textus sacri in illis numeris corruptionem, conspirantibus in illos versionibus omnibus. Verum meminerimus, illos numeros aevum illud respicere, quo, licet aliqui gesta descripserint, licet pontifices fortasse, quae prope Siluntem accidissent, tabulis quibusdam publicis consignaverint, tamen homines universim non multi erant in rebus scripto mandandis, et, quam dicimus, statistica earumdem ratione habenda. Quo factum est, ut minores numeri fixi hominum memoriae inhaeserint, maiores, qui integrae generationis annos aut attingerent aut excederent, brevi in rotundos degeneraverint. Facile meminerant homines, Chusani servitutem 8, Madianitarum 7, Jephtae principatum 6 annos durasse; dum Othonielis salutem circiter 40, Aodi circiter 80 annis definiebant. Adde, altius consuevisse hominum mentibus inhaerere memoriam malorum quam beneficiorum; singulos servitutis annos una seges destructa aut ablata, unus consequens ieiunii atque miseriae annus fecerat memorabiles : meminerant igitur accurate homines, Moabitarum et Ammonitarum servitutes non vicenos, sed praecise octodenos annos durasse, dum quietis annos, qui continua nec satis distincta pace fluxissent, numeris rotundis 40, 80 exprimebant. Neque dictis repugnat, temporum etiam quietis accuratiorem quibusdam locis servatam esse rationem, uti pro Thola et Iair. Numeri tandem 20 et 10 annorum pro servitute Chananaeorum et Ahialonis principatu rotundine dicendi sint an secus, non definimus. Neve aliquam erroris notam s. textui inuri formides : non enim falsi in eo numeri leguntur, sed approximativi, rotundi, quales aliis locis bene multis

occurrunt, neque ii pro aetate,qua pro lubitu fere quisque agebat, nullo invigilante rerumve annales concinnante, ullam habent admirationem.

Unus in Iudicum libro numerus legitur, qui temporibus quidem Pentateuchi nectitur, sed et ipse approximativus tantum est : 11, 26 sc. Iephte a tempore occupatae a Moyse Hesebonis usque ad sua tempora *trecentos* effluxisse annos pronuntiat. Ab hoc numero, quae disseruimus, minime discordant. Habes primam iudicum epocham centum fere annorum : alteram additis octodecim servitutis Ammoniticae annis saltem nonaginta annorum, his adde annos Moysis a capta Hesebone, annos Iosue, dies seniorum, atque ad summam *trecentorum circiter* annorum utique pertinges.

3 Reg. 6, 1 dicuntur effluxisse anni 480 (LXX 440) ab exodo Aegyptiaca ad aedificatum usque templum. Quem numerum discutere huius loci non est. Numeri libro Iud. traditi illum certe non excedunt, tempora vero Iosue, seniorum, Saulis nonnisi coniecturis definiuntur.

Ut ab accuratiore aevi iudicum chronologia texenda abstineamus, praeter quam supra exposuimus gravem rationem nos movent tristia praedecessorum nostrorum interpretum fata, quorum quisque suum fere protulit computum, quo 480 illorum annorum summam exprimeret, quisque, eheu ! nullum aut vix ullum nactus est sequacem : libros consule. Quod tot viri ingeniosi et arithmetici efficere non valuere, id effici non posse merito concludimus.

5. Iudicum auctoritas. — Auctoritate Moysis et Iosuae exstincta et regno nondum instituto, sola apud Hebraeos in re civili supererat seniorum et iudicum auctoritas antiquitate veneranda. Cf. *Vigouroux* : La Bible III. 212 sqq.

Auctoritas *Moysi* et *Iosuae* a Deo collata omnino fuerat singularis neque, Deo nullum designante successorem, in alium quemquam potuit transferri. *Pontifici* suprema in re civili in universum populum auctoritas nunquam fuerat collata : immo, quod pontificatus esset domui Aaron concessus, sceptrum vero tribui Iuda promissum, non obscure innuebat, principatum civilem e Dei placito a pontificia dignitate separatum esse oportere. Hinc levites 19, 29 non ad solum pontificem, sed ad singulas tribus nuntium acceptae mittebat iniuriae. Gratuito autem *Keil* p. 180 asserit, Deut. 17, 9 pronuntiari, fore in posterum unum aliquem iudicem totius reipublicae Hebraeorum moderatorem : « Veniesque ad sacerdotes et ad levitas et ad iudicem, qui fuerit illo tempore, quaeresque ab eis, qui indicabunt tibi iudicii veritatem ». Sed cf. 19, 17 : « Stabunt ambo, quorum causa est, ante Dominum in conspectu sacerdotum et iudicum, qui fuerint in diebus illis ». Unde patet, etiam priori textu singularem « iudicem » scribi pro plurali iuberique eum, qui causam aliquam habeat, ut adeat sacerdotes vel levitas vel iudices ; et imprimis intelliguntur iudices locales, qui in singulis urbibus plures numero erant.

Erat igitur demortuo Iosue quoad res civiles tota gens quadamtenus in *tribus* resoluta. Tribus constabant *cognationibus*, cognationes *domibus*, domus *viris* seu *familiis* Ios. 7, 14 ; 1 Reg. 10, 21. Qui singulis tribubus, cognationibus, domibus praeerant *seniores* audiebant (cf. 3 Reg. 8, 1-3), non quod necessario senes essent omnes, sed qua ratione apud Romanos dicebatur senatus, apud graecos γερουσία. Cf. dicenda ad 2, 7. Seniores autem erant iure non electionis, sed nativitatis. Cum Num. 26 cognationes recenseantur omnino quinquaginta octo singulaeque plures

complexae sint domus, patet seniorum numerum sat magnum fuisse. Moyses Deo mandante populum aditurus primum cum senioribus agit Ex. 3, 16; 4, 29. Pacta privata coram senioribus in porta civitatis sanciebantur Ruth 4, 2. Ibidem ius ipsi dicebant Deut. 16, 18 (cf. Dan. 13, 5).

Ex his senioribus elegit sibi Moyses Num. 11, 16 sqq. *septuaginta seniores*, qui etiam Iosuae tempore fuerunt, postea vero, quod nulla omnino eorum habeatur mentio, censendi sunt defecisse; idque merito, cum Moysis quodammodo dignitatis participes fuerint, ergo cum hac abrogandi.

Igitur defuncto Iosue penes seniores summa rerum fuisse videtur. Quae rerum administrandarum ratio tota et unice ex familiae ratione credenda est effloruisse. Seniores ipsa erant familiarum capita. Nulla erant publica munera, non aerarium, non vectigalia. Vel ipsis seniorum placitis vis inerat non ex lege aliqua scripta, sed ex reverentia et pietate. Non erat exercitus. Si hostis ingrueret, quae arma prae manibus erant, prehendebat quisque, ipsa familiarum capita duces erant, annonam quisque providebat, ars bellica aut violentia constabat aut insidiis. Et ita quidem res agebatur, quando seniores omnes alacres ad rem publicam defendendam convolarent. Quod si desidia qui abessent, dilabebantur omnia neque mirum, populum pugnae incertae praetulisse tributum annuum hostibus ex condicto pendendum.

Qui seniores iidem etiam *iudices* erant. Deut. 16, 18: « Iudices et magistros » (*Hebr.* scribas) « constitues in omnibus portis tuis, quas Dominus Deus tuus dederit tibi per singulas tribus tuas, ut iudicent populum iusto iudicio »; sed portae locus erant, cui assidebant seniores. Item Deut. 17, 8: « Si difficile et ambiguum apud te iudicium esse perspexeris inter sanguinem et sanguinem, causam et causam, lepram et lepram, et iudicum intra portas tuas videris verba variari: surge etc ».

Verum quidem est, quo tempore in Aegypto cognationum et domorum ordo factus esset incertior, instituisse Moysen Ex. 18, 13-26 chiliarchos, centuriones, quinquagenarios et decanos, qui simul exercitus partibus praeessent suisque ius dicerent. At quamdiu illud institutum perseveraverit, nescimus. Certe mortuo Iosue cessavit, deficiente, qui eiusmodi tribunos iudices seligeret, et senioribus etiam in re militari primas partes obtinentibus.

Non tamen negaverim, etiam alios quandoque, qui seniores non essent, ob insignem sapientiam iudices a populo esse agnitos. Ob quam Daniel Dan. 13, 50 iuvenis inter iudices iussus est assidere; et Debbora prophetis Iud. 4, 4 sub palma iudicabat, quasi arbitra a partibus sponte agnita. Igitur, ubi populus Israel terram sanctam pacifice incolere coepit, brevi rerum summa omnis penes seniores, qui iidem iudices erant singulisque praeerant cognationibus domibusque, fuit; tota natio per urbes pagosque dispersa; exigua singularum tribuum cohaesio, inter varias tribus praeter religionem et temporum ante actorum memoriam vix ulla. « Unitas et harmonia politica singularum tribuum invicem se obtrectantium, deficiente duce communi et languescente studio religioso et nationali, dissolutae sunt; ad summum tribus foederationem tantum inierunt » (*Zschokke*: Historia Sacra, Vindob. 1884, p. 170).

Quod iudicum institutum licet de se gravibus rei publicae periculis ab hostibus externis profectis par nequaquam fuerit, tamen populo in extremum discrimen vocato Deoque specialius providente, insignes illos viros produxit, quibus iudicum nomen in scriptura maxime proprium est.

Iudicum, qui nostro libro recensentur, dignitas non fuit novum aliquod institutum, cum a regno postmodum instituendo tum a iudicibus communibus prorsus distinctum; sed deficiente regno Deique simul disponente providentia, iudicum institutum antiquitus receptum maximis in rerum angustiis in lectos quosdam effloruit viros, qui ob eximiam prudentiam et fortitudinem iudices a pluribus agnoscerentur atque ad tempus saltem regis vicem supplerent.

Reapse iudices vix non omnes e seniorum seu communium iudicum ordine videntur desumpti. Othoniel utique 1, 13 princeps fuit Dabir, ergo senior et iudex. Aod 3, 15 ab Israelitis ad regem Moab legatus deputabatur, erat igitur conspicuus apud suos auctoritate vir, i. e. senior et iudex. Debbora prophetis 4, 4 iudicia sub palma dispensabat, etiam antequam populi liberationem aggressa est. Modus, quo eadem Baracum accersit, supponit eum fuisse non hominem obscurum, sed quodammodo principem, cui vocanti contribules essent obsecuturi. Gedeonis pater 6, 11 erat princeps familiae Abiezer. Quod de Iairi 10, 4 et Abesani 12, 9 familiis dicitur, omnino nobili loco natos fuisse suggerit. Iephte illegitimus quidem et obscurior, sed omnium seniorum consensu 11, 5 ob fortitudinem ad iudicis dignitatem evectus. Heli pontifex princeps domus Aaron. Samuel, uti pridem Debbora, ob prophetiae donum assumptus. Iam si cum his conferas, Saulem, 1 Reg. 9, 21 fuisse, « ex cognatione novissima inter omnes familias de tribu Beniamin » et Isai, patrem David, 16, 4 sq. non fuisse e senioribus Bethlehem, cum fuerit expresse invitandus praeter seniores, intelliges, quantopere regni Hebraeorum institutio a iudicum abortivis tentaminibus ad Saulem Davidemque procedens, illud Cantici Annae 1 Reg. 2, 4 sqq. illustret axioma : « Dominus pauperem facit et ditat, humiliat et sublevat; suscitat de pulvere egenum et de stercore elevat pauperem etc. ». Non prius Deus Hebraeorum rem publicam regno instituto ad firmam et absolutam conditionem evexit, quam in iudicibus demonstraverit id nullis humanis viribus, ne nobilissimorum quidem hominum, praestari posse.

Ex quibus rursum patet, rerum conditio aevo iudicum quam fuerit incompleta et defectiva; ex cap. 2 constat, fuisse permissam in poenam neglecti divini foederis. Hinc illae sacrarum paginarum querelae Deut. 34, 10 : « Et non surrexit ultra propheta in Israel sicut Moyses » ; 1 Reg. 3, 1 : « Et sermo Dei erat pretiosus », i. e. rarus, « in diebus illis » ; et rursum Iud. 17, 6 ; 18, 1. 31 ; 21, 24 : « In diebus illis non erat rex in Israel ». Ubi unaquaeque urbs, unusquisque pagus, quod sibi videretur, in rebus totius gentis gravissimis faceret, in extremo rei publicae discrimine quandoque nihil ageret omnino, quid supererat, nisi ut desidia atque discordia omnia tandem miserrime dilaberentur ?

Iudicum maxima laus ea fuit, in summo rei publicae discrimine egisse fortiter secumque reliquam multitudinem ad egregia facinora abripuisse. Rebus feliciter compositis ad vitam privatam et in ordinem communium iudicum se recipiebant, nulla permanenti in ceteros, ne dicam haereditaria, potestate praediti, ob egregie tamen factorum memoriam et sapientiae laudem plerisque cari plurimarumque rerum arbitri sponte expetiti.

Extraordinaria illorum iudicum auctoritas non erat *haereditaria*. Patet id primum ex facto 8, 22 oblatae Gedeoni iudici haereditariae potestatis : nemini quippe, quod

ium habet, offertur. Patet ex altero facto, nullius iudicis in filios legitime transiisse auctoritatem. Abimelech fraude principatum arripuit. Samuelis filii 1 Reg. 8, 2 solum patris vice iudicabant, neque de eorum postmodum successione mota est quaestio ulla. Quorumdam utique iudicum filii : Gedeonis 9, 2, Iairi 10, 4, Abesani 12, 9 opibus et autoritate aliquamdiu floruere. Qui sc. patris superstitis opum et honoris participes fuerant, iidem eo demortuo aliquamdiu speciali honore habebantur : premit quippe opum vestigia honor, hominesque tenet magni nominis vel posthumus fulgor. Parentum omnino inferior horum filiorum fluxa auctoritas.

Post liberatam gentem *ad vitam privatam* redibant iudices. Idipsum vel Iosue praestiterat. Gedeon 8, 27 sqq. suae civitati exornandae familiaeque ampliandae operam navabat. Toti in rei domesticae cura videntur fuisse Iair et Abesan. Ipse Saul 1 Reg. 11, 5 iudices imitatus, ubi vix electus est rex, aratra bovesque repetiit. Princeps vero argumentum suppetit fabula Ioatham 9, 8 sqq., qua iudicum administratio comparatur olivae, ficui, viti, quae, declinata rei publicae cura, propriae pinguedini vel dulcedini augendae maxime studerent.

Cum igitur iudex pacis tempore suis privatis rebus vacaret, hinc neque ulla ei vectigalia pendebantur, neque ulla apud ipsum erant officia aulica, exercitus nullus. Efficitur id oratione Samuelis 1 Reg. 8, 11 sqq., ubi universa haec describuntur tamquam « ius regis », quod sub iudicibus nondum obtinuerit. Saul 1 Reg. 13, 2 conscribendi permanentis exercitus initium fecit.

6. Rerum iudicum aevo conditio. — Post mortem Iosue tribuum in suos fines dilapsarum alia aliis temporibus fuit conditio. Cf. *Ew.* II. 445. sqq.

Dum imperaret Iosue, Hebraei castra prope sanctuarium incoluerant, ad certamen semper parati. Iam suos quisque fines nacti amore soli distrahi coepere, neque eadem vi sanctuarium animos devinciebat, quam cum praesens illud usque cerneretur. Et primum quidem is aliquamdiu perseverasse videtur mos, ut communi urgente causa populi universi indiceretur conventus in unum aliquem e locis sacris, ubi causa discuteretur divinoque oraculo ea, cui primae certaminis partes obtingerent, designaretur tribus (cf. 1; 1 sq. ; 20, 1. 18). Postea illi conventus in desuetudinem, uti videtur, abiere, a Samuele 1 Reg. 7, 5 instaurandi. Sibi quaeque prospiciebat tribus, hinc diversarum diversa conditio, studia, invidiae.

Unde discas, quam absurdi interpretes illi, qui sinistra quaedam ex iudicum historia expiscati conclamant, toto eo aevo mores et religionem misere iacuisse prostrata, ubique abundasse ignorantiam et vafritiem. Tempora, quibus singuli iudices rebus praeerant, describuntur 2, 18 sq. ut iis floruerit religio et pax ; iudices autem singuli aliquibus ad summum tribubus praerant. Necessitate igitur consequitur, dum aliquarum tribuum res florerent, aliarum iacuisse prostratas aut certe in peius iam vergi coepisse. Parcendum generalioribus assertis. Nonne dixerit quis floruisse Hebraeorum res, quo tempore Phinees Aaronis nepos sacris praeesset, tota gens ad loca sacra, orationes et sacrificia conflueret, sine oraculo ageret nihil ? Meritoque *Ew.* II. 496 ex verbis 19, 30 : « Nunquam res talis facta est in Israel etc. », infert populi tum mores ut plurimum fuisse bonos. At illo ipso tempore eo impudentiae delapsa erat tribus Beniamin, ut ad sodomitas aliquos iusto supplicio eripiendos ad arma concurrerint universi. Neque mores neque religionem inter Danitas admodum florentem prodit Samsonis historia : at eo ipso tempore religionis apprime studiosus vivebat

apud Iudaeos Elcana, prophetabat Anna, adolebat prope arcam Samuel. Neque luce igitur neque umbra carebant tempora ista.

Neque tamen in singulas omnino tribus tum dilabebatur Hebraeorum respublica, sed ut aliquibus erat hostium, commercii mutuaeque necessitatis communio, ita arctius coalescebant inter se.

Juda et *Simeon*, inde ab 1, 3 arctissime uniti, quod Simeon numeris esset infirmior, in Debborae iam cantico penitus ignorantur. Videntur cap. 1 magis strenue bellis sacris incubuisse atque aliquamdiu vel Philisthaeorum urbes subactas tenuisse. A Moabitis, gente corruptissima, interiecto Mari Mortuo separabantur, a reliquis Israelitis, interiecta urbe Iebus Danitarumque rebus vix unquam florentibus (1, 34). Hinc orta diu ante regum tempus (cf. 1 Reg. 11, 8) ea, quae postea obtinuit, Iudae et Israelis distinctio. Montana Iudaeae gentilibus erant omnino vacua, in sola planitie corruptionis periculum. Gens pascendis intra suos fines gregibus magis quam mercaturae cum externis agendae intenta. Hinc purior servata religio, puriores aviti mores. Illius exemplum in Elcana habes statutis temporibus cum familia ad tabernaculum ascendentis, horum exemplum ostendit historia Ruth.

Ephraim, primum sub Iosue et rursum sub Debbora primis partibus honoratus tabernaculoque intra suos fines collocato nobilitatus, alias etiam sibi primatum veluti nativo iure vindicabat (cf. dicenda ad 1, 28. 35), certe totius *domus Joseph*. Hinc contra Gedeonem Manassaeum causati sunt Ephraimitae, quod se non vocasset 8, 1, itemque contra Iephten 12, 1; Galaaditas 12, 4 contemptui et ludibrio habebant. Verum ea ambitio alias ab Ephraimitis alienabat tribus, immo fortasse segniores reddebat in adeundis locis sacris intra eius tribus fines sitis.

Tribus *Levi* principem sedem obtinebat Silunte circa arcam, ergo intra fines Ephraim. Secundum ea, quae n. 5 de iudicum munere diximus, dubitari nequit, alios quoque ante Heli pontifices iudicum munere et dignitate fuisse insignitos, neque facile alius tribus, omniumque minime ambitiosae tribus Ephraim iudici primatum honoris cessuros fuisse. Hinc ortus Ephraim inter et Beniamin velut status aliquis pontificius, Ephraimo invisus, cuius caput Sichem 9, 4 exhibetur a legitimo sanctuario penitus alienatum.

Beniamin, a Philisthaeis interiecta tribu Dan securior, Moabitis maxime omnium tribuum cisiordanicarum patebat, quod vada obtineret, quibus omne regionum mutuum commercium necessario transiret. Duplici tamen gravi malo cladis Gabaensis et servitutis Moabiticae videntur fuisse meliora edocti Beniaminitae. Longa post Aodum pace fruebantur, Debboram strenue iuverunt. Mox intra eorum fines Maspha singulari religionis fama inclaruit; Bethel eorum fines attingebat, aeque ad ipsos quam ad Ephraimitas pertinebat; Siluntinis non sacrorum tantum sed sanguinis etiam 21, 19 sqq. affinitate iungebantur; reliquis intimius cum Iudaeis piis habebant commercium. Sat prospere illos exeunte iudicum aevo egisse crediderim.

Tribus transiordanicae a Debbora vocatae non adfuerant; continuae illis cum Moab, Ammon aliisque pugnae. Floruere tamen diu Galaaditarum res, ut exercitus caeso Saule reliquiae et postea David ab Absalone fugiens ad eos se receperint. Quorum fines late orientem versus patebant, difficilius defendebantur, a gentilibus incolis cum tanti essent, vix poterant plene purgari. *Rubenitae* iterato a gentilibus videntur fuisse vix non absorpti, ut nullum eorum egregie factum recenseatur. Accessus ad sanctuarium his omnibus rarior; animus ab iis, quae in altera fluminis

ripa agerentur, alienior ; prope vada tamen, uti Iabesitarum, intimius commercium ; mores, quod ex facto Iephte intelligas, ethnica superstitione aspersi.

Dan et *Aser* iam 5, 17 exhibentur rei nauticae et hinc mercaturae cum Phoenicibus agendae studiosi, dum *tribus septentrionales*, quae sub Baraco fortiter dimicaverant, serius plus ceteris sane superstitione urbis Dan Lais sunt infectae ; intermiscebantur et ipsae Phoenicibus et Chananaeis. Quando Chananaei 1, 30 sqq. enumerati sint exterminati, nescimus : interea iisdem Israelitae foederibus iungebantur, foedera sequebantur coniugia (cf. 14, 1 sqq.), coniugia sacrorum communio (cf. Num. 25, 1 sq.).

Interim cultus divinus substantialiter talis erat, qualis a Moyse fuerat institutus.

Dicimus *substantialiter* : non enim possumus omnium vel etiam plurimarum rerum a Moyse institutarum directam aliquam ex viginti et uno libri Iud. capitibus eruere confirmationem. Neque negamus, uti tempore Heli senis, quandoque minus sancte prope tabernaculum res fortasse esse administratas. Civitatum, quae levitis in campestribus Iuda, trans Iordanem et septentrionem versus attributae fuerant, plures ad tempus in gentilium mansere potestate ; Gazer, Thanach, Naalol (Ios. 20, 21. 25. 35 ; cf. Iud. 1, 27. 29. 30) non statim ab initio Chananaeis sunt ereptae. Hinc plurium levitarum incertae sedes, vagum vitae genus (cf. Iud. 17, 7). Civitatum leviticarum principem locum obtinebant Ios. 20, 7 sq. sex civitates refugii : e quibus Cedes et Gaulon tam prope aberant a Dan Lais, ut vix credendae sint eius urbis superstitione non esse infectae ; Sichem autem Iud. 9 tota se idololatriae mancipaverat. Pontificatum sine turbis in ipsa sanctuarii sede excitatis a posteris Eleazari et Phineae ad Heli Ithamariden transiisse, difficile crediderit quis. Quibus si addas, Moysis leges, maxime quae levitas spectarent, adhuc novitate quadam laborasse, nondum in succum et sanguinem transiisse, carebit profecto omni admiratione, si aevo iudicum ministri sacri supponantur quandoque non tales fuisse, quales esse oportebat.

At h. l. nobis res agenda est cum systemate modernorum rationalistarum. Ex placito *Wellh.* p. 17 sqq. tabernaculum ante templum Salomonicum exstitit nullum, sed ad imitationem ejus templi confictum est ab auctore seriore, qui demonstrare conaretur religionem Hebraeorum eandem ante atque post exstructum templum fuisse. Similiter *Reuss* p. 467 affirmat, « hominem quemque rem sobrie pensantem fore perspecturum, tabernaculum illud foederis putum esse figmentum ». « Quam subito », inquit *Wellh.* p. 131 sq., « (in Hexateucho) hierocratia de coelo omnibus numeris absoluta in desertum delabebatur, tam continuo (in libro Iud.) e terra Chanaan disparet nullo vestigio relicto. Sicut venti flatu arenae, disiiciuntur iudicum aevo sacerdotes et levitae una cum coetu filiorum Israel, qui circa ipsos adunabatur... In locum historiae ecclesiasticae Hexateuchi derepente in libro Iud. subintrat historia profana exuta habitum clericalem. Abest pontifex, qui supremus narrabatur divinitus institutus magistratus ; sola populi capita sunt iudices ; diversum omnino hominum genus ».

Librum bifariam dividi monuimus. In cuius altera parte cap. 17-21 habes universa, quae Reuss et Wellh. desiderari affirmabant. Habes 20, 27 arcam, quam cum saltem semel (de Silo in Bethel) loco motam esse constet, ne ea quidem relinquitur sacrificiorum procul ab arca oblatorum difficultas, quam in fine 1 Reg. 7 discussimus. Habes 20, 28 pontificem Aarone natum, iterato Deum, utique per Urim et Thummim

consulentem. Habes 18, 30 Moysis nomen; habes levitas 17, 7 et 19, 1, ipsa sua origine 17, 13 cultui divino consecratos, qui cum in monte Ephraim peregrini fuisse 17, 7 et 19, 1 dicantur, utique alibi legitimas sedes habuisse dicendi sunt. Habes 17, 5 ephod et secundum probabilem explicationem 18, 3 etiam campanulas vesti pontificis appendi solitas. Habes 20, 2 et alibi universam « ecclesiam populi Dei ». Habes 20, 26 et 21, 4 distincta inter se holocausta et pacificas victimas. Mitto alia, quae varias leges mosaicas in memoriam revocant.

At, inquit *Wellh.* p. 132, « in nucleo libri Iud. cap. 3-16 nullus usquam reperitur homo, qui cultui divino sit specialiter consecratus ». Cui respondeo, tabernaculum, arcam, pontificem, levitas, sacrificia exstitisse, praeter Iud. 17-21 haberi ex 1 Reg. 1-7 ; ubi etiam habes saltem tribus Iuda homines, qualis erat Elcana, ad tabernaculum statutis festis ascendere consuevisse. Quod vero de ineunte et de extremo iudicum aevo valet, nonne idem de eius quoque decursu praesumere fas est ? Systematis rationalistarum fundamenta tum concussimus, quando librum Samuelis demonstravimus non ab aliquo post exsilium auctore, sed ab ipsissimis prophetis Samuele, Gad et Nathan esse conscriptum; ab iisdem igitur tabernaculi etc. in eo libro facta mentio ; exsistebat igitur illud vel ante Salomonis templum. Etiam Iudicum libri partem utramque diu ante tempus, quod rationalistis placuit, scriptam esse ostendemus; utriusque auctorem non facta solum prioribus libris narrata, sed eiusdem textum familiariter novisse demonstrabimus.

Sed ad cap. 1-16 redeamus. Quorum scribendorum non is erat finis, ut, qua fide iudicum aevo adierint tabernaculum Hebraei, edoceamur, sed finis cap. 2 fuse explicatur : ostendi oportebat, quomodo ob gentilium idolorum cultum in servitutem redacti Hebraei, dein facti poenitentes Dei ope per iudices fuerint liberati. Quid his cum pontifice, arca, tabernaculo ? Num, quod Caesar bellum gallicum enarrans vix quidquam de sacrificiis et orationibus referat, num ideo Romanas legiones impietatis accusabis ? Sedecim omnino capita Iudicum Acta complectuntur : in his tabernaculi, pontificis etc. mentionem desiderari, quis miretur ? Placet hic adscribere verba *Smith* (The book of Moses, London 1868, I. p. 149 sq.) : « Utvis pauca Moysis instituta Iud. liber explicite commemoret, universae tamen mosaicae legi pro fundamento indubie superstruitur. Vix erat in eo locus explicandae rationis, qua Hebraeorum respublica in re civili et religiosa administrabatur. Pacis tempora, quibus suprema regnabat lex, una brevi sententia absolvuntur : quievit terra quadraginta vel octoginta annis. Ipsi servitutis anni brevissime perstringuntur. Sola populi revelantur scelera atque excutiendi odiosi iugi tentamina. Cuiusmodi temporibus raro audiri consuevit legis vox, secundum axioma : Silent leges inter arma. Verum is nihilo secus universae narrationis finis, ut doceamur, constanter violatae legis poenam exstitisse graves oppressiones, redintegratae praemium receptam libertatem... Nisi quam novimus mosaica lex exsistebat, nunquam scribebatur Iud. liber ». Cf. *Cornely*, Introductio II. 1. p. 138 sqq.

Advertas etiam aliud. Heli pontifice plura prope arcam a religione et lege aliena agebantur; ante illum vero pontificem omnia fuisse numeris omnibus absoluta, gratuito supposuerit quis. Innuebamus supra, quorsum aevo iudicum sacerdotum et levitarum res incertae fuerint et etiam perturbatae. Quid, si in illis reapse plura fuerint reprehensione digna ? Samuelem novimus eiusmodi rerum pandendarum minime cupidum. Pontificis inertiam, sacerdotum praevaricationem, ubi eae necessario erant carpendae, magna tractat reverentia et indulgentia (cf. nostrum Comment. in Libros Sam. p. 10), filialemque plane erga pontificem profitetur pietatem. At nulla ei, quem auctorem Actorum Iudicum infra demonstrabimus, narrandorum priorum pontificum

minus sancte actorum ratio; pontifex et arca singulorum iudicum, qui uni paucisve tribubus praeerant, expeditionibus nequaquam iungebantur. Siluit ergo, quae narrare pigeret, profane, violenter, sacrilege acta. Secundum hypothesin loquimur. At si duarum tantum nobis hypothesium alterutra permittatur eligenda, ut aut pontificem et arcam contra explicitum Pentateuchi et Iosue, Iud. 17-21 et 1 Reg. testimonium intra figmenta et fabulas relegemus, aut res sacras a Moyse institutas aliquo tempore neglectas iacuisse fateamur, hanc certe alteram hypothesin tamquam minus absurdam, minus veri absonam amplectemur. Et haec quidem contra rationalistas dicta sint satis.

7. LIBRI IUDICUM VERSIONES ET INTERPRETES. — Textus hebraei recensiones, quas versionum principum auctores prae oculis habebant, minus etiam inter se differunt, quam textus hebraei librorum Sam. recensiones, atque unam substantialiter cum textu Masor. recensionem constituunt. Immo quaedam textus recepti LXX ab Hebraeo divergentiae testimonio *Ios.*, qui LXX utebatur, serius in LXX irrepsisse deprehenduntur. Non raro prima facie a reliquis *Vulg.* dissonat : at, ubi rem intimius inspexeris, deprehendes discrepantiae rationem saepissime non eam fuisse, legisse S. Hier. textum hebraeum alium, sed eundem vertisse liberius. Unde non facile ex aliqua textus Vulg. a reliquis discrepantia ad correctionem textus hebraei procedere fas est.

Nos S. Hieronymi ad textum additamenta uncinis ( ) distinguimus; ubi notanda duo. Primum est, non omnia sic additamenta distingui posse, quod quaedam ita textui sint contexta, ut is, illis praecisis, intelligi nequaquam possit. Alterum est, quod aliqua in versione S. Hier. additamenta deprehendantur, non ideo illa uti superfluum quid a nobis configi : quorum bene multa ad claritatem et elegantiam textus latini haud parum conferunt.

Iuvat autem Vulgatae discrepantias ad quasdam classes revocare. Primum igitur S. Hier., vix non semper LXX vestigia terens, nomina quaedam propria explicat, quo eum alias etiam delectari novimus. Ita 1, 11 « Cariath Sepher (i. e. civitas literarum) ». Similia habes 1, 17. 35; 10, 4; 12, 6; 15, 9. 17; 16, 17; 17, 5; 19, 22. Quod ex Rabbinis 20, 18 (item 21, 2) transsumpsit Hier., ut loco « in Bethel » scriberet « in domum Dei (h. e. in Silo) », plurimos infecit interpretes.

Frequenter in hoc libro Hier. unam expressionem hebr. duabus reddit latinis synonimis : 4, 21 « abscondite (et cum silentio) ». — 6, 11 « excuteret (atque purgaret) ». — 7, 21 « vociferantes (ululantesque) ». — 8, 1 « iurgantes fortiter (et prope vim inferentes) ». — 8, 11 « securi erant (et nihil adversi suspicabantur) ». — 8, 15 « lassi sunt (et defecerunt) ». — 8, 16 « contrivit cum eis (atque comminuit) ». — 8, 21 « (ornamenta ac) bullas ». — 9, 25 « exercebant latrocinia (agentes praedas) ». — 11, 1 « vir fortissimus (atque pugnator) ». — 11, 3 « fugiens (atque devitans) ». — 11, 38 « cum sociis (ac sodalibus) ». — 11, 39 « Exinde mos increbruit in Israel (et consuetudo servata est) ». — 13, 7 « (ab infantia sua), ex utero (matris suae) usque etc ». — 13, 14 « (impleat atque) custodiat ». — 14, 5 « (saevus et) rugiens ». — 14, 16 « fundebat lacrimas (et querebatur) ». — 15, 12 « Iurate, ait, (et spondete) ». — 15, 18 « salutem hanc maximam (atque victoriam) ». — 16, 2 « Quod cum audissent Philisthiim (et percrebruisset apud eos) ». — 16, 9 « latentibus apud

se insidiis (et) in cubiculo (finem rei exspectantibus) ». — 16, 16 « (defecit) anima eius (et) ad mortem usque lassata est ». — 16, 19 « At illa dormire eum fecit super genua sua (et in sinu suo reclinare caput) ». — 16, 19 « coepit abigere eum (et a se repellere) ». — 16, 25 « laetantesque per convivia (sumptis iam epulis) ». — 16, 26 « et recliner super eas (et paullulum requiescam) ». — 16, 27 « de tecto (et solario) ». — 17, 3 « consecravi (et vovi) ». — 17, 9 « ubi potuero (et utile mihi esse perspexero) ». — 18, 2 « stirpis (et familiae) ». — 18, 5 « an prospero itinere pergerent (et res haberet effectum) ». — 18, 6 « viam (et iter) ». — 18, 9 « (opulentam et) uberem ». — 19, 3 « reconciliari ei (atque blandiri) ». — 19, 8 « ut (paullulum cibi capias et) assumptis viribus etc ». — 19, 22 « illis epulantibus (et post laborem itineris cibo et potu reficientibus corpora) ». — 19, 29 « (partes ac) frusta ». — 20, 11 « eadem mente (unoque consilio) ». — 20, 14 « ut (illis ferrent auxilium et) contra universum populum Israel dimicarent ». — 20, 23 « ascendite ad eos (et inite certamen) ». — 20, 31 « caederent.... (atque prosternerent) ». — 20, 35 « (bellatores et) educentes gladium ». — 20, 47 « evadere (et fugere) ». — 20, 48 « urbes (et viculos) ».

Alia addit Hier., ut sensum reddat clariorem. 2, 18 « et audiebat afflictorum gemitus (et liberabat eos) de caede vastantium ». — 2, 19 viam durissimam, (per quam ambulare consueverunt) ». — 7, 5 « qui autem curvatis genibus biberint, (in altera parte erunt) ». — 7, 11 « (securior) ad hostium castra descendes ». — 7, 22 « (et mutua se caede truncabant) ». — 8, 6. 15 « (postulas, ut) demus ». — 8, 21 (regalium) camelorum ». — 9, 25 « (dum illius praestolabantur adventum) ». — 9, 36 « (et hoc errore deciperis) ». — 10, 4 « (ex nomine eius) sunt appellatae ». — 10, 6 « (idolis), Baalim et Astaroth ». — 11, 1 « Fuit (illo tempore) ». — 11, 5 « ut tollerent (in auxilium sui) ». — 11, 12 « qui (ex persona sua) dicerent ». — 11, 27 « indicens mihi bella (non iusta) ». — 11, 31 « quicumque (primus) fuerit egressus ». — 15, 1 « cumque cubiculum eius (solito) vellet intrare ». — 15, 9 « in (loco, qui postea vocatus est) Lechi ». — 16, 13 « Si septem crines capitis mei cum licio plexueris et clavum (his circumligatum terrae) fixeris, (infirmus ero) ». — 16, 14 « extraxit clavum (cum crinibus) ». — 16, 16 « (spatium ad quietem non tribuens) ». — 16, 18, assumpta pecunia, (quam promiserant) ». — 16, 21 « (statim) eruerunt oculos ». — 18, 20 « (Quod cum audisset), acquievit (sermonibus eorum) ». — 19, 5 (Quem tenuit) socer (et) ait ». — 19, 8 « (postea proficiscaris) ». — 19, 14 « Transierunt ergo (Iebus) ». — 19, 25 « (Quod cernens) homo eduxit ad eos concubinam suam (et eis tradidit illudendam) ». — 19, 28 « Cui ille (putans eam quiescere)... (intelligens, quod erat mortua) ». — 20, 5 « uxorem meam (incredibili furore libidinis) vexantes ». — 20, 8 « quasi unius hominis (sermone) respondit ». — 20, 16 « (fundis) lapides (ad certum) iacientes ». — 20, 27 « et (super statu suo) interrogaverunt ». — 20, 28 « Consuluerunt igitur Dominum atque dixerunt ». — 20, 33 « in (loco, qui vocatur) Baalthamar ». — 20, 36 « dederunt eis (ad fugiendum) locum ». — 20, 38 « ut (postquam urbem cepissent), ignem accenderent, (ut ascendente in altum fumo captam urbem demonstrarent) ». — 20, 43 « nec erat ulla requies (morientium) ». — 20, 45 « petram, (cuius vocabulum est) Remmon. (In illa quoque fuga palantes et in diversa tendentes) occiderunt etc. ». — 20, 46 « (in diversis locis) ». — 21, 3 « factum est hoc (malum) ». — 21, 13 « praeceperunt eis, (ut eos susciperent) in pace ».

Plura addi possunt ei, quem modo descripsimus, elencho. Quem, si vel obiter examines, reperies longe plura eiusmodi additamenta inde a cap. 19, quam antea. Et reapse versus libri finem currenti calamo usus est Hier., ut obscuritas, quam cap. 20 maxime deprehendunt interpretes, magna ex parte ab Hieronymi versione ortum

ducat. Singula h. l. evolvere longum esset : cf. capitis interpretationem, maxime 20, 31. 32. 34. 36. 37. 39. 40; 21, 9. Item cf. 1, 14; 5, 6; 6,4; 7, 10; 9, 23 sq.; 9, 40. 46. 49. 54; 10, 6; 11, 36; 13, 15; 14, 10. 11. 19. 20; 15, 8. 11. Quod S. Hier. aliqua festinius verterit, cf. *Kaulen* l. c. p. 115 eiusdemque auctoris librum : Geschichte der Vulgata, Mainz 1868, p. 171. sqq.; item *Cornely* Introductio I. 426 sqq.

Interpretes nactus est liber Iud. fere eosdem, qui hinc librum Iosue, illinc libros Ruth et Sam. commentati sunt.

Ex antiquioribus *Orig.* (Homil., *M.* 12) totus est in allegoriis. Utilior *Ephraem* (Op. I. p. 308 sqq.) Sensum literalem viginti octo quaestionibus solide discutit *Theodoret.* (Quaest., *M.* 80). Accedunt *Procop.* (Comment., *M.* 87) et ex latinis *Aug.* (Quaest. in Hept. VII, *M.* 34), *Isid.* (Quaest., *M.* 83), *Beda* (Quaest., *M.* 93), *Rhaban.* (Comment., *M.* 108), *Walafr. Strabo* (Glossa, *M.* 113), *Rupert.* (De oper. SS. Trin., *M.* 167), *Hugo a S. Victore* (Adnot., *M.* 175). Saeculo decimo tertio habes *Card. Hugonem* (Postilla, Venetiis 1754), decimo sexto *Nicol. Lyran.*, *Dionys. Carthus.*, *Tostatum* dictum *Abulensem, Cai.*, qui consuetam suam explicandi rationem servant. Brevioribus pro more notis textum illustrarunt e catholicis *Vatabl.* 1545, *Sa* 1598, *Mar.* 1619, *Menoch.* 1630, *Tir.* 1632, *Gord.* 1632; e protestantibus *Munst.* 1534, *Castalio* 1551, *Amama* 1639; fusius apud illos *Malv.* 1650, apud hos *Drus.* 1618. Quorum omnium opera reperies alia in : Biblia Sacra cum selectissimis literalibus commentariis, Venetiis 1747; alia in : Critici Sacri, Traiecti ad Mosam 1624. Egregium plane commentarium edidit *Nicol. Serarius* 1609, in quo illud unum desideres, non singulos ex ordine versus exponi, sed ad instar fere Theodoreti selectas quasdam discuti quaestiones. Egregie item scripsit *Iac. Bonfrerius* 1631. Accedunt *Cosm. Magaliani*, Lugduni 1626; *Casp. Villaroel*, Matriti 1635; *Corn. a Lap.* 1637; *Christoph. Vega*, Lugduni 1671; *Iac. Felibien*, Parisiis 1704; *I. L. Hellbig,* Coloniae 1717; *Calm.* 1790; novissime *Clair* 1880. E protestantibus nominandi *Clericus* 1733, *Rosenmüller* 1835, *Bertheau* 1845, *Keil* 1863, *Cassel* 1865. Vix quidquam depromes ex *Le Maistre de Sacy* 1682. — Apparatu critico textus hebr. utebamur *de Rossi*, Vulgatae *Vercellone*, textus graeci *F. Field* : Origenis Hexaplorum, quae supersunt, tom. I, Oxonii 1875; et *P. de Lagarde :* Librorum V. T. canonicorum pars prior graece, Gottingae 1883.

ACTA IUDICUM

IUD. 1-16

ACTA IUDICUM IUD. — 1-16

Demonstrabamus n. 2, Acta Iudicum consilio et arte ab uno quodam *auctore* in unum esse congesta, quo legentes divinum in gentilibus intra terram sanctam tolerandis edocerentur consilium, atque ad regnum tanquam perfectiorem iudicum administratione oeconomiam praepararentur. Auctorem vero illum non omnia, quae narret, ipsum conspexisse, quin potius ex *fontibus* quibusdam hausisse, evidens est. En tibi igitur duo disputationis nostrae capita, ut primum de fontibus, postea de auctore Actorum disseramus. In quibus quaestionibus agitandis, quod moderni rationalistae istud perpetuo in ore habeant, nullum in Actis deprehendi Pentateuchi librique Iosue vestigium, vasto ea hiatu a conditione rerum Moysis et Iosuae aevo attributa separari, examinandum tertio se offert caput, demonstreturne *Actorum cum Pentateucho et Iosue nexus.*

8. Actorum fontes. — Inania sunt quorumdam systemata tenentium, variorum iudicum acta iam in unum aut duo documenta coaluisse, antequam a nostro auctore Actis Iudicum insererentur.

Antiquiores hoc quaestionum genus tractare non consueverant. Primus *Ew.* I. 204 sq. adstruebat librum aliquem, ad quem praeter fragmenta quaedam 1 Reg. etiam Iud. 17-21 pertinuerit; fingitque narrationem fuisse quamdam bellorum, quae non iudicum sed pontificum (!) seriem sequeretur. Alterum deinde p. 220 sq. effingebat librum, qui praeter alia 1 Reg. fragmenta continuerit narrationem Iud. 3,7-16,31, i. e. Iudicum Acta dempto exordio, atque singula bella cum subsecuta quiete totidem quasi capitibus distincta enarraverit. Duodecim iste liber numerabat iudices, singulorum adscriptos habebat administrationis annos et sepulturae locum. Ultimam operi manum admovisse fingebatur auctor quidam p. 235 sq., qui duos illos libros in unum conglutinaverit introductionemque Iud. 1,1-3,6 scripserit. Ad quae breviter respondemus : aliquas librorum Sam. partes primitus cum libri Iudicum partibus unum effecisse librum, ex iis, quae de librorum Sam. fontibus et origine disseruimus, refutata sunt. Manet ergo ex toto illo priore Ewaldino codice solum Iud. 17 21, quae capita nos quoque ut appendicem a praecedentibus distinguimus. Illud

de narratione secundum pontificum seriem disposita videtur Ewald ex 20, 28 derivasse, ubi pontificis Phinees habetur mentio: audacior sane illatio. Iud. 3, 7-16, 31 nos quoque unam pronuntiamus narrationem, at certe non ab alio compactam quam ab eo, qui introductionem 1, 1-3, 6 conscripserit : introductio quippe intime cohaeret cum sequenti narratione, quae non tam est bellorum, quam Dei in suscitandis iudicibus providentiae. Quod si igitur Ewaldi sententiam gratuitis exueris assertis, quibus veluti veste quadam militari superinduitur, remanebit, quod nos quoque defendimus, Iud. 17-21 esse appendicem, Iud. 1-16 esse unam duodecim iudicum historiam introductione praefixa.

Bertheau p. XXX Iud. 3, 7-16, 31 ex duobus documentis originem duxisse scribit : ex duodecim iudicum catalogo, qui adscriptos habuerit administratae reipublicae annos et sepulturae locum, et ex narratione historica iudicum aevum sex generationibus complectente singulisque unum aliquem insignem heroem praeficiente (Othoniel, Aod, Barac, Gedeon, Iephte, Samson). Quae duorum documentorum hypothesis duplici nititur fundamento, quorum alterum ex adscriptis sepulturae locis, alterum ex sex quibusdam in narratione discernendis generationibus repetitur.

Ad primum advertas, non omnium iudicum referri locum sepulturae, unde causatur Bertheau illum pro quatuor primis (Othoniel, Aod, Samgar, Barac) excidisse (!). Verum quid planius, quam octo posteriorum iudicum sepulcra auctoris tempore praesentia exstitisse, dum antiquiorum ignorarentur? Praeterea Aodi et Baraci acta viris nondum vita functis potuere conscribi, ut sepulturae locus necessario taceretur. Si in documento, quo utebatur Actorum Iudicum auctor omnium descriptus legebatur sepulcrorum locus, cur is praecise quatuor antiquissima neglexit? nonne saltem pro Othoniele, descripta iam voce « mortuus est », pronissimum erat adscribere sepulturae locum, si is sive in textu exstaret, sive certa traditione nosci posset? Simili omnino ratione quatuor antiquissimorum nulli recensentur liberi, quorum sc. rei domesticae memoria longo interiecto tempore intercidisset; dum progenies recensetur Iair 10, 4, quae floreret « usque in praesentem diem in terra Galaad » atque triginta civitatibus nomen dedisset, itemque Abesani et Abdonis 12, 8. 13, qui proxime ad auctoris tempus accessissent.

Ad alterum explicemus oportet, quomodo *Bertheau* aliique ad illud sex generationum figmentum devenerint. Contemplare, quem n. 4 descripsimus, elenchum annorum iudicum atque in illo, quod ib. monuimus, aliquos deprehendes numeros rotundos. Adde iam annos requiei 40+80+40+40 itemque 40 annos oppressionis Philisthaicae, habebisque summam 240 annorum seu sex generationum quadragenorum annorum. Ergo, concludit Bertheau, narratio ex duplici compacta est documento, quorum alterum per sex generationes (Othoniel, Aod, Barac, Gedeon, Iephte, Samson) eventus distribuebat, alterum accuratos praeservabat annorum numeros. Lusus haec sunt viro erudito haud dignus. Qui autem factum sit, ut iudicum anni aliqui exprimerentur numeris rotundis aliique secus, id n. 4 explicavimus.

Etiam *Reuss* p. 340 advertit, numeros illos rotundos iis attribui heroibus, quorum acta fusius narrentur, numeros accuratos iis, quorum vix ulla facta sciantur. At fuse narrantur Iephtae gesta, qui tamen accurate scribitur post octodecim annorum oppressionem annis praefuisse sex. Advertit, iudicibus illis minoribus, quorum anni numeris accuratis exprimantur, nihil esse cum thesi 2, 6-34 explicata commune, quae singulos iudices doceat in remedium idololatriae et oppressionis esse concessos. Sed, quaeso, perpende, eam thesin demonstrari immediate non singulorum quorumque iudicum, sed singularum aevi Iudicum aetatum actis. Demonstratur quidem in prima aetate actis Othoniel, Aod, Barac vel seorsim spectatis ; at in secunda aetate

fatis domus Gedeonis, in cuius demortui locum praeter Abimelechum etiam Thola et Iair subintravere; in tertia aetate gestis Iephte et Samsonis, quorum ille tres iudices minores auctoritatis veluti haeredes habuit. Fatetur tandem ipse Reuss : « Perspicere clare non valemus, quale fuerit illud scriptum, ex quo hauriebatur memoria tam concisa et ieiuna, simul vero numeris ita determinatis ornata quorumdam, qui vix non in oblivionem abiissent, heroum ». Id utique perspici nulla ratione potest. Quare cum *Cassel* p. XII concludamus, « omnibus istius modi numerorum lusibus nec quidquam demonstrari, nec quidquam refutari ».

Actorum auctor, quas fusius retulit iudicum vitas, mutuatus est ex totidem scriptis eventuum coaevis aut fere coaevis, quae substantialiter immutata in suum opus transsumpsit; reliqua aliunde, etiam ex traditione orali, derivavit.

Singillatim demonstrabimus n. 23 Aodi, n. 25 Baraci, n. 33 Gedeonis, n. 35 Abimelechi, n. 39 Iephte et n. 43 Samsonis acta a coaevis totidem primum descripta esse auctoribus. Perpauca illa, quae de Othoniele et aliis quibusdam referuntur, facile sine scriptis orali traditione tuto transmitti poterant : cf. n. 22. Sufficiat hic affirmare, fontes scriptos coaevos aut fere coaevos admitti iam non a catholicis tantum, uti *Iansen.* (cap. II Concordiae, citatus a Ser.), *Pineda* (in Iob, Praefatio cap. 3), *Maldonat.* (in Matth. 2, 23), *Biblia Veneta* p. 277, *Clair* p. 10, *Sacy* p. 504, *Kaulen* p. 182, *Cornely* Introductio II. 1. 222 etc, sed ab ipsis etiam protestantibus et rationalistis, uti *Cler.*, *Ros.* p. 7, *Iahn* p. 190 sqq., *Eichhorn* p. 481, *Ew.* I. 196, *Bertheau* p. XXVIII, *Reuss* p. 340. Hi tres ultimi libros illos intermedios, e quorum centonibus Acta Iudicum consuta fingunt, e documentis eventuum coaevis ortum duxisse contendunt. *Bertholdt* p. 880 sq., qui narrationem mythis infectam censet, tamen hos mythos ante Samuelem scriptis fuisse mandatos contendit. « Si noster auctor primus » inquit *Bertheau*, « narrationem antehac oretenus tantum traditam collegisset scriptoque consignasset, verba ipse, narrationis modum et ordinem selegisset; ubique eius se proderet stilus, unius narratoris mentem tota reflecteret narratio. Neutrum obtinet ». Quare non possumus assentiri *Scholz* II. 296 statuenti, solos oralis traditionis fontes, quod scripta nulla citentur neque perturbatis temporibus annales conscripti esse credendi sint. Scribendi exemplum a Moyse et Iosue datum sane alios ad scribendum incitare potuit; cur non scripserint sacerdotes et prophetae aliqui, quod sequenti tempore constanter usuvenit? Certe teste *Ios.* scribebantur pontificum nomina neque facile, quas libri Par. tradunt, genealogiae sola orali traditione incorruptae essent servatae. Nulla assignari potest ratio, cur noster auctor traditionem oralem variarum tribuum scripto mandans non immutaverit eas locutiones, quae alienam saperent dialectum, v. g. pronomen שׁ. — Ceterum longius progreditur *Pineda* affirmans, quod demonstrari minime potest, singulos sua acta conscripsisse iudices; quam sententiam merito proscribit *Ubaldi* I. 400.

Defendimus porro, coaeva illa documenta *substantialiter immutata* in Acta Iudicum esse transsumpta. Ita *Kaulen* p. 181; conceduntque *Iahn* p. 193, *Bertheau* p. XII, *Reuss* p. 340, *Wellh.* p. 245 aliique. Non negamus, quod omnes concedunt, Samuelem sua singulis historiis praefixisse exordia, addidisse epilogos, intersparsisse animadversiones; quas suis quasque locis examinabimus. At substantialiter his non mutatur narratio. Ubi tria tamen cavenda pericula. Primum est, ne putemus posse nos ita, quae Samuelis redactoris quaeve antiquiorum sint fontium, discernere inter

se, ut nullus supersit versiculus, sententia nulla, quam non alterutri parti certo attribuere queamus. Plura semper eiusmodi disquisitiones dubia relinquent atque fluxa. Alterum periculum est, ne, ubi locutionum aliquam, quibus Samuel delectari consuevit, in narratione aliqua deprehenderimus, illico eam quoque narrationem Samuelis primum calamo scriptam fuisse proclamemus; ut, si pro congregando exercitu 4, 10. 13; 6, 34 sq.; 7, 23 sq.; 10, 17; 12, 1 sq. uniformiter verbum זעק adhibeatur. Samuelis scribendi genus n. 15. 18. 20 demonstrabimus plurimum imitari Pentateuchum et Iosue; quos libros etiam legebant antiquiores illi auctores, qui singulorum iudicum acta scripsere: quid mirum, ut quandoque eaedem cum apud illum tum apud hos expressiones recurrant? Maioris in hoc disquisitionis genere momenti sunt stili divergentiae quam similitudines. Ubi tertium tandem declinandum periculum, ne sc. ob stili proprietatem, quantulacunque ea sit, diversum adstruamus auctorem, diversum documentum. Quin magna potius cautela procedendum, stili proprietates non tam singulae quam plures simul pensandae, conclusiones cunctanter potius proponendae. Quibus observatis profecto reperiemus, eas non raro singularum narrationum haberi proprietates sermonis, quae substantialiter immutatas perseverasse suggerant atque, aliis pro confirmatione additis momentis, etiam indubie demonstrent.

Unde concludas, non iudicum gesta, quo thesin 2, 6-3, 4 explicatam stabiliant, ab Actorum redactore esse detorta, quin potius ex ipsis gestis eam thesin eundem derivasse.

Illud placet rationalistis. Qui cum negent revelationem vel Pentateuchum et Iosue iudicum aevo exstitisse, neque concedere possunt res ita tum actas esse, ut defectionem a foedere consequeretur gentilium oppressio, ad Deum conversionem per iudices liberatio. Uti apud reliquos populos, inquiunt, ita etiam apud Hebraeos res prosperas excipiebant adversae, sed harum nulla cum cultu Iahve neglecto evidens connexio; stragibus succedebant victoriae, non tamen poenitentia impetratae. Qui librum composuit, eam factis doctrinam « ad instar vestis militaris superinduit » (« eine darüber gezogene Uniform », *Wellh.* p. 241). At eam doctrinam non esse narrationi superinductam, sed ex ipsis antiquioribus documentis derivatam, ostendunt haec ipsa documenta, quae substantialiter talia sunt, qualia ex suorum auctorum calamis prodiere eandemque illam exprimunt doctrinam. Sume v. g. Gedeonis acta, cui ante omnia subvertenda obtingit ara Baal, exstruendum Iahve altare, variis signis fiducia additur, donec tandem ea ratione hostes aggredi iubetur, qua victoria non humanis viribus sed divino auxilio accepta sit referenda. Lege Debborae canticum. Attende in antiquioribus iisdem documentis frequentia, quae infra demonstrabimus, Pentateuchi et libri Iosue vestigia, quae sane eundem exstitisse evincunt. Num auctor doctrinam istam factis superinduturus, non ea potius proprio omnino calamo enarrasset, quo efficacius minorique detectionis periculo eam inculcaret? At ipsa iudicum historia, qualem ex documentis certaque traditione didicerat auctor, eam eius menti sponte obtruderat thesin, inculcaverat doctrinam. Historiam iudicum intelligo universim inspectam: fuerint iudices aliqui, qui quietis temporibus praefuerint, manserint aliqua idololatriae peccata impunita, sint aliquae de hostibus nulla praevia poenitentia reportatae victoriae. Fuerint haec et similia, qualia etiam cap. 17-21 appendix exhibet. Verum iudicum historia universim spectata, qualis documentis antiquis certaque traditione auctoris menti pandebatur, illam proclamabat thesin. Unum facile concesserim. Illa, quibus auctor

utebatur, documenta a piis religiosisque viris fuerant concinnata, qui in rerum eventibus divinam attenderent providentiam, eam iisdem narrandis clarius exprimerent, quibus illa non aeque clare manifestaretur, ea facilius omitterent. Sed num ea eventuum narrandorum ratio idem sonat, atque vestem illis superinduere, et non potius ex radice derivare fructus, ex causa effectus? Num viri pii a rerum narratione omnino excludendi? — Si Iudicum Acta eo revera animo, quem adstruit Wellh., contexta fuere, cur tandem vestis illius militaris sartor quaedam adhibuit, quae ad suum finem non ita conferrent? cur minores illos iudices adscripsit, quibus nihil, uti videtur, cum populi idololatria, oppressione, poenitentia commune? cur non illi eadem etiam veste militari induti in aciem producuntur? Additi fuere, inquit Wellh. p. 239, « quo iudicum numerus duodenarius impleretur ». O nudum atque barbarum militum genus! o sartoriae mentis rationalistam!

Cum igitur ex una parte apud omnes constet, eum, qui Iudicum Acta composuit, documentis antiquioribus esse usum, cumque ex altera parte plura eiusmodi documenta, antequam ab eo adhiberentur, in unum quoddam scriptum praevie coaluisse nullo efficaci argumento demonstretur, hinc nos infra singulas iudicum vitas seorsim examinabimus.

9. ACTORUM AUCTOR. — Assentimur *Smith* p. 118 statuenti : « Iudaeorum traditio librum Samueli attribuens certe vera est respectu temporis, probabilius etiam respectu auctoris, cui librum ortum assignat ».

Post *Rabbinos* et *Isid.* Samuelem auctorem defendere interpretes catholici plerique inde a saeculo decimo sexto, plures utique dubitanter. Nota prae ceteris *Lap.*, *Calm.*, *Bonfr.*, *Iahn* II. 190, *Welte* (ap. Herbst II. 1. p. 121 sqq.), *Kaulen* p. 182, *Vigouroux* (Manuel II. 46), *Zschokke* (Historia Sacra A. T., Vindobonae 1884, p. 178), *Clair* p. 8, *Cornely* (Introd. II. 1. n. 73). *Scholz* II. 282 librum ortum defendit primis annis Saül, *Herbst*, l. c. p. 120 ultimis annis Salomonis. Uti patet, non qui singulorum iudicum vitas scripserint quaeritur, sed quis vitas in unum, quod Iudicum Acta appellamus, scriptum congesserit. Quod Samuelem praestitisse, sequentes efficiunt rationes.

1) Auctor scripsit, quo tempore adhuc Iebusaei 1, 21 Hierosolymam obtinebant, ergo ante annum regni Davidis septimum, quo is arcem Sion eis 2 Reg. 5, 5 sqq. eripuit. Confirmari potest cum *Scholz* II. 281 argumentum, quod antiquitatum hodie peritissimi ut genuinum recipiunt *Iustini* (Histor. 18, 3) testimonium, saeculo circiter a. C. duodecimo primatum Phoeniciae eo a Sidoniis ad Tyrios transisse, quod rex quidam Ascalonis i. e. Philisthaeus Sidonem destruxerit. Subactis sc. iudicum aevo Hebraeis Philisthaei ipsam adorti sunt Phoeniciam. Iam tempore Davidis et Salomonis Tyrii indubie Phoeniciae primatum obtinebant, in libro vero Iudicum Phoenices constanter Sidoniorum nomine veniunt, licet Tyrus propius Sidone Hebraeis abfuerit ideoque de se videatur magis obvium fuisse, ut Phoenices a proxima sua urbe dicerentur Tyrii. Ergo exeunte iudicum aevo primatus ad Tyrios transiit scriptusque est noster liber. Cf. 3, 3; 10, 6, 12 (et vide etiam 18, 7. 28), qui textus ab ipso Actorum Iudicum collectore fuere adscripti, cuius igitur tempore Sidoniorum primatus aut perdurasse videtur, aut saltem recenti memoria hominum animis inhaesisse. — Per-

peram vero *Scholz* ib. etiam illud appellat, ex 1, 27 sqq. plures Hebraeorum civitates, quo tempore auctor scriberet, adhuc in potestate fuisse Chananaeorum, quos David aut certe Salomon subegerit libro iam edito. Verum cum illis textibus non uti v. 21 adscribatur « usque in praesentem diem » cumque, quod n. 13 ostendemus, Iud. 1 conditionem rerum describat, qualis exstiterit non exeunte sed incipiente iudicum aevo, hinc fieri potuit, ut eae civitates durante iudicum aevo subigerentur.

2) Auctor scripsit post editam Historiam Samuelis 1 Reg. 1-7, quae Samuelis iuventutem et acceptam ab eo iudicis dignitatem enarrat. Et quidem noster auctor scribebat, quo tempore haec iam evenerant, cum fuerint interitus Samsonis aequalia aut fere aequalia. Erant ea de se aptissima, quae Iudicum Actis insererentur : Acta erant iudicis omnium illustrissimi ; spectabant ad tertiam Actorum aetatem, quae 10, 7 de rebus Ammonitarum et Philisthaeorum agit ; ad felicem finem perducebant eam liberationem, quam 13, 5 *inceperat* Samson ; Philisthaica oppressio poena fuerat idololatriae ab Hebraeis admissae 1 Reg. 7, 3 ; Samuel 7, 4 poenitenti populo iudex et liberator concedebatur. Aptissima igitur atque libri Iud. rationi consonantissima : cur ergo Iudicum Actis non inserta ? Quia, inquit *Iahn* p. 188 et *Scholz* p. 282, quo tempore noster auctor scribebat, haec omnino erant recentia hominumque memoriae vividissime inhaerebant. At nunquam ea ratio auctores inspiratos a scribendo cohibebat : recentia scripsere Moyses, Iosue iique prophetae, qui regum acta concinnavere, maxime omnium ipse Samuel 1 Reg. 1-7 ; recens omnino erat Samsonis historia. Unica igitur probabilis ratio ea relinquitur, scriptorem Actorum Iudicum ab enarranda Samuelis Historia abstinuisse ideo, quod alio libro eadem iam scripta exstaret neque semel narrata repetere libuerit.

3) Quibus iam illud definitum habes, ortum duxisse nostrum librum intra id tempus, quo iudex factus est Samuel, et illud, quo regnum omnium tribuum accepit David. Plura nos docet Actorum *finis*. Est is, ut edocerentur Israelitae Dei in tolerandis intra terram sanctam gentilibus oeconomiam, atque poenis maximis populo pridem inflictis ab idololatria cohiberentur. Verum idololatriae periculum nec primis Davidis nec ultimis Saulis annis ita imminens erat. Laudabili enim zelo Saul 1 Reg. 28, 9 in superstitionem magorum, quae idololatriae intime copulatur, saevierat. Cf. *Cornely* II. 1. 219 c. Idemque in exterminandis intra terram sanctam gentilibus tantum abfuit, ut desidia deliquerit, ut potius excessu peccarit, 2 Reg. 21, 2 oppressis contra ius et foedus Gabaonitis. Ergo ante ultimos Saulis annos editus liber.

4) Atqui finis libri, quem explicuimus n. 2, non solum is est deterrere populum ab idololatria, sed insuper a iudicum administratione ad tempus a Deo provisa ad regnum instituendum tanquam oeconomiam perfectiorem Hebraeorum erigere animos. Iam is finis eccui tempori magis conveniebat, quam ei quod institutum in Saule regnum immediate aut praecessit aut consecutum est ? Immo praeferendum tempus *praecedens*. Noster quippe liber institutionem regni non quomodocumque respicit, sed brevi futuram *praeparat*. Regnum Deut. 17, 14 sqq. aliquando divinitus instituendum praemonstratum fuerat ; eius instituendi desiderio aevi iudicum Hebraei 8, 22 continuis malis lacessiti tenebantur. Regni apud nostrum quidem auctorem nulla mentio, qua regno instituto cur abstinuisset, equidem non video ; at iudicum oeconomiam tamquam ad tempus solummodo provisam propter peccata demonstrat, cumque in legentium animis gignit affectum, ut et idololatriae sincero odio et regni instituendi ardenti desiderio inflammentur. Quae melior regno instituendo praeparatio ? — Ceterum, quod moderni interpretes tantopere tamque haud raro intemperanter insistant proprietatibus sermonis in librorum aetate stabilienda aut impugnanda, placet h. l. pro confirmatione aliqua negativa adscribere verba *Eichhorn* p. 468 :

« Librum iterato pervolvi neque in sedecim primis capitibus ullum deprehendi momentum, ullam expressionem, ullum verbum, quo liber post Saulem ortus suggereretur. Immo in eo offendis expressiones, quae aevi iudicum propriae fuerint oportet. Ergo conscriptus liber, quando eae expressiones intelligebantur adhuc, exeunte sc. iudicum aevo aut incipiente Saulis ».

5) Illud *Iahnio* p. 190 concedimus, argumentis hucusque propositis id effici, aut Samuelem aut certe unum ex discipulis eius prophetis Acta Iudicum composuisse : sunt vero momenta plura, quae ipsum Samuelem suggerant auctorem. Primo omnino loco prostat antiqua Hebraeorum traditio Samuelem pronuntians auctorem, quam cum in definiendis tribus librorum Sam. auctoribus prophetis genuinam invenerimus nullaque h. l. efficax ratio excludat, ignorare nequaquam licet. Dein quae totum Iud. librum pervadunt et Iud. 2 fusius exponuntur ideae, Samuelis vel maxime propriae erant et ab eo constanter animo volvebantur. Duos confer locos omnino insignes. Prior 1 Reg. 7, 3 sq. refertur ad tempus, quo Samuel populum omnino prostratum ad poenitentiam agendam et hinc ad vindicandam libertatem exhortabatur. « Ait autem Samuel ad universam domum Israel dicens : Si in toto corde vestro revertimini ad Dominum, auferte deos alienos de medio vestri, Baalim et Astaroth, et praeparate corda vestra Domino et servite ei soli et eruet vos de manu Philisthiim. Abstulerunt ergo filii Israel Baalim et Astaroth et servierunt Domino soli ». Quem locum exponentes advertebamus, intelligendum esse non de singulari aliquo facto, sed de repetita pluribus continuo annis populi admonitione et successiva idolorum destructione. In solemni vero 1 Reg. 12, 7 sqq. regni institutione ita populum alloquitur Samuel : « Nunc ergo state, ut iudicio contendam adversum vos coram Domino de omnibus misericordiis Domini, quas fecit vobiscum et cum patribus vestris : quomodo Iacob ingressus est in Aegyptum, et clamaverunt patres vestri ad Dominum, et misit Dominus Moysen et Aaron et eduxit patres vestros de Aegypto et collocavit eos in loco hoc. Qui obliti sunt Domini Dei sui, et tradidit eos in manu Sisarae, magistri militiae Hasor, et in manu Philisthinorum et in manu regis Moab, et pugnaverunt adversum eos. Postea autem clamaverunt ad Dominum et dixerunt : Peccavimus, quia dereliquimus Dominum et servivimus Baalim et Astaroth ; nunc ergo erue nos de manu inimicorum nostrorum, et serviemus tibi. Et misit Dominus Ierobaal et Badan (Barac) et Iephte et Samuel, et eruit vos de manu inimicorum vestrorum per circuitum, et habitastis confidenter etc. ». Nonne haec ipsissima est doctrina Iud. 2 et hinc toto Iud. libro inculcata ? Cf. *Iahn* p. 1 90, *Cornely* l. c. En sensus, quos tot annis animo nutrierat, adhortationibus inculcaverat, ex perpensis iudicum actis conceperat atque confirmaverat Samuel. Earum adhortationum summarium edidit librum Actorum Iudicum. Factum Iud. 8, 22 recusatae a Gedeone regiae dignitatis, ex fine libri Iud. 2 explicato, nequaquam necessario erat narrandum ; at cur insertum fuerit, facile perspicies, ubi primum Samuelem libri auctorem fatebere ; sc. ipse (cf. 1 Reg. 8) acerrime defendebat, regem non mere a populo eligi, sed a Deo designari oportere.

Accipe alia, quae Samuelem auctorem confirmant. Erat is *tribus Iuda* homo. Accurate 1, 1-21 novit res Iudaeorum, aliarum vero tribuum 1, 22-36 perpauca eaque vix non omnia negativa (« non delevit ») : cf. dicenda n. 13. Adamussim ib. v. 36 describit Amorrhaeorum Iudaeis finitimorum fines, dum aliarum gentium fines non aeque accurate indicat. — Actorum Iudicum scriptor *documenta* collegit, quae in diversarum tribuum finibus exarata fuerant, imprimis domus Ioseph (Debbora, Gedeon, Abimelech, Iephte), Beniamin (Aod) et Dan (Samson) : facilius ceteris colligere potuit Samuel, qui constanter versaretur intra fines tribuum Ephraim

(Silo, Bethel) et Beniamin (Maspha), atque ipse domum haberet in tribu Iuda Danitis contermina, cuique iudici nihil eiusmodi documentorum inaccessum erat. — Tandem Actorum scriptor iis *argumentandi modis* delectatur, quibus etiam Samuel. Hic loca quaedam et nomina recenset tanquam eventuum ib. peractorum argumenta quaedam et monumenta : 1 Reg. 4, 21 nomen Ichabod; 7, 12 Lapis Adiutorii; 5, 5 morem in templo Dagon servari solitum; 7, 16 sqq. lapidem quemdam et mures aureos. Similiter noster auctor 2, 1. 5 nomen Bokim tradit tamquam monumentum conversionis populi; 6, 24 altare « Domini pax »; 11, 40 annuum pro filia Iephte planctum; 15, 19 nomen « Fons invocantis de maxilla »; 7, 25 nomina « Petra Oreb » et « Torcular Zeb », et alia quaedam minora, quae suis quaeque locis Commentario interspargemus.

10. ACTORUM CUM PENTATEUCHO ET LIBRO IOSUE NEXUS. — Tam Actorum collector Samuel quam singularum iudicum vitarum scriptores priorum librorum et gesta et textum noverunt.

Discutiebamus n. 6 et generaliori argumento refutabamus rationalistarum systema negantium, iudicum aevo exstitisse, quos nunc legimus, libros Moysis et Iosue, observatamve esse legem sacram ab iisdem libris inculcatam. Complendum superest istud argumentum, ut ex ipsa narratione Iud. 1-16 demonstremus, oppido notos fuisse iudicum aevo illos libros. Ubi duplici via incedere possumus. Prima, ut varios *eventus* iis libris narratos, *praecepta* iisdem promulgata, *instituta* iisdem stabilita, quorum in Actis Iudicum recurrit mentio, indicemus atque ex illis simul sumptis concludamus aevo iudicum exstitisse Pentateuchum et Iosue. Novit quippe Iud. liber Moysen et Iosuen, exodum aegyptiacam, foedus Sinaiticum, miracula in deserto facta, antiquam de Moabitis victoriam, divinas promissiones et comminationes, nazaraeorum consecrationem et alia. Quae si non seorsim singula, sed uno omnia contuitu contempleris, non poteris non fateri novisse Iud. libri auctorem Pentateuchum Iosueque librum.

Cuius argumenti vis plurimum augebitur, si ostendatur porro auctor non solum eorum librorum plurima facta et instituta novisse quae tandem cum ipsis illis libris antiquiora sint, aliunde etiam quam iis perlectis disci absolute poterant, sed tam saepe tamque exacte ipsis eorumdem verbis loqui, ut vel ipsum eorum *textum* prae oculis habuisse convincatur.

Quod totum argumentum pro lubitu contrahi potest aut extendi. Sufficit quippe demonstrare, ipsum Actorum Iudicum *redactorem* Pentateuchi librique Iosue et acta et textum novisse. Qui cum alius a Samuele non sit, demonstratio iam ex 1 Reg. 1-7 solide stabilita habetur, h. l. facili ope complenda. Complebis autem, ex Introductione (n. 15), ex divinis oraculis (2, 1-5; 6, 8-10; 10, 11-16), ex digressione (2, 6-3, 4) et generatim ex iis pericopis, quae indubie Samuelis sunt, collectis textibus iis, qui scriptorem evincunt Pentateuchi librique Iosue et acta et textum non ignorasse. Quod argumentum omnino est sufficiens. Quod si enim Samuel admittatur eos libros novisse, ergo non Iosiae tempore primum conscriptum est Deut., ergo nulla Iosuen inter et Samuelem iisdem libris caruere tempora, ergo non ad imitationem templi Salomonis effictum est Mosaicum tabernaculum.

At perficietur argumentum, si ad singulas Iudicum vitas accedentes, quas ab aliis editas collegit Samuel, illarum quoque *auctores* ostenderimus eorumdem librorum actorum atque textus haudquaquam fuisse ignaros. Quae quidem argumenti ratio in

aliis erit evidentior, in aliis infirmior. Vix quidquam ex Aodi et Abimelechi, plura ex aliorum actis derivabis. Erunt alia aliis certiora, illustriora. Quare non seorsim argumenti disiecta membra pensanda, sed in unum collecta ; atque ita praeter dubium efficietur, nullum fuisse a Iosue ad Samuelem tempus a Pentateuchi librique Iosue notitia alienum.

Singula suis locis suppleturis (cf. n. 15. 18. 20. 26. 29. 34. 40. 44) liceat nobis h. l. unum efficacissimum indicare argumentum, quo non Pentateuchus universim, non solae eius historicae narrationes et pauca quaedam praecepta et instituta, sed ipsi ritus cultus mosaici iudicum aevo cogniti fuisse saltem mediate demonstrentur. Id enim contra adversarios praeprimis stabiliendum. Est autem argumentum hoc : *Novit Iud. liber librum Iosue : ergo novit et Pentateuchum.* Antecedens indubie probatur : cf. inter alia Iud. 1, 1 cum Ios. 1, 1, formulam « quievit terra » cum Ios. 11, 23 et 14, 15, Iud. 2, 6-9 cum Ios. 24, 28 sqq., Iud. 5, 20 cum Ios. 10, 13. Vis etiam argumenti facile perspicitur. Pentateuchi partes aliae sunt in narrandis eventibus, aliae in legibus tradendis. Rationalistis igitur Pentateuchum in plura dissecantibus documenta, si quae eventuum in eo narratorum vestigia in libro Iud. colligas, non efficis, quod perfracte impugnant adversarii, leges quoque et ritus mosaicos iudicum aevo esse observatos. At nihil istiusmodi in libro Iosue locum habet, continua praeter ea capita, quibus singularum tribuum fines describuntur, narratio, cui tamen praecipua quaeque cultus mosaici elementa inserta sunt : pontifex, tabernaculum, arca, volumen legis etc. Ubi igitur demonstraveris, iudicum aevo Hebraeis notum fuisse librum Iosue, demonstrasti item notum fuisse Pentateuchum, et quidem etiam ea quae legis civilis et caeremonialis sunt.

11. Introductionis ambitus. — Aliquam libri partem introductioni tribui nemo negavit, plurimi asseruere.

Aetate ceteris praeit *Lyr.*, cap. 1 et 2 tribuens introductioni. Cui consentiunt *Ros.*, *Eichh.* p. 464, *Hengst.* p. 21, *Cassel* p. VIII, *Clair.* Paulo extendunt introductionem *Malv.* (ad 2, 8) 1, 1-3, 7; *Keil* p. 177, *Auberlen* p. 536, *Vigouroux* (Manuel II. 44), *Kaulen* p. 180 sq. 1, 1-3, 6. Contrahunt *Calm.* (ad 2, 1) 1, 1-2, 8; *Bertheau* et *Reuss* p. 337 1, 1-2, 5. — *Ser.* p. 8 introductionis nomine abstinens priori parte 1, 1-3, 8 asserit describi « Israelitarum statum a Iosue morte ad primum iudicem Othonielem », altera parte 3, 9-16, 31 eundem « ab hoc usque ad paenultimum iudicem Heli ». Tandem *Bertholdt* p. 875 declarat 1, 1-2, 5 et 2, 6-16, 31 esse duo fragmenta distincta inter se neque cohaerentia.

Aliqui etiam subdividunt. Et *Lyr.* quidem : « Primo in brevi tangitur populi transgressio; secundo transgressionis reprehensio in principio cap. 2; tertio materiae huius libri praelibatio » (2, 6 sqq.). *Eichh.* cap. 1 ait narrari factum, quomodo Chananaei fuerint tolerati, cap. 2 eius facti sequelas adumbrari. *Keil* 1, 1-2, 5 affirmat recenseri facta, quae in iudicum historia supponantur, 2, 6-3, 6 eandem historiam generaliter adumbrari. *Kaulen* 1, 1-2, 9 censet exponi Israelitarum ineunte iudicum aevo res; 2, 10-3, 6 internas rationes, quibus Deus eo aevo gentem electam gubernaverit.

Nos solum cap. 1 introductioni tribuimus.

Nota, quod in Prolegomenis monuimus, sequentem iudicum historiam in tres distribui aetates, quarum prima iudices antiquiores (Othoniel, Aod, Samgar, Barac, Debbora) celebret, secunda fata domus Gedeonis enarret, tertia a communi (cf. 10, 7) exordio progressa Iephtae et Samsonis acta evolvat. Iam tertia aetas 10, 11 sqq. ab alloquio orditur a Deo per prophetam ad Israelitas directo; similiter secunda 6, 8 sqq.; unde cogimur inferre, divinum item alloquium 2, 1-5 primae aetatis narrandae initium facere. Ergo introductio stricte dicta cap. 1 absolvitur. Idque eo confirmatur, quod reapse, 2, 6-10 narratione cum praecedentibus actis Iosue connexa, 2, 11 sqq. iam ipsa de iudicibus narratio generaliori utique modo exordiatur. Verum non tam accurate atque nostratum disponitur Hebraeorum narratio; unde neque mireris, post introductionem cap. 1 atque post inceptam iam 2, 1-5 primae aetatis narrationem, rursum a recto narrationis tramite auctorem deflectere atque 2, 6-3, 4 generali quodam conspectu totam iudicum historiam perstringere. Quae pluribus interpretibus occasio fuit introductionis usque ad cap. 3 producendae.

12. Introductionis synopsis. — Introductio cap. 1 *in duas* secernitur *partes* : v. 1-20, v. 21-36; quarum prior gesta tribus Iuda (cum Simeon) enarrat, altera de reliquis agit tribubus. In quibus illud constanter effertur, quomodo in singularum finibus aliqui Chananaei fuerint

relicti : in Beniamin Iebusaei, alibi Neo-Luza, in Manasse civitates quinque, in Ephraim Gazer, in Zabulon civitates duae, in Aser civitates septem, in Nephthali civitates duae, in Dan tractus sat amplus. Simile quid de Iuda edicebatur v. 19 : « nec potuit delere habitatores vallis ». Ergo in hoc est nostrum caput, ut stabiliat factum, cui totus superstruitur liber, post terrae sanctae occupationem relictos esse in illa alienigenas haud paucos. Neque tamen his capitis nostri universa ratio explanatur : siquidem prior eius pars (v. 1-20) fusius enarrat, quomodo Iuda Simeoni iunctus fines sibi a Iosue assignatos sub potestatem redegerit.

Quae ut clarius perspiciantur, attendere oportet, quousque priores s. libri narrationem perduxerint. Atque ex Num. 32 ; Ios. 1, 12 sqq. ; 22, 1 sqq. constat, tribus transiordanicas, Ruben sc. et Gad et dimidiam tribum Manasse, iam inde a Moysis tempore suas obtinuisse sedes, unde toto nostro capite non est de illis sermo, sed de solis tribubus cisiordanicis. Traiecto Iordane, subactis urbibus Iericho et Hai Gabaonitisque in deditionem receptis, Iosue Galgalis sedem fixit atque inde expeditiones duas magnas suscepit, alteram Ios. 10 meridiem, alteram Ios. 11 septentrionem versus : ex utraque 10, 43 ; 14, 6 Galgalam se recepit. Capite vero 12 concluditur narratio bellorum Iosue, quaeque inde ad finem libri narrantur, solam terrae sortitionem respiciunt. Hinc patet, superstite Iosue, singulis quidem tribubus suos esse assignatos fines, nequaquam vero ab illis occupatos ; videntur hae tum maxime loca circa Galgala, Silo et Sichem incoluisse (Ios. 14, 6 ; 18, 1 ; 22, 12 ; 24, 1).

Itaque, demortuo Iosue, prima tribus Iuda Simeoni iuncta fines sibi assignatos integros occupare aggressa est. Cui in ipso expeditionis exordio occurrit Adonibezec rex, cuius clades, cum ob viri insignem potentiam (Iud. 1, 7), tum ob quamdam, uti videtur, cum Iebusaeorum urbis excidio, rationem silentio praeteriri non poterat. Quo devicto, reliquum expeditionis compendio traditur v. 9 : « Et postea descendentes pugnaverunt contra Chananaeum, qui habitabat in montanis, et ad meridiem, et in campestribus » ; i. e. expeditio a montanis Iuda progressa est ad tractum meridionalem Negeb (quem tota etiam tribus Simeon occupatura erat), et inde ad « campestria » seu Sephelae planitiem. Re compendio indicata ad particularia descenditur. Narratur capta Hebron, Calebo ex divina promissione tribuenda ; capta item Dabir, Othonieli primo iudici futuro ex Calebi promissione concedenda ; narrantur assignatae sedes Cinaeis a Moyse promissae ; narratur Sephaath ex voto in deserto suscepto penitus exstirpata. Igitur s. auctor, in describenda tribus Iuda expeditione, id nobis inculcare studet, in terra promissa occupanda omnes priores impletas esse promissiones et minas : in primo Iud. capite veritatem historicae narrationis, libris Num., Deut. et Ios. traditae, omnino supponit. Ea vero divinae fidelitatis inculcatio optime convenit exordio libri, in quo constanter numen exhibetur, et desidibus praedictas poenas inflixisse, et poenitentibus promissum praestitisse auxilium.

13. INTRODUCTIONIS AUCTOR. — Primum igitur caput cum adamussim fini sequentis narrationis adaptetur, censemus ab ipso eiusdem *auctore Samuele* esse concinnatum.

Idipsum confirmant verba v. 21, habitasse Iebusaeum in Ierusalem « usque in praesentem diem ». Insuper caput auctorem prodit e tribu Iuda. Quae eam tribum spectant, et omnia novit accurate et narrat perlibenter, tam facta quam dicta. Captae quoque Bethel adiuncta accurate novit, quod ea urbs a finibus Iuda haud longe absit et ob loci sanctitatem a tribus Iuda hominibus frequenter fuerit adita. De reliquis tribubus tantum generaliora quaedam comperta habet : « fecit eos tributarios », « aggravata est manus domus Ioseph » ; et ea plerumque negativa, « non delevit ».

Licet Samuel auctor capitis affirmatur, disceptari tamen potest, cui aevo rerum conditio descripta respondeat, utrum aevo Samuelis, ut conspectus detur eorum locorum, quae exeunte iudicum aevo gentiles obtinuerint, an ei tempori, quo fere incipiat historia iudicum. Hoc alterum veri similius. Etenim, uti diximus, factum hoc capite exponitur totius historiae iudicum fundamentale, quod ergo initio eius historiae fere absolutum fuisse oporteat. Dein v. 18 sq. tempus describit, quo quidem urbes Philisthaeae Iudaeis paruere, Chananaei vero curribus falcatis Sephelam obtinebant, Philisthaei quippe eiusmodi curribus nunquam videntur esse usi. At toto iudicum et sequente tempore Chananaeorum ibidem nulla unquam mentio, urbes illae Philisthaeae regionis principes ne a Samuele quidem, Saule aut Davide fuere subactae. Describitur ergo rerum conditio tempore aliquo antiquiore, quo primo impetu Iudaei urbes Philisthaeis eripuerint, Chananaeis planitiem obtinentibus ; haud ita diu post Philisthaei et Iudaeos et Chananaeos eiecere (*Kaulen* p. 183). Bethel v. 22 brevi post mortem Iosue captam esse oportet, quod ibi 20, 18. 26 sq. fuerit arca, Phinee adhuc pontifice. Danitarum per domum Ioseph 1, 35 liberatio debuit esse temporibus Samuelis, immo Samsonis antiquior. Ergo neque *Ewaldo* II. 462 concedimus, describi rerum conditionem durante altera dimidia aevi iudicum parte.

14. Introductionis fontes. — Plura ex nostro capite fere ad verbum leguntur in prioribus libris : sic tota v. 10-15 de Caleb et Othoniele narratio Ios. 15, 13 sqq. ; nomen Horma v. 17 cuidam loco impositum iam legebas Num. 21, 3 ; animadversiones v. 27 sq. et v. 29 habes item Ios. 17, 11 sqq. et 16, 10. Unde *Rhab.* ad v. 28 : « Iam tale quid », inquit, « dictum est in libro Iesu Nave paene ipsis verbis : proinde aut hic per anacephalaeosin dicitur, aut illic per prolepsin dictum est, i. e, aut hic recapitulando, aut illic praeoccupando ». Et *Walafr.*, animadversionem perperam versui 34 adnectens : « Hoc autem in libro Iesu Nave praeoccupando memoratum est, hic autem recapitulando ». Singula perpendamus.

v. 10-15 ita concordat cum Ios. 15, 13-19, ut evidens sit, eundem utrimque textum describi, hincque eosdem eventus narrari : non est sane censendus Othoniel bis nupsisse Axae, neque Axa bis iisdem verbis eundem agrum a patre impetrasse. Quaeritur iam, acciderintne haec Iosue superstite an defuncto. Accidisse eo superstite censuit *Calm.*, narrationem vero h. l. repeti « occasione victoriarum, quae a tribu Juda relatae sunt ». Durum id videtur, cum nostra narratio tota sit historica, exordiatur v. 1 a verbis « Post mortem Iosue », neque levissimum exhibeat vestigium inversi gestorum ordinis. Verius igitur *Aug.*, *Rhab.*, *Rup.*, *Ser.*, *Bonfr.* aliique censent, eadem gesta Ios. 15 « per prolepsin » narrari ; occasione sc. ibidem sumpta pro-

missae a Iosue Calebo Hebronis urbis, narrari eius urbisque Dabir excidium, longiori nonnisi tempore post effectum. Nota, quod diximus, inde a cap. 12 librum Iosue non in gestorum narratione versari, sed in singularum tribuum finibus describendis, ubi aliqua facta proleptice commemorari, nihil omnino est quod vetet. Neque obiicias, Ios. 14, 6 sqq. Calebum fuisse octoginta quinque annorum, quando a Iosue Hebronem possidendam expetierit, neque probabile videri diu expeditionem contra Hebronem distulisse. Nam quo tempore vitae Iosue id Caleb expetierit, quot omnino annis Iosue praefuerit, et hinc quot annos expeditionem Caleb distulerit, ignoramus; fortasse brevi tantum concessae Hebroni Iosue supervixit. Sicut ante exspectaverat Caleb, donec urbs sibi a Moyse iam attributa a Iosue sibi possidenda confirmaretur, ita confirmatam expugnare distulit, donec sua tribus divino oraculo Iud. 1, 2 ad bellum prodire iuberetur. Ei autem expeditioni ducendae par fuisse omnino censendus est ille senex, qui Ios, 14, 10 sq. dixerat : « Hodie octoginta quinque annorum sum, sic valens ut eo valebam tempore, quando ad explorandum missus sum. Illius in me temporis fortitudo usque hodie perseverat, tam ad bellandum quam ad gradiendum ». Neque tandem obstat, Hebronem unam esse e civitatibus refugii, neque credi posse Iosuen urbem nondum subiectam designasse, quo fugitivi concederent : cur enim melius habuerit Iosue fugitivos, quam tribus et sacerdotes, quorum plures urbes diu in gentilium potestate perseveravere ?

Num. 21, 1-3 narrantur Israelitae Moysis tempore a rege Arad esse devicti; voto se obligant Deo : « Si tradideris populum istum in manu mea, delebo urbes eius »; victoriam adepti subvertunt urbes, unamque vocant Horma i. e. anathema. Iud. 1, 17 urbs Sephaath deletur eique nomen Horma imponitur. Dicamus cum *Bonfr.*, votum sub Moyse editum nonnisi mortuo tandem Iosue impletum esse, eius vero impletionem Num. 21 proleptice narrari.

v. 27-29 sermo est de Chananaeis in pluribus urbibus Manasse et Ephraim toleratis : idem repetitum habes Ios. 17, 11 sqq.; 16, 10. Verum his locis non est narratio stricte historica, sed, descriptis finibus et civitatibus singulis tribubus concedendis, ad calcem adscribuntur eae civitates, e quibus Chananaei non fuere expulsi, quin inde concludere liceat, eam Chananaeorum reliqua regione subacta tolerantiam iam superstite Iosue initium sumpsisse.

Horum igitur trium locorum duplex fingi potest origo. Aut a Samuele primum tamquam libri Iud. partes conscripti fuerunt et dein ab aliquo, fortasse ab ipso Samuele, libris Ios. aut Num. inserti; aut a Samuele e scripto aliquo antiquiore, ipso tamen Iosue scripto recentiore, deprompti. Illud probabilius.

Breviores duos locos paucis expediamus. Cum Iud. 1, 17 contextui optime consonet, immo ab eo exigatur, dum Num. 21, 1-3 sit adiectitium, ergo Samueli potius auctori ea verba attribuenda. Idem dic de v. 27-29 cum Ios. 17, 11 sqq. et 16, 10 collatis : uno quippe calamo conscripta sunt v. 27-29 et v. 30 sqq., oportebit igitur totam alteram nostri capitis partem alii quam Samueli tribuere auctori, cuius sufficiens ratio non apparet.

Pericope v. 10-15 Samuelis esse auctoris sequentibus suadetur rationibus. Intime contexta est sequenti iudicum narrationi : aeque enim praeparat illa narrationem de Othoniele iudice, atque v. 16 praeparat Cinaeorum 4, 11 mentionem (*Bertheau*). Eadem, quod supra ostendimus, intime contexta est nostro cap. 1, tribus Iuda expe-

ditiones geographica serie describenti, ut, si eam affirmaveris alius esse auctoris, cogaris fere totam pericopen v. 4-20 Samueli abiudicare et alteri cuidam attribuere auctori : sed auctores non sunt multiplicandi sine ratione, neque faciliores nos esse oportet in s. narratione in frusta concidenda. Immo, si gestorum Othonielis initium scripto aliquo antiquiore referebatur, idem sane etiam referebat eius de Chusan victoriam : atqui hanc 3, 8-10 Samuel non aliunde mutuatur, sed suis verbis narrat; utitur quippe iis solis generalioribus expressionibus, quae collectoris nostri libri sunt propriae. Ergo eiusmodi scriptum antiquius non demonstratur.

Contra quae suggerat quis forte, agi v. 10-15 de rebus diu ante Samuelem gestis ; fuisse autem apud Hebraeos moris insigniora gesta scriptis recondere, exemplo constat cum Iosue tum eorum, qui singulorum iudicum acta scripsere in nostrum librum collecta. Quid veri similius, quam Calebi quoque et Othonielis acta scriptis esse consignata ? quid obvium magis, quam ex illis scriptis a Samuele esse transsumpta ? Praeterea Calebi et Axae non gesta solum sed ipsissima verba referuntur, quod supponere videtur, mature ea scriptis esse mandata. Tamen, ut ab hoc postremo respondendi initium faciamus, verba illa referuntur ad unum aliquem determinatum agrum possidendum, cuiusmodi inter agricolas vel sola traditione orali longissimo tempore accurate praeservari consuevere. Quae vero praecedunt v. 10 sq., sunt perquam ieiuna ideoque sola item traditione sat facile conservanda. Calebine et Othonielis gesta scriptis Samuele antiquioribus expressa fuerint, nescimus. Fuere utique apud alias quasdam tribus, qui heroum gesta conscriberent : num necessario etiam apud tribum Iuda, quae a reliquis segregatior degebat, gregibus pascendis potissimum intenta ?

15. Introductionis cum Pentateucho et libro Iosue nexus.

Ipsa prima verba « Et factum est post mortem Iosue » (*Hebr.*) imitantur prima libri Iosue verba (*Cassel*) « Et factum est post mortem Moysi » ; simulque nexum efficiunt cum Ios. 24, 29 sqq. narratis « Et post haec mortuus est Iosue etc ». « Exhibent ea librum Iud. tamquam unum de serie eorum librorum, qui continua narratione res a creatione mundi ad captivitatem incolarum regni meridionalis referunt » (*Bertheau*). — Iudae v. 2 primae partes assignantur, uti iam Num. 2, 3; 7, 12; 10, 14 et antea Gen. 49, 10 in vaticinio Iacobaeo. Phrasis v. 2 « Ecce tradidi terram in manus eius » frequens est in antiquioribus libris : cf. Deut. 1, 8; 2, 24. 31; 20, 13; Ios. 6, 2; 8, 1. — « Orditur », inquit *Reuss* p. 338, « narratio ab introductione didactica, quae clare supponit notam aliquam narrationem actorum Israelis usque ad occupatam terram sanctam ideoque (2, 6 sqq.) verba Ios. 24, 28-31 repetit ». — Expeditiones tribus Iuda antiquiores quosdam eventus respiciunt : capitur Hebron Ios. 14, 13 Calebo attributa; destruitur Horma Num. 21, 3 anathemati devota; sedes Num. 10, 32 Cinaeis promissae iisdem assignantur; immo Iud. 1, 20 explicite ad Moysen provocat, sc. ad Num. 14, 24; cf. Ios. 15, 13. — Iud. 1, 22-36 omnino supponit eos, qui Ios. 13-21 singulis tribubus assignati fuerant fines. Ibidem tribuum trans flumen incolentium nulla habetur mentio ob eam sane rationem, quod eae iam Moysis et Iosuae tempore Num. 32; Ios. 1, 12 sqq. ; 22, 1 sqq. suas narratae sint obtinuisse sedes. Quodsi enim Introductionis auctor solam sequentem narrationem prae oculis haberet, doceret nos h. l. quorsum transiordanici gentiles e suis finibus excluserint, quod tam multa tamque illustria iudices (Gedeon, Iephte, Iair) trans flumen gesserint. — Igitur hanc Introductionem totam cum Pentateucho et specialissime cum libro Iosue connecti, praeter omne dubium constat.

COMMENTARIUS

a) ACTA TRIBUUM IUDA ET SIMEON. — IUD. 1, 1-20

ARG. — Mortuo Iosue tribus Iuda oraculo iubetur prima contra Chananaeos ascendere, adiunctaque sibi tribu Simeon regem Adonibezec vincit, Hierosolymam occupat atque, meridiem versus progressa, Hebronem Calebo, Dabiram Othonieli concedit, Cinaeis foedere iunctis sedes assignat, Simeonitide potitur, Philisthaicam tamen planitiem gentilibus eripere non valet.

CAP. I v. 1 « *Post mortem Iosue consuluerunt filii Israel Dominum, dicentes : Quis ascendet ante nos contra Chananaeum, et erit dux belli* »? Expeditionis occasio enarratur. — *Hebr. consuluerunt in Domino,* LXX *per Dominum,* quae expressio utique (*Ros.*) « peculiaris est de consulendo *oraculo* », cf. 18, 5; 1 Reg. 10, 22. Merito etiam cum *Procop.* inferes, petitum esse oraculum *prope arcam*; id enim suadet similis eventus 20, 18. 23. 27, nec aliud facile centrum imaginaberis, quo Israelitae confluxerint. Merito porro cum *Ios.* adstrues, petitum esse *per pontificem*, ope sc. *Urim et Thummim* (*Bonfr.*), ea quippe legitima ratio erat consulendi Dei.

Ex Iud. 2, 6, quem locum infra exponemus, ansam sumpsit *Seb. Schmidt* negandi, eam consultationem habitam esse *post* obitum Iosue; et *Cler.* textum ita explicat : « Post mortem Iosue respiravit Chananaeus. Eo vivente sciscitati fuerant Israelitae etc ». « Quam tamen sententiam ut tuearis, vim summam verbis scripturae inferas necesse est » (*Calm.*). Quo argumento interpretamentum illud conficitur. Sed acrius illud impugnans *Schnurrer* (ap. Ros.) affirmavit, superstite Iosue Deum semper nec consultum, sponte locutum esse (cf. Ios. 1, 1; 3, 7; 4, 1. 15; 5, 2. 9. 13; 6, 2; 8, 1. 18; 10, 8; 11, 6; 13, 1; 20, 1), ergo vel solo « consulendi » verbo innui, rem defuncto Iosue actam esse. Non cogit ratio, potuit enim ex diversorum auctorum diverso loquendi more fieri, ut alter potius uteretur verbis « consuluerunt Dominum », alter iisdem abstineret. Instat *Bertheau*, expressionem hebr. « consulere in Domino » ideo non reperiri in Pentateucho et Iosue, quod exclusive referatur ad pontificem Deum per Urim consulentem, qui modus numinis consulendi, superstitibus Moyse et Iosue, superfluus fuerit neque usuvenerit. Quod factum gratis asseritur, et latiorem expressioni competere sensum evincit 1 Reg. 28, 6 : « Consuluitque Dominum, et non respondit ei neque per somnia, neque per sacerdotes, neque per prophetas ». Per Urim consultus Dominus non respondebat per somnia vel prophetas, sed per ipsum Urim pontificis. — Absurde copulam premit *Cassel*, sic vertens : Iosue *vix* mortuo, *illico* consuluerunt Israelitae.

Hebr. Quis ascendet nobis — ita reliqui, et quidem melius, ubi *Vulg. ante nos*; est dativus commodi — *ad Chananaeum in princi-*

pio, ut pugnemus cum eo? Chald. primus, Syr. primo loco, LXX ἀφηγούμενος τοῦ πολεμῆσαι, *Vulg. et erit dux.* « Subiuncta exsecutio manifestat sensum petitionis », inquit *Cai.*, et explicat *Bonfr.*, non peti hic ducem aliquem expeditionis, nullus quippe de facto designatur dux neque id locutio hebraica evincit, sed quis sive quae tribus post annorum plurium quietem et pacem bellum hoc renovare inciperet in suae sortis possessione. Ceterum in eundem sensum interpretari *Vulgatam* fas est : « dux enim », inquit *Ser.*, « duobus modis dicitur : Primo, qui alios ducit, et quidem cum imperio ac potestate; secundo, qui ducit exemplo, suasu vel alio quocumque modo, absque imperio ac potestate, quemadmodum qui alicui praeit, latine dicitur dux et auctor alicuius rei esse ». v. 2 « *Dixitque Dominus : Iudas ascendet* ». Cur prae ceteris Iuda? Adverte, in tractu ei tribui assignato valentissimas floruisse Chananaeorum et Philisthaeorum civitates : intererat igitur plurimum, ut is tractus occuparetur primus, et ita hostium frangeretur robur. Quodsi porro quaeras, cur is talisque prae ceteris tractus tribui Iuda praevie a Deo fuerit assignatus, cum pluribus interpretibus benedictionem Gen. 49, 8 sqq. appellabis, vi cuius item Deo disponente factum est, ut tribus Iuda reliquas omnes numeris excederet (Num. 1, 27; 26, 22), et iam in deserto agmen duxerit (Num. 2, 3; 7, 12; 10, 14). Addit aliam rationem *Bonfr.* : « quia ex hac tribu nasciturus erat Christus, qui spirituales hostes nostros erat debellaturus; eius belli symbolum ista cum Chananaeis bella gesta exstitere ». « *Ecce, tradidi terram in manus eius* ». *Terra* ea latitudine intelligatur oportet, qua v. 1 *Chananaeus*. Agebatur utique de Chananaeo universim debellando, et de terra promissa universim occupanda : singulis tamen tribubus id tantum efficiendum obtigerat, ut Chananaeum ex tractu terrae sibi assignato exterminarent. Expressiones de se universales contextu limitantur.

v. 3 « *Et ait Iudas Simeoni, fratri suo : Ascende mecum in sortem meam, et pugna contra Chananaeum, ut et ego pergam tecum in sortem tuam. Et abiit cum eo Simeon* ». Prov. 18, 19 : « Frater, qui adiuvatur a fratre, quasi civitas firma ». « Fratres erant Iudas et Simeon non ex eodem patre dumtaxat, sed etiam ex eadem matre Lia. Peculiaris tamen fuit ratio hunc potius, quam ullum ceterorum, in belli societatem adsciscendi, quia Simeonis sors Iudae sorti erat conjuncta, immo Simeon in tribus Iudae sortem primo descriptam, quod iusto amplior esset, irrepserat » (*Bonfr.*).

Ducem expeditionis exstitisse Caleb, quem v. 12 ducis partes agentem deprehendimus, veri simillimum est. « Et, quemadmodum ipse in bello suae tribui

praefuit, ita habuerunt et reliquae tribus suos in bellis duces contra Chananaeos, qui adhuc in eorum supererant sorte » (*Bonfr.*). Cur vero Caleb non appelletur iudicis titulo, quaeris ? Minus placet ratio *Bonfr.*, quod unicae tribui praefuerit, nam posteriores quoque iudices non omnibus singuli tribubus praefuere. Sed nota, neque Aod neque Samgar 3, 15-31 eo titulo in s. textu ornari, licet utique iudices fuerint; insuper non eodem semper, quo ipsa officia, nascuntur tituli dic.

Acta contra Adonibezec et Hierosolymam. — iud. 1, 4-8

v. 4 « *Ascenditque Iudas, et tradidit Dominus Chananaeum ac Pherezaeum in manus eorum, et percusserunt in Bezec decem millia virorum* ». Prima est expeditio in Bezec et in Ierusalem v. 4-8; belli summam enuntiat v. 4, dein ad particularia quaedam v. 5 sqq. descendunt (*Keil*). Gentes illae in prioribus libris iterato nominantur; earum aliarumque sedes descriptas habes Num. 13, 30; Ios. 11, 3. Iam Gen. 13, 7 ; 34, 30 universi incolae regionis postmodum tribui Iuda assignandae nomine Chananaeorum et Pherezaeorum exprimuntur : unde concludere fas est, has duas gentes numeris ib. omnino praevaluisse. — Locus quidam *Bezec* 1 Reg. 11, 8 commemoratur, videturque is alicubi inter Gabaam Saulis et inter Iabes Galaad fuisse situs; erantque teste *Onomast.* duae eius nominis villae vicinae inter se, septem horarum itinere distantes a Sichem, Bethsean versus. Dubium facit, quomodo tribus Iuda de Silo profecta Iudaeam versus, devenerit in illud Bezec tribus Issachar. Sed adverte, ignorare nos, unde profecta sit tribus Iuda : licet enim in Silo Dominum consuluerit, ib. universam tribum fixisse sedes haud constat. Ignoramus pariter, eademne quae 1 Reg. 11, 8 h. l. Bezec intelligatur. Id unum constare videtur, expeditionem a septentrione meridiem versus processisse, siquidem ex loco aliquo tribus Ephraim devenerint in Bezec et Ierusalem, inde in Hebron, Dabir, Arad, Sephaath, quibus usque ad Philisthaeam peragratis v. 19 « possidebat Iuda montana ». Eritne igitur ipsa Bezec quaerenda, non in planitie Iordanem versus, sed in montanis sive tribus Iuda (*Cler.*), ergo ad meridiem Ierusalem, sive tribus Beniamin vel Ephraim ? Licetne ex mentione v. 7 facta urbis Ierusalem concludere, haud longe ab ea urbe abfuisse Bezec? Rem in dubio relinquimus. Ex verbis v. 3 « Ascende mecum in sortem *meam* » non sequitur per se, fuisse Bezec intra fines tribus Iuda, sed fuisse inter locum, ubi Iuda ad bellum profecturus ea verba prolocutus est, et inter loca, ad quae postea Iuda progressus est.

v. 5 « *Inveneruntque Adonibezec in Bezec, et pugnaverunt contra eum, ac percusserunt Chananaeum et Pherezaeum* ». v. 6 «*Fugit*

autem Adonibezec; quem persecuti comprehenderunt, caesis summitatibus manuum eius ac pedum ». Adonibezec in Bezec *inventus,* i. e. inopinato oppressus (*Clair*), et in fuga captus est : ex infelici proelio v. 4 in urbem, uti videtur, se receperat. Amputati pollices, id enim hebr. vox sonat Ex. 29, 20; Lev. 8, 23 sq.; 14, 17. 25. 28, ibique uti h. l. a LXX vertitur τὸ ἄκρον, dum inusitata vox *Vulg. summitatibus* de omnium digitorum extremis articulis intelligi erronee posset. Praecisi pollices ad pugnam pariter et ad fugam reddebant ineptum (*Sa*) : sic ludibrio habitus rex, iustam crudelitatis in alios exercitae poenam sumpsit.

Plures duce *Ios.* putavere, Adonibezec « commune nomen omnium regulorum illius civitatis » Bezec fuisse : cf. nomen Pharao. Possumus tamen illud cum *Mar.* pro nomine proprio accipere : cf. nomen proprium Adonisedec Ios. 10, 1. Ubi editio recepta LXX pro Adonisedec mendose legit Adonibezec : sunt autem illi duo reges inter se diversi, uti tota prodit narratio. — *Bonfr.* ex repetita v. 4 et 5 voce *percusserunt* colligit, duas diversas v. 4 et v. 5 exprimi Chananaeorum clades, priorem qua prope Bezec hostium decem millia occiderint, alteram qua victus et captus sit in Bezec rex et incertus hominum numerus interemptus. Malim unicam admittere cladem, solemne quippe est Hebraeis, totum primum eventum unica phrasi complecti, inde ad particularia descendere.

v. 7 « *Dixitque Adonibezec : Septuaginta* » — *Ios.* et pauci codices LXX *Septuaginta duo* — « *reges amputatis manuum ac pedum summitatibus colligebant sub mensa mea ciborum reliquias : sicut feci, ita reddidit mihi Deus* ». Reguli illi erant « vel diversorum omnes locorum domini, vel interdum eorumdem, sed quorum alii aliis successerunt » (*Menoch.*). Et addamus cum *Ser.* : « septuaginta i. e. quam plurimos ». Bello sane fuerant superati : « colligitur inde, haec intestina Chananaeorum bella viam fecisse victoriis Israelitarum » (*Ros.*). — Attende viri crudelitatem, non ex inflicto solum devictis hostibus cruciatu, sed ex oblectatione convivii tempore ex eorum mutilatione et ignominia percepta (*Ser.*) : canum quippe erat reliquias sub mensa colligere, cf. Matth. 15, 27; in hominibus supremae id erat miseriae, cf. Luc. 16, 21. Nomine *Deus* rex ethnicus id numen intellexit, quod sibi infensum esse putavit : perperam ex voce concludit *Ser.,* eum « ad unius Dei cognitionem fidemque veram transiisse ». « *Adduxeruntque eum in Ierusalem, et ibi mortuus est* ». *Cassel* putat, a suis adductum esse in urbem suam : at non erat moris, regem hostem tam crudeliter tractatum liberum dimitti. Eo igitur perductus est a Iudaeis, mox ad eius urbis oppugnationem progressis. v. 8 « *Oppugnantes ergo filii Iuda Ierusalem, ceperunt eam et percusserunt in ore gladii, tradentes cunctam incendio civitatem* ». Sensus obvius textus hic est, nunc post devictum Adoni-

bezec captam esse Ierusalem. Sane tota narratio v. 4-19 procedit ordine stricte historico et geographico : facta narrantur, quo ordine evenerunt, expeditio a septentrione gradatim ad austrum delabitur : vix igitur licebit, solum v. 8 ex hoc ordine tam uniformi eximere, nulla cogente ratione. Dicunt verba v. 8 construenda esse plus quam perfecto, quod prius oportuerit Ierusalem capi, quam eo adduceretur Adonibezec : at potuit is adduci primum ante urbem, dum ea obsideretur, dein intra eam, idque totum exprimi verbis « Adduxeruntque eum in Ierusalem ». Notat *Bertheau*, expressionem לפי החרב, *in ore gladii* constanter et fere unice usuvenire in pugnis Israelitarum contra Chananaeos et Amalecitas pariter delendos (Ex. 17, 16), a Genesi usque ad Iud. 19; postea de quibusdam aliis bellis adhiberi, quae priora illa feritate aequaverint (Iud. 20, 37. 48; 21, 10; 1 Reg. 22, 19; 2 Reg. 15, 14; 4 Reg. 10, 25).

Hebr. Absolute sic etiam verti potest : *Oppugnaverunt enim*, vel *oppugnaverant enim filii Iuda etc* (*Bonfr.*). At quando oppugnaverunt? Aliqui dicunt, Iosue adhuc superstite; sed gratis asseritur. Nam Ios. 12, 7 sqq. non narratur urbs Ierusalem capta, sed solum urbis rex esse devictus, cf. 10, 3 sqq., verba autem Ios. 15, 63 respiciunt non Iosue, sed ejus, qui eum scripsit versum, tempora. Tandem, quomodo id, quod Iosue duce vel certe auctore esset factum, h. l. simpliciter adscribi posset *filiis Iuda*? — Defendunt igitur alii, nonnisi Iosue defuncto expugnatam esse Ierusalem. Ubi rursum ambigi potest, fueritne expugnata ante vel post superatum Adonibezec, fueritne Bezec ad meridiem vel ad aquilonem Ierusalem, vertendumne sit verbum tempore perfecto an plus quam perfecto. Ceteris minus placet sententia *Cai.*, Ierusalem bis captam narrari, primum a Iosue, secundum a tribu Iuda. Non negamus, aliquas urbes bis esse captas, uti Hebron et Dabir v. 10 sq. et Ios. 10, 36 sqq., sed id in textibus de Ierusalem affirmari. Certe textus libri Iosue non evincunt, Iosue tempore captam esse Ierusalem; neque in poenam rebellionis nullo sufficienti argumento demonstrandae tradita fuit igni civitas h. l., id enim et alias fiebat (cf. Ios. 6, 24) et fere suggerebatur divinis mandatis Deut. 20, 12 sqq.

MONTANA JUDAEAE IN POTESTATEM REDACTA. — IUD. 1, 9-15

V. 9 « *Et postea descendentes pugnaverunt contra Chananaeum, qui habitabat in montanis, et ad meridiem, et in campestribus* ». Generalem haec praebent aspectum reliquae expeditionis; exprimuntur tres partes geographicae, in quas Palaestina australis dividebatur : regio montana Iuda Luc. 1, 39; Negeb seu tractus meridionalis Aegyptum spectans, ad tribum maxime Simeon pertinens; Sephela, quae vox 1 Mach. 12, 38 jam transierat in nomen proprium, i. e. planities Philisthaica. Quae expeditio sequentibus describitur per partes v. 10-15,

16 sq., 18 sq. (*Ser.*). Eundem tractum iam victor peragraverat Iosue 11, 16 : « Cepit igitur Iosue omnem terram montanam, et Negeb, terramque Gosen, et Sephelam etc ». — E loco montano *descenditur* ad alia loca, montana quidem, sed illo demissiora (*Cai.*). Vix aliunde *descendi* poterat in montana Iuda, praeterquam e Ierusalem; hinc confirmatur rursum sententia, captam esse eam urbem post devictum Adonibezec.

v. 10 « *Pergensque Iudas contra Chananaeum, qui habitabat in Hebron, cuius nomen fuit antiquitus Cariath Arbe, percussit Sesai et Ahiman et Tholmai* ». Narrantur gesta in montanis Iuda. Nomen Cariath Arbe derivatum esse ab Arbe, Enacitarum progenitore, docemur Ios. 15, 13; 21, 11, ubi eadem vocatur « urbs Arbe, patris Enac ». Ergo Cariath Arbe non significat « Tetrapolis », quod voluere *Rabbini*. Sesai, Ahiman et Tholmai tres erant Enacitarum tribus, Hebronis agrum incolentes, cf. Num. 13, 23 (22), procerae staturae. Ossa vidit *Ios.* : « Monstrantur », inquit, « etiamnum eorum ossa, in nullo iis, quae sub fidem veniunt, similia ». Ceterum id tantum h. l. defendere cogimur, urbi ante Calebum nomen fuisse Cariath Arbe; utrum ante Israelitarum in Aegyptum profectionem nomen eidem fuerit Hebron, cui postea ab Enacim suffectum ad tempus nomen Cariath Arbe (*Hengst.* 187 sqq., *Keil* ad Gen. 23, 2, *Smith* p. 435 sqq.), id ad Gen. 23, 2 discutiendum erit. Iudaeorum in Hebronem expeditionem eandem esse atque illam, de qua Ios. 15, 13-19, supra monuimus. Est alia ab ipso Iosue 11, 36 sq. contra Hebronem suscepta expeditio, quam perperam cum nostra confundebat *Cai.* : quas diversas esse patebit, ubi Ios. 11 cum 15 contuleris, nam nostra haec eadem est atque Ios. 15, et Ios. 15 certe alia est a Ios. 11. Ergone bis eadem urbe potiti Hebraei? Ita omnino, cf. *Calm.* — v. 11. « *Atque inde profectus abiit ad habitatores Dabir, cuius nomen vetus erat Cariath Sepher, (i. e. civitas literarum)* ». *Dabir*, urbs tribui Iuda adscripta Ios. 15, 49; 21, 15 (cf. 1 Par. 6, 58), levitis tributa, primum a Iosue 10, 38 sqq., secundo ab Othoniel h. l. et Ios. 15, 15 sq. capta, in montanis Iuda sita Ios, 15, 48, haud multum distans ab Hebron, quacum semper copulatur.

Duplex illi antiquitus nomen, Cariath Senna Ios. 15, 49 et Cariath Sepher, quod *Vulg.* secuta LXX interpretatur *civitas literarum ;* atque reapse ea interpretatio ita omnino erat e genio scriptorum Iudaicorum, ut juste mirareris, si ab illa proponenda abstinuissent. Cf. *Chald. urbs archivorum.* Verum, sitne eadem genuina, inquirendum. Ubi explodenda primum *Rabbinorum* tentamina, tria urbis nomina ad unam eandemque significationem revocare conantium et, inter alia, nomen Dabir e Persarum lingua derivantium. Haud improbabile videtur, in alterutro nomine Cariath Sepher aut Cariath Senna, latere nomen herois eponymi, ut ita dicta fuerit Cariath Sepher vel Cariath Senna a Sepher

(cf. *Malv.* ad Ios. 15) vel Senna, uti Hebron a parente Arbe dicebatur Cariath Arbe. Adde, Gen. 10, 30 haberi urbem Sephar, quam tamen nemo libris fuisse refertam affirmaverit; et de Sepharvaim seu Sippara Babyloniae monet Fr. Delitzsch (Wo lag das Paradies? Leipzig 1881, p. 210), nomen primitus fuisse Zimbir nihilque illi cum literis librisve esse commune. At, nonne *Beroso* auctore novimus, Sipparae ante diluvium scripta quaedam reposita fuisse, ut ea revera civitas esset literarum? Potuit tamen ipsum hoc factum Semitis ansam praebere, nominis Zimbir in Sipparam deteriorandi; potuit perantiqua de illis scriptis alicubi reconditis traditio urbi Sipparae sociari ideo, quod urbis nomen, licet aliunde omnino derivatum, tamen cum voce ספר « liber » quandam haberet affinitatem. Audacius igitur aliqui de archivis vel academiis urbis Cariath Sepher disserunt.

v. 12 « *Dixitque Caleb : Qui percusserit Cariath Sepher, et vastaverit eam, dabo ei Axam filiam meam uxorem* ». « Nihil enim, quod daret, aut maius aut carius habebat » (*Ser.*). Similiter Saul 1 Reg. 17, 25 filiam ei viro promisit, qui Philisthaeum prosterneret, David militare imperium ei se daturum spopondit 1 Par. 11, 6, qui in arcem Sion primus penetrasset. Cur simile bravium proposuit Caleb ei, qui percussisset Dabir? Ob eandem atque illi rationem, victoriae reportandae difficultatem (*Keil*) : videtur Dabir fuisse urbs munitissima. v. 13 « *Cumque cepisset eam Othoniel, filius Cenez, frater Caleb minor, dedit ei Axam filiam suam coniugem* ». Caleb Num 32, 12 dicitur « filius Iephone, Cenezaeus » : ergo Cenez inter avos Calebi numerabatur, Othoniel sensu tantum remoto frater erat Caleb : « Nomen fratris hic pro necessario propinquo usurpatum censemus » (*Calm.*). Ergo immerito versionem *Vulg.* affirmat *Calvin.* (ap. Ser.) omni carere excusatione. LXX vertunt *filius Cenez, fratris Caleb, minor*; tum adstruendus Cenez aliquis iunior, a Cenez Calebi avo diversus; et quis eius Cenez erit filius maior? Tandem verti potest « filius Cenez, fratris Caleb minoris » (*Sa*), quae versio etiam postulat Cenez aliquem Calebi, non avum sed fratrem. Versio Vulg. praeferenda. v. 14 « *Quam pergentem in itinere monuit vir suus, ut peteret a patre suo agrum* » fertiliorem aliquem, praeter eum ad urbem Dabir pertinentem (*Bonfr.*). « *Quae cum suspirasset, (sedens) in asino, dixit ei Caleb : Quid habes?* »

Hebr. Et factum est, dum iret ipsa, incitavit eum, ut peteret etc; similiter LXX ad Ios. 15, 19. Sed *Vulg.* et LXX (h. l.) legebant suffixum femininum *incitavit eam* : norat vir facilius petita obtineri per filiam, quam per generum. Secundum alteram lectionem Axa incitavit virum, ut peteret, eo vero renuente petiit ipsa (*Bonfr.*). Si quaestionem criticam seponas, utique lectio *Vulg.* ita rem exhibet actam, uti eiusmodi agi consuevere. Viri est, vel ipso nuptiarum die, de agro sollicitum esse; mulieris neonuptae est, in die nuptiarum insi-

gnem aliquem favorem a patre expetere, per se et non per virum. — *Hebr. dum iret ipsa. Vulg.* addit *in itinere,* sane idem exprimere volens, quod LXX ἐν τῇ εἰσόδῳ αὐτῆς, vel alia lectione ἐν τῷ εἰσπορεύεσθαι αὐτήν, Ios. 15, 19 ἐν τῷ ἐκπορεύεσθαι αὐτήν, i. e. in illo determinato itinere, quando e paterna domo in sponsi domum deducebatur (*Bonfr.*). « Opportunissimum vero fuit hoc petitioni tempus, quia in discedentes filios ac filias tenerrimi esse solent parentum affectus » (*Ser.*). — *Cum suspirasset sedens in asino : sedens* supplevit *Vulg.* Verbum צנח, praeter h. l. et Ios. 15, 18, solum occurrit Iud. 4, 21. *Chald. Syr.* reddidere verbo רכן, *inclinavit se de asino,* allocutura patrem peditem; qua eadem voce *Chald.* utitur Gen. 24, 64 de Rebecca, se de iumento inclinante ad interrogandum puerum (*Hebr.* ותפל, minus feliciter *Vulg. descendit;* certe nonnisi *post* auditum pueri responsum Rebecca descendit). Alium sensum exprimunt *Vulg. suspirasset* et LXX, et haec quidem duabus usa vocibus *murmuravit et clamavit.* Unde hoc? Antiquitus, uti videtur, scriba aliquis voci inusitatae ותצנח in margine adscripsit alteram ותצעק, *et clamavit,* quae inde e margine in textum irrepsit : utramque in suo exemplari hebr. legebat auctor versionis LXX, utramque transtulit. Murmurandi seu suspirandi significatio vel radicis צנח propria est, vel fortasse lectio ותצנח מעל corrupta est ex altera ותאנח מעל (*Cler*). vel ותנחם מעל. Ios. 15, 19 LXX tantum habent *clamavit.* Miras alii ex radice צנח eruerunt significationes : delapsa est, seu desiliit ex asino, defixit se supra asinum; putant *Ew.* II. 404 et *Cassel* subito simulasse lapsum, ut perterritus pater sciscitaretur : Quid habes? Ignorant muliebres artes interpretes isti. Finge nuptam ipso nuptiarum die e domo patris ad thalamum migrantem; insidet ipsa iumento, quod pater dirigit, ipse pedes; favorem expostulatura filia non descendit de iumento, non delabitur ex illo, non se defigit supra illud, sed paulum inclinata versus parentem suspirium trahit, tenuem murmurat vocem, gratiam impetrat.

v. 15 « *At illa respondit : Da mihi benedictionem ; quia terram arentem dedisti mihi, da et irriguam aquis* ». — LXX *Symm. irrigationem aquarum; Chald. Syr. locum irrigationis aquarum.* Plur. גלת certe connectitur cum voce גל *unda* quem sensum evidenter habet vox in Chald., a גלל *volvere.* « *Dedit ergo ei Caleb irriguum superius et irriguum inferius* ». *Benedictio* intelligitur donum (*Sa*). « Benedictio in scriptura non tantum pro fausta precatione ponitur. Etsi enim, qui bene vult alteri, si reipsa praestare non potest, saltem fausta sua precatione bonam suam voluntatem indicare soleat, esto ea voluntas defectu virium sit inefficax » (cf. 2 Reg. 13, 25) : « tamen cum vires adsunt praestandi, si sincere et ex animo alteri bene velis, non satis hanc voluntatem sola fausta precatione testaberis, sed eam efficacem reddideris reipsa ea bona praestando » (cf. 1 Reg. 25, 27. — *Bonfr.*). Regio tribui Iuda assignata partim erat deserta parumque fertilis, tamen Iudaei, duce Calebo, totam subiecerunt, dum aliae tribus in tractibus longe fertilioribus subigendis desidia deficerent (*Ew.*).

EXPEDITIO IN PLANITIEM PRODUCTA. — IUD. 1, 16-21

v. 16 « *Filii autem Cinaei, cognati Moysi, ascenderunt de civitate palmarum cum filiis Iuda in desertum sortis eius, quod est ad meridiem Arad, et habitaverunt cum eo* ». v. 16 sq. narrantur gesta in Negeb, *civitas palmarum* ex Deut. 34, 3; 2 Par. 28, 15 est Iericho, quod nomen *Chald.* in textu substituit. Cinaeis ducibus usi sunt Israelitae per desertum; qui, uti videtur, Ierichunte substiterant, donec tempus adesset, quae Num. 10, 32 promissa fuerant, recipiendi. Ii vel ab initio expeditionis Iudaeis et Simeonitis se iunxerant, vel nunc advocati accesserunt. Eorum nunc mentio facienda erat, quod reapse post captam Dabir et ante captam Sephaath regionem ipsis tribuendam Hebraei occupaverint. *Arad* civitas est in Negeb sita Num. 21, 1; 33, 40, ergo in meridionali parte tribus Iuda, nunc Tell Arad. Per eam definiendae h. l. erant sedes Cinaeorum, quod solo *deserto Iuda* non sufficienter definirentur, erat enim desertum aliquod Iuda inter montana et Mare Mortuum, a deserto Negeb diversum. — Probabilius vertendum : Filii autem Iether (?) Cinaei, soceri Moysi, ascenderunt de civitate palmarum cum filiis Iuda in desertum, quod est ad meridiem Iuda, descendentibus in Arad, et habitaverunt cum populo — vel : cum eis.

Obscurior textus. Pro *Hebr.* ובבי קני legebant LXX *Chald.* ובני יתר הקני, *filii autem Iether Cinaei*, cf. Ex. 3, 1; 4, 18. Ad minimum excidit articulus ante קבי; nomen יתר, si textui inerat, facile excidere potuit ob similitudinem cum sequenti חתן. — *Vulg. sortis eius* videtur esse corruptum : reliqui omnes legunt יהודה, ita ut haec vox *Iuda* bis in versu occurrat. Sed eam vocem alio non inepte loco legebant LXX, sc. pro *in desertum Iuda, quod est ad meridiem* (Arad), legebant *in desertum, quod est ad meridiem Iuda*, et ita hoc desertum clarius distinguitur ab eo, quod desertum Iuda appellari consuevit et est a parte Maris Mortui. Cf. 1 Reg. 15, 6. — Rursum voces ערד וילך, *Arad et ivit*, quarum altera (וילך) a *Vulg.* ignoratur et, dato עלך et וישב, revera abundat, inverso ordine et altera paulum mutata legebant LXX : וירדי ערד, *descendentibus in Arad*. — Tandem *Syr.*, sed forte minus feliciter, alia in fine utebatur punctatione : *et habitare fecerunt populum; Hebr. et habitaverunt cum populo*, ubi populum interpretabere aut priores incolas aut Iudam (*Calm.*). Quo artificio rabbinico inductus *Chald.* h. l. et alibi pro קני scribat שלמאה, explicat *Cassel*.

v. 17 «*Abiit autem Iudas cum Simeone fratre suo* », i. e. in eius fines ad illos occupandos, « *Et percusserunt simul Chananaeum, qui habitabat in Sephaath, et interfecerunt eum. Vocatumque est nomen urbis Horma, (i. e. anathema)* », quam explicationem ex LXX supplevit *Vulg.*; exprimiturque urbs fuisse ruinae devota. *Horma* in extremitate meridionali terrae sanctae erat Num. 14, 45 (44); Deut. 1, 44;

1 Reg. 30, 30; primum tribui Iuda tribuebatur Ios. 14, 30, dein tribui Simeon 19, 4; 1 Par. 4, 30. Non ita procul abfuisse ab Arad, inde fit probabile, quod ambae urbes iterato simul nominentur : ita h. l. collato cum Num. 21, dein Ios. 12, 14; 1 Reg. 30, 29. Ergo Horma-Sephaath non est eadem atque « vallis Sephata, quae est iuxta Maresa » 2. Par. 14, 10 (9) : Maresa quippe haud procul aberat Eleutheropoli. — *Interfecerunt*, ויחרימו, a radice a qua nomen Horma : hinc praeferendum *Hebr. Chald. Syr.* (cf. etiam *Lagarde*) pronomen fem. *eam*, loco *Vulg.* LXX *eum*.

Sola narratur urbis Sephaath ruina, quod ea Num. 21, 1 sqq. specialius respiciat. Unde oritur quaestio, narreturne h. l. idem quod ibi factum, an diversum. Ubi primum eliminanda est sententia *Bonfr.*, eandem esse Sephaath seu Hormam, et Arad; immo, Arad esse nomen regionis, Sephaath nomen urbis principis. Haec, inquam, falso adstruuntur, cum Ios. 12, 14 rex Horma a rege Arad diversus recenseatur. Singularem tuetur *Cler.* sententiam, exstitisse duas « urbes cognomines » Horma, quarum una a Moyse, a Simeonitis altera fuerit destructa : mirum esset, tam exiguo interiecto spatio duas reperiri urbes, quibus ob eventus bellicos eosdem idem fuerit inditum nomen. Hinc duae iam remanent sententiae : altera *Gord.*, eandem urbem bis captam esse affirmantis ; altera planior *Bonfr.*, de uno eodemque utrobique facto agi, referri Num. 21, 2 votum ab Israelitis susceptum, et simul proleptice narrari voti impletionem, quae nonnisi defuncto Iosue locum habuerit (cf. n. 14). Quae tandem ratio est, cur ex omnibus, quae in Simeonitide regione nunc acta fuerint, sola urbis Sephaath ruina h. l. narretur : narrabatur Hebron Calebo, sedes Cinaeis secundum promissa concessae, narrandum quoque erat exitium urbi Sephaath ex pridem suscepto voto inflictum ; terrae sanctae per Hebraeos occupatio est impletio omnium divinarum promissionum et minarum. Cf. *Cassel*.

v. 18 « *Cepitque Iudas Gazam cum finibus suis, et Ascalonem atque Accaron cum terminis suis* ». Proceditur iam in Sephelam seu Philisthaeorum planitiem. Iudaei, ad extremum austrum (Sephaath) progressi, iam viam flectunt septentrionem versus, quo ordine civitates enumerantur (*Keil*). Philisthaeos non subegerat Iosue, cf. Ios. 13, 2 sq.; 10, 41; neque 12, 9 sqq. reguli Philisthaeorum inter devictos reges recensentur. Non omnes Philisthaeorum urbes a Iuda captae referuntur, desideratur certe Azotus, quae in textum LXX irrepsit. Post quantum tempus Philisthaei urbes recuperaverint, nescimus; Iud. 3, 3 totam pentapolin tribuens Philisthaeis est generale effatum, quod non necessario secundum omnes suas partes tempore primi iudicis debuit esse impletum. Rationes, ob quas Deus permiserit, non omnes Chananaeorum et Philisthaeorum urbes sub potestatem redigi Iudaeorum, hae a *Theodoret.* recensentur : quod ignavia se deterreri passi sint;

quod avaritia peccaverint ab iis tributum acceptantes, quos delere debuissent, cf. v. 28. 30. 33. 35; quod legem Dei transgressi diis alienis servierint. His adde rationes Iud. 2, 20 sq. et 3, 2 recensitas.

v. 19 « *Fuitque Dominus cum Iuda, et montana possedit; n potuit delere habitatores vallis, quia falcatis curribus abundabant* ». *Potuit* habent *Vulg.* LXX *Chald.* : aut excidit יכל, aut negatio לא absolute erit construenda (cf. Am. 6, 10), uti apud posteriores אין : nullus erat in delendis habitatoribus vallis (*Bertheau*). Durum videtur, ad hanc posteriorem construendi rationem appellare.

Apparens in eo cernitur contradictio, quod Iuda asseratur non potuisse delere habitatores vallis, sed simul affirmetur tres occupasse civitates, quae utique erant in valle. Primam solutionem suggerit editio recepta LXX versui 18 addens negationem : « Neque tamen cepit Iuda Gazam etc ». Ubi *Ios.*, media inter utrumque textum via incedens, Ascalonem et Azotum Iudaeis concessit, Gazam et Accaronem negavit esse captas. Verum quidem est negationem facile excidere potuisse, si aderat; tamen quod lectio illa nullo alio, immo, ne unanimi quidem graecorum codicum, testimonio fulciatur, emendationem prodit hebeti manu textui insertam, standumque lectioni *Vulg.* Limitandus autem erit v. 19 ex praecedente v. 18, ut ibi affirmentur Iudaei non potuisse superare habitatores vallis, iis utique exceptis, qui modo nominatim efferebantur, incolis Gazae etc. — Quomodo currus fuerint *ferrei* (*Hebr.*), ambigitur. Sane, cum ex monumentis constet, apud Aegyptios, Assyrios, Graecos Asiaeque Minoris populos currus antiquitus equitum loco fuisse, sed nequaquam fuisse falcatos, perquam probabile videtur, Chananaeorum quoque currus falcibus caruisse. Instat *Cassel*, ideo asseri fuisse ferreos, quod ea maxime re terrerentur Hebraei; haud vero futurum fuisse ut terrerentur, nisi ferreis falcibus instructi fuissent currus. Peccat conclusio : Hebraei, qui vehiculis praeter plaustra lignea et gravia uterentur nullis, currus leves atque veloces Chananaeorum, quibus spes omnis fugae adimeretur, formidabant. Ceterum de curribus Chananaeorum cf. Ios. 17 16; Iud. 4, 3.

v. 20 « *Dederuntque Caleb Hebron, sicut dixerat Moyses; qui delevit ex ea tres filios Enac* », cf. v. 10. Promiserat Deus per Moysen generaliori modo Num. 14, 24; Deut. 1, 36, expressius per Iosue 14, 13 Hebronem nominans; clarius etiam Ios. 21, 11 sq. enuntiatur, civitate sacerdotibus reservata, agrum Calebo esse dandum. Sed cur hoc tandem loco haec referuntur et non potius immediate post narratam v. 10 captam Hebronem? « Aut ordo narrationis est a scriptore sacro neglectus », inquit *Cler.*, « aut Iudae posteri tum demum iusserunt Chalebum adire possessionem Chebronensis agri, cum totum tractum toti tribui dividendum subegissent ». Omnino hoc alterum; et confirmatur exemplo Iosue 19, 49 sq., cui sua non ante attributa est civitas, quam « complesset

sorte dividere terram singulis per tribus suas ». Divisione terrarum opus belli absolvitur. Quibus confirmatur rursum, quam defendimus opinio, omnia haec post Iosue mortem gesta esse : *una* sc. expeditione et Hebrone Iudaei et reliquis suis finibus potiti sunt. — Quaerit *Cassel*, celebraveritne nunc demum etiam Othoniel nuptias : ignoramus.

b) Reliquarum Tribuum Acta. — Iud. 1, 21-36

Beniamin. — Iud. 1, 21

v. 21 « *Iebusaeum autem, habitatorem Ierusalem, non deleverunt filii Beniamin; habitavitque Iebusaeus cum filiis Beniamin in Ierusalem usque in praesentem diem* ». De reliquis, praeter Iuda et Simeon, tribubus dicturus s. auctor, a tribu *Beniamin* exorditur (*Cai.*). Ubi illud admirationem facit, id quod h. v. de « filiis Beniamin » edicitur, Ios. 15, 63 totidem verbis de « filiis Iuda » affirmari; sed recte utrobique. Quando Beniaminitae sedes sibi a Iosue assignatas occupaverint, nescimus; minime dubitandum, saltem Ierusalem sub Iudaeorum potestatem redacta v. 8 plures filiorum Beniamin in ea civitate, suae adscripta tribui Ios. 18, 28, consedisse (*Cai.*). At eo haec civitas loco exstructa erat, ut in duarum tribuum fines porrigeretur; unde Iudaei quoque meridionalem partem incoluere, dum arcem forte iam tum exstantem Iebusaei obtinebant. Neque Beniaminitae neque Iudaei ita viribus et animis valuere, ut Iebusaeos exterminare potuerint, immo ex Iud. 19, 12 videtur posse concludi, aliquando Iebusaeos ita praevaluisse numeris, ut civitas merito dici potuerit « oppidum gentis alienae ». Iam noster auctor in eo est, ut nobis tradat, quos ex prioribus incolis singulae tribus in suis finibus permanere passae sint; de tribu Iuda iam asseruit v. 19 habitatores vallis non esse subactos; nunc Beniaminitarum in Iebusaeos indulgentiam recenset. E contra Ios. 15, 63 sermo erat de Ierusalem, quatenus ea urbs ad fines Iuda pertinebat, qui ib. describebantur : hinc ib. Iudaeorum in Iebusaeos indulgentia carpebatur. Notat *Ser.*, de Beniaminitis dici « non deleverunt », de Iudaeis « non potuerunt delere », quo aliqua istorum negligentia indicari videtur : certe plus ad istos quam ad hos spectabat Iebusaeorum exstinctio, nosterque auctor Iudaeus neglecti operis culpam in Beniaminitas devolvere intendit (*Bonfr.*).

Ephraim et Manasse. — Iud. 1, 22-29

v. 22 « *Domus quoque Ioseph ascendit in Bethel, fuitque Dominus cum eis* ». Eadem expressio v. 19 de Iuda adhibebatur. Ad *domum Ioseph* progreditur narratio i. e. ad duas tribus *Ephraim* et *Manasse*,

primum v. 22-26 simul, dein v. 27 sq. et v. 29 seorsim spectatas. Quorum e numero fuerat ipse Iosue ; diuturnior eorumdem fuerat cum illo in suis finibus (Bethel, Sichem etc) commoratio, altiores in regione iecerant radices. Narratur h. l. expeditio in Bethel suscepta, tum quod, uti videtur, unica fuerit, quam illae tribus una susceperint, tum quod maioris fuerit momenti ob urbis nobilitatem. Ceterum habes hic idem, quod v. 4 et 9 : primum generali tessera domus Ioseph gesta adumbrantur, dein v. 23 sqq. ad particularia descenditur. Nexum non inepte expressit *Vulg.*, copulam initio v. 23 reddens particula *nam*.

Bethel Ios. 18, 22 Beniaminitis tributa, de facto semper penes tribuum Ephraim fuit. *Hebr.* LXX *Chald. Syr. : Domus Ioseph ipsi quoque ascenderunt ;* unde fortasse concludere licebit, etiam v. 21 intelligi de Beniaminitarum ascensu, eos sc. Iudaeorum vestigia prementes *primum* ascendisse Hierosolymam ibique sedes fixisse. Tamen *Bertheau* voces *ipsi quoque* putat dici intuitu tribus Iuda, quae v. 4 « ascendisse » dicebatur, huncque esse sensum, solas tribus Iuda (cum Simeon) et Ioseph ad delendos gentiles expeditiones suscepisse, reliquas ab eiusmodi abstinuisse.

v. 23 « *Nam cum obsiderent urbem, quae prius* » — לפנים, eadem vox, quae v. 10 sq. de Hebron et Dabir adhibebatur — « *Luza vocabatur* », v. 24 « *viderunt* » — *reliqui* addunt *custodes* — « *hominem egredientem de civitate, dixeruntque ad eum : Ostende nobis introitum civitatis, et faciemus tecum misericordiam* ». Quam vocem *Vulg. Syr.* vertunt *obsiderunt,* eam secundum hebr. vocis etymon rectius vertit *Chald. miserunt exploratores ;* editio recepta LXX utramque versionem coniungit. v. 25 « *Qui cum ostendisset eis, percusserutn urbem in ore gladii, hominem autem illum et omnem cognationem eius dimiserunt* ». v. 26 « *Qui dimissus abiit in terram Hetthim, te aedificavit ibi civitatem, vocavitque eam Luzam; quae ita appellatur usque in praesentem diem* ». Virum et cognationem incolumes dimiserunt, secuti Iosue 6, 22 sqq. in Rahab exemplum. Ea erat differentia, accessisse familiam Rahab Hebr. 11, 31, Matth. 1, 5 Hebraeorum ritibus, dum ille vir idem non fecit, sed ad Hethaeos gentiles se recepit. Verum id domui Ioseph vitio verti non potest ; unde, licet in aliis tribubus habeat s. auctor quod reprehendat, tamen domus Ioseph factum non refert reprehensionis ergo, sed ut ostendat, qua occasione civitas illa Chananaea, nova Luza, permissa fuerit in finibus Israelitarum persistere. Licet enim de eius urbis situ aliunde nihil omnino constet, et Hethaeorum variae variis temporibus, tam intra quam extra terram s., fuerint sedes, tamen novam illam Luzam intra terrae s. fines exstitisse, nostri capitis contextus omnino suadet, quippe qui id praeprimis elucidare nitatur, quibus de causis plures apud varias tribus alienigenarum civitates permanere sint permissae.

v. 27 « *Manasses quoque non delevit Bethsan et Thanac cum viculis suis, et habitatores Dor et Ieblaam et Mageddo cum viculis suis; cœpitque Chananaeus habitare cum eis* ». Reliqui *in terra illa*. Praeter Vulg. omnes singulis nominibus propriis addunt *cum viculis suis*. Specialis erat earum civitatum subigendarum difficultas: proxime quippe adiacebant viae, quae ab Aegypto ducit Damascum, unde maxime Chananaeorum intererat, ne illis urbibus exclusi a mercaturae lucris pariter excluderentur (*Bertheau*). — Nomini *Bethsan* recte addunt LXX : *quae est Scythopolis*. Nunc Beisan. Cf. dicta ad 1 Reg. 31, 10. — *Thanac*, cuius rex a Iosue 12, 21 superatus recensetur, 21, 25 levitis tributa, dicitur Iud. 5, 19 fuisse « super aquas Mageddo », i. e. prope flumen Cison. Nunc Taannuk. — *Dor*, versus septentrionem (Ios. 12, 23; 11, 2) et ad mare (Ios. 11, 2; 1 Mach. 15, 11 sqq.) sita, ergo intra fines tribus Aser, tamen Ios. 17, 11 tribui Manasse attributa. Nunc Tantura, haud procul a Carmelo. — *Ieblaam* : pro qua una duplicem habent urbem LXX, quarum tamen altera בלען utique ex יבלעם corrupta est. Sita erat inter Iezrahel et *Mageddo* 4 Reg. 9, 27. Hae urbes, praeter Dor, sitae quidem erant in tribu Issachar, sed tribui Manasse tributae Ios. 17, 11. Ubi cum illis etiam enumeratur Endor, cuius tamen nomen perperam concludit *Keil* h. l. e textu excidisse.

Vocem ויואל varie interpretati sunt secundum varias significationes, ad quas ea vox trahi posse videtur. *Chald. voluit*, quae utique voluntas aliquem effectum nacta sit oportet, sive ut Chananaeus astutia obtinuerit, ut habitare permitteretur, sive ut vi et obstinatione id extorserit. *Vulg. LXX coepit*, idem quippe fere est serio *velle* et *coepisse*. Eadem versionum divergentia habetur Ios. 17, 12, ubi *Syr.*, h. l. mendosus, Chaldaeo accedit; et infra Iud. 1, 35.

v. 28 « *Postquam autem confortatus est Israel, fecit eos tributarios, et delere noluit* ». Bene pro *Manasse* substituitur « Israel ». Erant eae urbes in finibus Issachar (praeter Dor), quae tribus hoc capite non commemoratur, et fortasse ita se iunxit tribui Manasse, uti Simeonitae tribui Iuda. — v. 29 « *Ephraim etiam non interfecit Chananaeum, qui habitabat in Gazer, sed habitavit cum eo* ». Reliqui : *sed habitavit in medio eius, in Gazer*. Cf. Ios. 16, 10. *Gazer* inter Bethhoron et mare sita, in extremis finibus Ephraim Ios. 16, 3, in Regum et Mach. historia iterato nominata, quam *Ganneau* demonstravit eo fuisse loco, qui nunc audit Tell el Djezer [1].

1. Retinendam iudicavimus eiusmodi nominum scriptionem *dj*, quam praeter auctores Gallos et Anglos etiam profitetur *Baedeker-Socin* (Palaestina u. Syrien, Leipzig 1880), aliis Germanis substituentibus *dsch*.

ZABULON. — IUD. 1, 30

v. 30 « *Zabulon non delevit habitatores Cetron et Naalol, sed habitavit Chananaeus in medio eius, factusque est ei tributarius* ». A domo Ioseph narratio gressum facit ad tribum *Zabulon*. Mirum est, *Cetron* non recenseri inter urbes a Iosue Zabulonitis tributas ; unde probabile fit eandem esse atque Cateth Ios. 19, 15 ; mutato quippe ר in ת et omisso, quod bis sibi succedebat ון (קטרון ונהלל), facillime potuit Cetron mutari in Cateth (*Malv.*). De situ urbium non constat.

ASER. — IUD. 1, 31 sq.

v. 31 « *Aser quoque non delevit habitatores Accho et Sidonis, Ahalab et Achazib et Helba et Aphec et Rohob* » ; v. 32 « *habitavitque in medio Chananaei habitatoris illius terrae, nec interfecit eum* ». Zabulonem excipit *Aser*. Non iam dicitur Chananaeus habitasse in medio Hebraeorum, sed Hebraei in medio Chananaeorum ; tolerabantur ipsi a Chananaeis, fortasse illis erant tributarii. Ex viginti duabus urbibus, illis Ios. 19 attributis, septem alienigenis permiserunt (*Bertheau*). — *Acco* est Ptolemais. *Ahalab* et *Helba* secus nullibi recensentur. *Achazib* Ios. 19, 29 describitur fuisse prope mare ; diversa erat ab Achazib tribus Iuda Ios. 15, 44 ; postmodum vocabatur Ecdippa, nunc Zib. Pro *Rohob* cf. Ios. 19, 30 : forte duae eius nominis civitates in tribu Aser erant.

NEPHTHALI. — IUD. 1, 33

v. 33 « *Nephthali quoque non delevit habitatores Bethsames et Bethanath, et habitavit inter Chananaeum habitatorem terrae* ; *fueruntque ei Bethsamitae et Bethanitae tributarii* ». Videtur *Nephthali* primum fuisse Chananaeis longe inferior (*habitavit inter Chananaeum*), postmodum illos sub tributum redegisse. Ambas urbes habes Ios. 19. 38, prior diversa est ab illa Ios. 19, 22.

DAN. — IUD. 34-36

v. 34 « *Arctavitque Amorrhaeus filios Dan in monte, nec dedit eis locum, ut ad planiora descenderent* ». Agmen claudit tribus *Dan*. Reliqui *in montem* ; eo sc. Danitae repulsi sunt. Quod autem fines illis assignati fere toti in planitiem excurrerent, hinc patet, penitus fere suis finibus esse exclusos (*Keil*). Immo ne ipsos quidem montes soli obtinuere, ut sequens docet versus (*Bonfr.*). v. 35 « *Habitavitque* » — reliqui *voluit* vel *coepit habitare*, cf. dicta ad v. 27 — « *in monte Hares* (*quod*

interpretatur testaceo), in Aialon et Salebim. Et aggravata est manus domus Ioseph, factusque est ei tributarius ». Apte etiam sic verti potest : Cum autem aggravata est manus domus Ioseph, factus est etc. Non Dan ipse tandem repressit Amorrhaeos, sed domus Ioseph (*Cler.*). — Habemus h. l. Har Cheres, Aialon, Salebim ; Ios. 19, 41 Ir Semes, Aialon, Salebim ; 3 Reg. 4, 9 Beth Semes, Salebim, Aialon (*Vulg.* Elon). Cum Cheres aeque atque Semes solem significet, merito censet *Bertheau* (cf. *Malv.*), Har Cheres, Ir Semes et Beth Semes unam eandemque esse urbem, putatque h. l. formam Har Cheres esse adhibitam, ne urbs cum Bethsames tribus Nephthali v. 33 confunderetur. Iam *Beth Semes* Ios. 19, 41 in finibus erat tribus Dan, hinc quandoque Iudae adnumerari videtur 21, 10. 16 ; 1 Par. 6, 59. Nunc Ain Schems. *Aialon* nunc Yalo. Situs *Salebim* ignoratur.

v. 36 « *Fuit autem terminus Amorrhaei ab Ascensu Scorpionis, Petra et superiora loca* » ; *Hebr. ab Ascensu Acrabim et a Petra ulterius.* Magna et inaudita v. 35 describebatur Amorrhaeorum potentia : confirmat dicta s. auctor, ostendens eo tempore fines Amorrhaeorum, sicuti septentrionem versus in ipsos montes Daniticos protendebantur, ita ad austrum latissime patuisse ; cf. *Malv.* — *Ascensus Acrabim* Ios. 15, 3 describitur esse elevatio quaedam, ab ipsa australi extremitate Maris Mortui initium sumens ; eadem Num. 34, 4 describitur fuisse terminus australis terrae sanctae. *Petra* celeberrima est urbs Idumaeae (*Procop.*, *Malv.*). Hi igitur Amorrhaeis tribuuntur fines, ut ab Ascensu Acrabim et ab urbe Petra se extenderint *ulterius*, i. e. septentrionem versus, usque in montana Dan. Aliter sententiam concipit *Cassel*, putans id enuntiari, solum limitem australem terrae s. tum eum praecise fuisse, quem Moyses Num. 34, 4 descripserit. Verum errat ; licet enim Moyses ab Ascensu Acrabim limitem illum duxerit, nunquam tamen Petram Idumaeae illo inclusit, non eotenus protendebantur fines tribus Iuda. *Malv.* aliter interpretatur vocem *ulterius*, Amorrhaeos etiam ultra Petram, meridiem versus, et usque in interiorem Arabiam imperasse : verum praepositione מ innuitur enuntiari extremos Amorrhaeorum fines, vox autem *et ultra* refertur ad spatium inter haec puncta (Ascensum Acrabim et Petram) montesque Daniticos interiacens. Obiicit *Keil*, lineam ab Acrabim ad Petram Idumaeae ductam decurrere a septentrione ad meridiem, talem vero lineam non exhibere *meridionalem* limitem finium Amorrhaeorum ; intelligi igitur aliam nescio quam Petram. Respondeas, describi iis verbis non limitem meridionalem, sed limitem. Limes e regione tribuum Hebraearum iam prioribus describebatur ; sed is continuandus supererat ab extremitate australi terrae s. ; continuatur linea ab Acrabim Petram, austrum versus, decurrente ; limes e contra

meridionalis nullo verbo exprimitur, erat is enim ipsum desertum Aegypti. Sed omnium minime intelligitur petra illa, ex qua Moyses Num. 20 aquam elicuerat : licet enim vere fuerit petra, non tamen nomen proprium habebat Petra, sed Aqua Contradictionis v. 13.

Quod auctor Amorrhaeorum fines tam accurate noverit et, occasione sumpta e Danitarum rebus, tam distincte descripserit, argumento rursum est, eum in parte meridionali, i. e. in finibus tribus Iuda degisse. Hethaeorum Phoenicumque fines non describit.

Distinximus n. 3 historiae iudicum aetates tres. Tertiae 10, 6-16, 31 unitas eo iam exprimitur, quod 10, 7 Philisthaeorum et Ammonitarum, qui duo populi ea aetate Hebraeos lacessivere, una mentio praemittatur atque ita tota ad unum caput revocetur narratio. Secundae aetatis 6, 1-10, 5 unitas ex ipsa rei narrandae unitate elucet, quae unica est, sc. domus Gedeonis fata. Ergo etiam narratio cap. 2-5 unam efficit aetatem. Merito tres distingui aetates, evidentius etiam inde efficitur, quod singulae a divino aliquo oraculo (2, 1-5; 6, 8-10; 10, 11-16) toti populo concesso exordiantur.

Oraculum 2, 1-5 pronuntiat, ideo gentiles a Deo permissos in terra sancta permanere, quo Israelitae ab iisdem oppressi poenam ferrent neglecti foederis divini in societate vitae et maxime sacrorum cum idololatris ineunda.

Quam thesin singulorum iudicum acta confirmant. Tamen auctor, antequam haec enarranda ordiatur, *Digressione* quadam usus 2, 6-3, 4 totam iudicum historiam generali quodam conspectu adumbrat, eius quam dicunt philosophiam explicat. Videlicet Israelitas finitimarum gentium idololatria infectos ab iisdem gentibus in servitutem redigi iterato passus est Deus; impietatis poenitentes concessis iudicibus liberavit; in impietatem relapsos rursus inimicorum insolentiae permisit.

Sequuntur acta *Othonielis* 3, 5-11; *Aodi* 3, 12-30; et, interiecta 3, 31 *Samgari* mentione, cap. 4 sq. acta *Debborae* et *Baraci*.

Oraculum in Bokim. — Iud. 2, 1-5

16. Oraculi synopsis. — Subiicimus trium oraculorum 2, 1-5; 6, 8-10; 10, 11-16 conspectum, quo lector quam sint affinia inter se perspiciat.

2, 1 « Eduxi vos de Aegypto et introduxi in terram, pro qua iuravi patribus vestris,	6, 8 « Ego vos feci conscendere de Aegypto, et eduxi vos de domo servitutis », v. 9 « et liberavi de manu Aegyptiorum et omnium inimicorum, qui affligebant vos, eiecique eos ad introitum vestrum et tradidi vobis terram eorum ».	10, 11 « Numquid non Aegyptii et Amorrhaei filiique Ammon et Philisthiim », v. 12 « Sidonii quoque et Amalec et Chanaan oppresserunt vos, et clamastis ad me et erui vos de manu eorum? »

et pollicitus sum, ut non facerem irritum pactum meum vobiscum in sempiternum », v. 2 « ita dumtaxat, ut non feriretis foedus cum habitatoribus terrae huius, sed aras eorum subverteretis.	v. 10 « Et dixi : Ego Dominus Deus vester, ne timeatis deos Amorrhaeorum, in quorum terra habitatis.	
Et noluistis audire vocem meam : cur hoc fecistis? » v. 3 « Quamobrem nolui delere eos a facie vestra, ut habeatis hostes, et dii eorum sint vobis in ruinam ».	Et noluistis audire vocem meam ».	v. 13 « Et tamen reliquistis me et coluistis deos alienos. Idcirco non addam, ut ultra vos liberem ». v. 14 « Ite et invocate deos, quos elegistis : ipsi vos liberent in tempore angustiae ».

Iam quis non videt, has tres orationes re easdem esse? Exordiuntur siquidem omnes a commemorandis *divinis beneficiis* sub Moyse et Iosue acceptis, quibus apte 10, 11 sq. subiungit alia iudicum aevo accepta. In *pacto divino* appellando 2, 1 sq. magis effert conditionem foederum cum gentilibus non ineundorum, quo transitus fiat ad divinum v. 3 decretum asserendum de gentibus non delendis; dum 6, 10 idololatriae prohibitioni insistit. Tres orationes inculcant *neglectum* post tot beneficia *foedus :* « Et noluistis etc ». Cuius neglectus *poena* 2, 3 et 10, 13 sq. toleratae a Deo gentes exhibentur, et ita quidem ut altero loco acerbae etiam ironiae indulgeat Deus.

Haec igitur oracula si cum Introd. cap. 1 comparentur, ideam ib. expressam longius producere deprehenduntur. Ibi crudum statuebatur *factum* gentilium quorumdam intra terrae sanctae fines permanentium, hic eius facti panditur *causa*, foederis divini neglectus. Pactus sc. fuerat Deus se totam Hebraeis terram traditurum, gentes ex ea penitus fore deleturum, dummodo ipsi foederibus cum gentilibus, quae communionis sacrorum occasio essent, religiose abstinerent. Praeterea in tribus istis oraculis Deus Hebraeorum poenitentia mox placatur, quod 2, 4 sq. exprimunt lacrymae et sacrificia, 6, 11 ipsa continuo narrata divina salus, 10, 15 sq. cum populi resipiscentia divina miseratio. Unde haec tandem e tribus oraculis colligitur *practica doctrina :* idololatria consequentem habet alienigenarum servitutem, ad Deum conversio ab iisdem liberationem. Quam doctrinam totidem ex ordine iudicum exempla confirmant.

Utvis tria haec oracula *re* eadem esse declarabamus, vere tamen tria *numero* non solum in s. textu exhibentur, sed etiam fuere. Primum narratur factum in Bokim, quod sane individuam et concretam narrationem sapit, reliquorum locus non indicatur. Secundum et tertium dicuntur impetrata implorante divinam opem populo modo contra Madianitas, modo contra Philisthaeos. Ergo tres diversi inter se eventus intelligendi sunt.

17. Oraculum abbreviatum.— Tres illas divinorum nuntiorum orationes s. textus tradit non totas, quantae habitae sunt, sed per modum compendii abbreviatas.

Id 2, 1 manifestat abruptum initium, quo « angelus Domini » prima persona nomine Dei loquitur, non praemissa formula « Haec dicit Dominus » vel alia simili. Dein res paucis sententiis absolvitur, ut vix credideris illos tres versus semel prolatos populum ad contritionem tam efficaciter moturos fuisse. Immo aliqua, quae sane dici oportuit, quo omnibus numeris absoluta esset oratio, subintellecta supprimuntur : explicita ad gentiles exstirpandos adhortatio, veniae promissio etc. Simile quid habes 6, 10, ubi, quorsum noluerint Israelitae audire vocem Dei, quidve illis in posterum faciendum, non exprimitur : scribuntur praemissae, conclusiones practicae derivandae relinquuntur, quod lectori sufficiat culto, nequaquam vero de plebe auditori. Neque hunc prophetam putaverim tribus versiculis populum commovisse. Idem tandem dic de oratione 10, 11 sqq. Tres hae orationes perquam similes sunt orationis Samuelis 1 Reg. 7, 3, quae uno versu viginti annorum sermones et studia compendio resumit. Ita nostris textibus putaverim compendio tradi orationes quasdam vehementes, uberes, prolixas, quales a Moyse et Iosue habitas accepimus. A quibus integris describendis noster auctor abstinuit, quod priores illas orationes lectoribus oppido notas supponeret, neque praeambula narrationis in immensum excrescere vellet. Immo non tres tantum longiores orationes compendio tradi affirmo, sed tres bene longas orationum series, ab « angelo » illo ad Israelitas successive in Bokim confluentes, vel ab altero illo propheta regionem peragrante habitas, fere ad instar S. Ioannis Baptistae, cuius sermonum aliqua tantum specimina in evangelio leguntur, vel celebriorum quorumdam praedicatorum, qui diversarum urbium suggestus conscendunt.

18. ORACULI CUM PENTATEUCHO ET LIBRO IOSUE NEXUS. — Oracula illa non facta solum libris anterioribus narrata, sed ipsum eorum librorum textum praeexistentem supponunt.

Oracula summario enuntiant ea *facta* et *praecepta*, quae in libris anterioribus primarii omnino sunt momenti, ut *Wellh.* p. 241 affinitatem cum Deut. quam maximam concedat, *Bertheau* ad 2, 1-5 scribat : « Hi versus intelligi omnino non possunt, nisi praevias admittas Geneseos promissiones, foedus sub Moyse sancitum et sub Iosue confirmatum ». Idemque ad 6, 8 sqq. : « Ea oratio incerta in medio aere haereret sensuque careret, nisi supposueris foedus cum Moyse sancitum, Chananaeos in Pentateucho et Iosue libro exterminari iussos, eius neglecti mandati poenas propositas ». Et revera, nonne totus Pentateuchus est in ea veritate stabilienda : « Eduxi vos de Aegypto et introduxi in terram, pro qua iuravi patribus vestris » ? Nonne ad eiusdem veritatis complendam demonstrationem scriptus est liber Iosue ? Nonne praeceptorum princeps illud, quo unum Deum adorare et ab idololatria temperare iubebantur Hebraei ? Ecquid solemnius in Pentateucho actum foedere divino inter tonitrua sancito ?

Adde, quod diximus, tria nostra oracula libro Iud. *compendio* inserta esse : atqui eiusmodi compendium supponit doctrinam illis oraculis expressam aliunde et ante editum Iud. librum fuisse oppido notam, et ex aliis documentis notis facile a quovis suppleri potuisse. Quae documenta antiquiora ab ipso utique Pentateucho libroque Iosue diversa non sunt. Cf. Deut. 1-3 eadem illa divina beneficia uberiori oratione explicans, Deut. 4, 1-40 conditionem abolendae idololatriae inculcans, negligentibus vero Hebraeis ruinam praenuntians. Easdem Iosue cap. 23 sq. veritates suprema oratione proclamat. Ex. 23, 20-33 unius Dei cultum inculcat, foedera et

idololatriam proscribit, terram sanctam gentilibus purgatum iri promittit. Item foedera cum gentilibus prohibet Ex. 34, 12-16. Consule promissiones et minas Lev. 26. Haec omnia compendio in tria illa oracula congesta deprehendis.

Neque antiquiorum librorum facta solum, sed etiam *verba* ea oracula habent. Tota quippe iis coalescunt expressionibus, quae in illis frequentissime usuveniunt eorumque maxime propriae sunt, ut fateri vel invitos oporteat, si eos libros ante librum Iud. exstitisse supponas, non aptiores ex eisdem seligi potuisse expressiones, quibus eorum acta et praecepta vividius in memoriam revocarentur. Et expressiones quidem, quibus Deus dicitur eduxisse Israelitas de Aegypto, liberasse eos, introduxisse in terram promissam, hanc illis tradidisse, quibus se eorum Deum proclamat, quibus Israelitae Deum dicuntur reliquisse, coluisse deos alienos, ad Deum clamasse, sexcentas in Pentateucho et Iosue numerabis. « Terram, pro qua iuravi patribus vestris », cf. Deut. 1, 30 ; 16, 10. 23 ; 30, 5 ; 31, 7. 20 sqq. ; Ios. 21, 43 sq. etc. De pacto irrito faciendo cf. Gen. 17, 14 ; Lev. 26, 15. 44 ; Deut. 31, 16. 20. Foedera cum habitatoribus terrae ineunda iisdem verbis proscribuntur Ex. 23, 32 ; 34, 12 sq. ; Deut. 7, 2. Arae subvertendae inculcantur Ex. 34, 13 ; Deut. 7, 5 ; 12, 3. Vox Dei audienda commendatur Ex. 4, 9 ; 15, 26 ; 19, 5 ; 23, 21 sq. ; Num. 14, 22 ; Deut. 4, 30 ; 8, 20 ; 9, 23 ; 15, 5 ; 28, 15 etc. Ad Iud. 2, 3 « ut habeatis hostes et dii eorum sint vobis in ruinam », cf. Ex. 23, 33 ; 34, 12 ; Deut. 7, 12 et imprimis Ios. 23, 13. Aegyptus « domus servitutis » scribitur Ex. 13, 14 ; 20, 2 ; Deut. 5, 6 ; 6, 13 ; 7, 8 ; 8, 14 ; 13, 5. 10 ; Ios. 24, 17. Enumerationes populorum Iud. 10, 11 sq. frequentes etiam sunt in Pentateucho et Iosue. — Ceterum adverte, non inde argumentum procedere, quod aliquae expressiones sint nostrae narrationi cum libris anterioribus communes, id enim fortuito fieri potuit; sed quod tota contexta sit iis solis expressionibus, quae in iisdem sunt frequentissimae.

COMMENTARIUS

Repetebatur superiori capite identidem expressio « non deleverunt », cuius modo sensum penitius edocemur. Permanserant igitur nationes illae non deletae intra terram sanctam *cum idololatricis suis religionibus*, foedera cum illis inita erant foedera tolerandae in terra sancta omnis generis superstitionis, conservandorum e regione altaris Domini gentilium altarium. Erat istud summae impietatis, erat etiam periculi et seductionis plenum. Recole, religio mosaica quam fuerit austera, severa, ab imaginibus aliena, dum Chananaeorum religiones lascivia et crudelitate turgerent ; adde Israelitarum cum gentilibus connubia, quae gentibus intermixtis sponte pullulabant ; et intelliges, religionem mosaicam integram praeservari nequaquam potuisse, nisi *deletis* aut expulsis cum suis religionibus alienigenis.

Cap. II v. 1 « *Ascenditque angelus Domini de Galgalis ad Locum Flentium* ». *Angelum* putavere *Lyr.*, *Cai.*, *Lap.*, *Est.*, *Tir.*, quod angelus appelletur, et quod prima persona loquatur « Eduxi vos etc », non praemissis vocibus « Haec dicit Dominus », vel similibus. « Maneat ergo certum », concludit *Bonfr.*, « hunc verum fuisse angelum, immo

eundem fuisse angelum qui Iosue apparens dixit, se esse principem exercitus Domini (Ios. 5, 14), atque adeo Michaelem archangelum fuisse ». Non tamen ita cogunt allatae rationes. Nam vox מלאך de se *legatum* significat, sive hominem sive angelum, et Agg. 1, 13 et Mal. 3, 1 certe prophetam designat. Neque obiicias, alias in libris antiquioribus prophetas legatos Dei non dici : at certe fuere, neque plus semel dicuntur *viri Dei,* cum tamen eo nomine 1 Reg. 2, 27 indubie designetur propheta. Quod autem non praemittantur voces « Haec dicit Dominus », id ex eo, quod supra notavimus, sufficienter explicatur, orationem legati omnino compendio tradi omnibusque praecisis, quae non stricte ad eius substantiam pertineant. Et voces illae tum facillime omittuntur, quando, qui loquitur, *legati* nomine insignitur : legatos enim non ex privata sua mente loqui, quis ignoret ? Neque tandem absolute constat verba illa primitus in textu non fuisse, cum apud LXX legantur. — Adsunt praeterea rationes haud spernendae, cur illum legatum *hominem* fuisse defendamus, non angelum. Non consuevere angeli in V. T. multos simul homines alloqui ; quod vero suggerit *Keil,* locutum esse eum legatum « ad omnes filios Israel » (v. 4) mediate tantum, puta solos seniores alloquendo, est praeter sensum obvium textus. Ipse *Cai.* fatetur : « Quomodo concurrerit populus ad eum, non est scriptum. Nec est scriptum, an mandaverit populum congregari in loco flentium, an ipse cum populo congregato in Galgalis ascenderit ad locum flentium ». Mire praeterea dicitur angelus « ascendisse de Galgalis ad Locum Flentium », et non potius descendisse de cœlis ; cuius rei varias varii protulere explicationes, plus minusve subtiles, sed quae aeque facile, immo facilius ei sententiae adaptentur, quae legatum fuisse hominem defendit. Quare cum *Chald., Rabbinis, Malv., Vatabl., Calm.* censemus, legatum illum intelligi oportere hominem, *prophetam.* Quis fuerit, accuratius definiri nequit.

Galgala, inter Iordanem et Ierichuntem sita Ios. 4, 19 sq., creditur esse idem, quod Tell Djeldjul. Ibi Israelitae omnes circumcisi fuerant Ios. 5, 1-10 ; ibi sat diu castra fuerant Ios. 9, 6 ; 10, 6. 43 ; 14, 6 ; locus sacer habebatur etiam postea 1 Reg. 7, 16 ; 13, 7, neque dubium, illuc Hebraeos frequentes confluxisse. — *Locus Flentium* seu *Bokim* ubi fuerit, nescimus. Fortasse locus erat aliquis eminentior prope ipsa Galgala, cuius nomen ob eam solam rationem h. l. adscribitur, quod v. 5 hoc ipsum nomen argumentum sit et monumentum narratorum ; cf. quae diximus 1 Reg. 6, 16 sqq. ; 7, 12. Argumentum hoc est : vere, o Hebraei, quae narrantur evenere, nostis quippe locum, qui ab illis nomen accepit. LXX videntur confudisse בכים cum בכאים 2 Reg. 5, 23, utrobique vertentes κλαυθμών : sed est mera coniectura. *Bonfr.* recurrit ad « vallem lacrymarum » Ps. 83 (84), 7 עמק הבכא : sed et haec est coniectura manetque « obscurum, qua occasione illuc omnes filii Israel confluxerint ». Unde alii interpretati sunt Siluntem, ubi tum fuerit arca. Ex simili ratione additamentum LXX

videtur eum locum prope Bethel collocasse. Nominatur autem hoc versu Locus Flentium, sive proleptice ab eventu v. 5, sive quod nomen Bokim iam pridem habuerit, sed eius ab illo facto novam acceperit interpretationem.

« *Et ait : Eduxi vos de Aegypto, et introduxi in terram, pro qua iuravi patribus vestris ; et pollicitus sum* » — *Hebr. dixi* i. e. decrevi —, « *ut non facerem irritum pactum meum vobiscum in sempiternum* ». v. 2 « *Ita dumtaxat, ut non feriretis foedus cum habitatoribus terrae huius, sed aras eorum subverteretis. Et noluistis audire vocem meam : cur hoc fecistis ?* » v. 3 « *Quamobrem nolui delere eos a facie vestra, ut habeatis hostes, et dii eorum sint vobis in ruinam* ».

Hebr. Et ego vicissim dixi (decrevi) : non delebo eos a facie vestra, ut sint vobis in latera, et dii eorum sint vobis in ruinam. Sed *in latera* non praebet sensum. Hinc iam *R. Salomo* supponebat adesse ellipsin, לצדים pro לצנינים בצדים, « in spinas in lateribus vestris », quae expressio habetur in loco parallelo Num. 33, 35 et similis aliqua Ios. 23, 13 ; et notat *Cassel* praecipuas nostrorum versuum expressiones in locis etiam parallelis occurrere. Cf. אעלה etc Ex. 3, 17 ; ואביא etc Ios. 24, 8 ; נשבעתי etc Deut. 1, 30 ; לא אפר etc Lev. 26, 44 ; לא תכרתו etc Deut. 7, 2 et Ex. 34, 13 ; מזבחותם תתצון Deut. 7, 5 ; לא שמעתם Num. 14, 22. Immo Cassel corrigit צדים in צנים. Sed praeferenda esset correctio צרים, *in hostes,* quae ex similitudine literarum est omnino obvia, et cui suffragantur *Vulg. LXX Chald.* Nam συνέχειν etiam 1 Reg. 23, 8 ; 2 Reg. 20, 3 a LXX adhibetur ad vertendum צור, et a Chald. ויעיקין Num. 33, 55 ad vertendum וצררו. Ceterum *Kaulen* p. 184 affirmat, radici צדד ex lingua arabica certo competere significationem « adversarius ». Denique notandum, quod asserit *F. Delitzsch* (Prolegomena eines neuen hebraeisch-aramaeischen Woerterbuchs, Leipzig 1886, p. 75), voci assyriacae, quae correspondeat nostro צדים, competere sensum « laqueus », unde habetur completus parallelismus cum sequenti מוקש. Nota, Israelitas non carpi ob non deletos Chananaeos, sed ob foedera cum illis inita. Praedixerat Deus Ex. 23, 29 sq. et Deut. 7, 22, se nonnisi « paulatim » expulsurum esse illas nationes, ne, Hebraeis adhuc minus numerosis, terras cultores deficerent : sed foedera atque in iisdem locis societatem perhorrescebat Deus.

v. 4 « *Cumque loqueretur angelus Domini haec verba ad omnes filios Israel, elevaverunt ipsi vocem suam et fleverunt* ». v. 5 « *Et vocatum est nomen loci illius Locus Flentium (sive lacrymarum), immolaveruntque ibi hostias Domino* ». Habita sane est haec prophetae obiurgatio post mortem non solum Iosue, sed etiam seniorum (v. 7).

Digressio de Iudicibus. — Iud. 2, 6–3, 4

19. DIGRESSIONIS SYNOPSIS. — Iudicum Acta cap. 2 narrare orsus s. auctor digreditur ad eadem generali primum conspectu adumbranda, quo Dei in suscitandis iudicibus providentia clarescat.

Exorsus erat auctor primae aetatis acta narrare, relato 2, 1-5 divino oraculo in Bokim accepto : hinc ad priorum iudicum gesta singillatim enarranda patebat via. Sed

liberiori atque nostrates utuntur Hebraei stilo. Visum est e re, historiae iudicum primum generalem pandere rationem, ut ex altiori veluti specula universa eius oecono mia intellecta, penitius inde atque verius singula aestimentur. Hinc nata digressio, quae ad caput, unde profecta erat Introductio, mortis videlicet Iosue reversa, iudicum historiae non iam politicam sed moralem explicat rationem concluditque v. 20 sq. repetito divino de non delendis gentibus decreto, quod Deus oraculo v. 3 pronuntiarat. Igitur v. 6-10 describitur seniorum post Iosue in divino cultu fides, v. 10-13 iuniorum defectio, v. 14 sq. eorum in servitutem gentilium mancipatorum poena, v. 16-19 poenitentium per iudices effecta liberatio. Continuo defectionem excipiebat oppressio, oppressionem per iudicem effecta liberatio, liberationem brevi consequebatur iterata defectio : haec iudicum historiae summa. v. 20 sq. Dei de non delendis gentibus decretum repetitur, at eius edendi ratio enucleatius 2, 22-3, 4 illustratur. Gentes sc. non deletae poena fuerant *salutaris*, ad tempus inflicta et probationis causa. Quam rationem textus *ter* (2, 22 ; 3, 1. 4) inculcat. His igitur affirmatur iudicum aetas finem esse habitura, Dei punientis manifestatur caritas, differentis sapientia, erigitur spes, animus ad desideranda et procuranda meliora inflammatur.

20. Digressionis cum Pentateucho et libro Iosue nexus. — Auctor non facta solum novit Pentateucho et Iosue narrata, v. g. quae mortem Iosue spectant et Exodum, sed ita loquitur eorum librorum expressionibus, ut eos non novisse tantum, sed assidua meditatione absorbuisse deprehendatur.

v. 6-9 vix non verbotenus ex Ios. 24, 28. 31. 29. 30 transsumpta sunt : novit igitur librum Iosue scriptor, et quidem supremo capite auctum. v. 10 omnis generatio illa congregata dicitur ad patres suos : idem Gen. 25, 8 de Abraham, 35, 29 de Isaac, 49, 29 de Iacob, Num. 20, 26 de Moyse, 31, 2 de Aarone asserebatur, quibus egregiis viris noster utique auctor eam generationem aequiparabat. Sequitur « et surrexerunt alii, qui non noverant Dominum etc » : quae scripta sunt, ut opponantur v. 7 et Ios. 24, 31 dictis de senioribus, « qui noverant etc ». Non paucis autem Deut. (10, 21 ; 11, 7 ; 29, 2 etc) et Ios. (23, 3 ; 24, 17) locis inculcatur, priorem generationem *suis oculis* magnalia Dei contuitam esse. « Servire diis alienis » (v. 11) seu « diis populorum » locutio est libris prioribus perquam frequens opponiturque praecepto maxime solemni, quod in tota hac Digressione unum prae oculis habet auctor, serviendi Deo *soli* (cf. v. 7 « servieruntque Domino »). Verba « Servietisque Domino Deo vestro » principem locum obtinent in pericope Ex. 23, 20-33, quam in oraculo 2, 1-5 auctorem nostrum in mente habuisse notabamus. Praeprimis huc referendum Deut. 6, 13 sq. : « Dominum Deum tuum timebis et *illi soli servies* ac per nomen illius iurabis. *Non ibitis post deos alienos* (cf. h. l. v. 19) cunctarum *gentium, quae in circuitu vestro sunt* » (cf. h. l. v. 12). Iamvero totius illius cap. 6 Deut. intima est cum nostra Digressione affinitas, ut auctori ignotum esse non potuerit. Conferebamus Deut. 6, 10, 13 cum oraculo Iud. 2, 1-5 ; pergitur iam v. 15 « ne forte irascatur furor Domini Dei tui contra te », qua expressione sat frequenti noster v. 14 utitur ; v. 16 habetur « tentandi » verbum, quod in Hebraeo idem est atque « experiendi » Iud. 2, 22 ; 3, 1. 4 (cf. Gen. 22, 1 ; Ex. 16, 4 ; Deut. 13, 3), neque tamen ita frequenter usurpatur. Cum praeterea tota cogitationum series Deut. 6 Digressioni sit perquam affinis, placet, quod suggerit *Hengst.* p. 31, in verbis Iud. 2, 11 « feceruntque filii Israel malum in conspectu Domini », prae oculis habuisse nostrum verba Deut. 6,

18 : « et fac, quod placitum est et bonum in conspectu Domini ». Sane tantam et cogitationum et expressionum affinitatem fortuito accidisse quis affirmet ?

Alius huc textus referendus Deut. 31, 16 sq. : « Dixitque Dominus ad Moysen : Ecce tu dormies cum patribus tuis » (cf. « omnisque illa generatio congregata est ad patres suos »), « et populus iste consurgens » (cf. ib. « et surrexerunt alii ») « fornicabitur post deos alienos » (cf. v. 17)... « et irritum faciet foedus, quod pepigi cum eo » (cf. v. 20). « Et irascetur furor meus contra eum » (cf. v. 14. 20). Pactum irritum factum rursum legitur Deut. 31, 20, et v. 29. השחת תשחתון correspondet absoluto השחיתו Iud. 2, 19. Cf. etiam Deut. 4, 16.

Ad iracundiam concitatur Dominus (v. 12) etiam Deut. 4, 25 ; 9, 18 ; 32, 16. 19. Expressio v. 14 « vendidit eos in manus osorum suorum in circuitu » recurrit in vaticinio Moysis Deut. 32, 30 : sane, si quas librorum anteriorum partes norat auctor, norat vaticinium illud. Cum v. 14 « nec potuerunt resistere adversariis suis » cf. expressiones fere easdem Lev. 26, 37 ; Deut. 7, 24 ; 9, 2 ; 11, 25 ; Ios. 1, 5 ; 7, 12 sq ; 10, 8 ; 21, 42 (44) ; 23, 9. Cf. a nobis dicenda ad v. 14 sq. Quoad sensum cum v. 15 cf. Lev. 26, 17 et Deut. 28, 25. « Suscitari » v. 16 dicuntur iudices, dicebatur Deut. 18, 15. 18 propheta : simili reapse modo, immediato sc. Dei interventu, utrique instituuntur. Solemne libris anterioribus idololatriam appellare « fornicationem ». Cum v. 17 « Cito deseruerunt viam etc » cf. Ex. 32, 8 et Deut. 31, 29 : quos tres textus ceteroqui eosdem additam habere voculam *cito,* fortuitum vix dixeris.

Sequitur v. 17 « et audientes mandata Domini, omnia fecere contraria », seu « non fecerunt ita » (*Hebr.*). *Audire et facere* frequenter a Moyse copulantur : cf. Deut. 5, 27 ; 7, 12 ; 30, 12 sq. Solemniter inculcantur Deut. 8, 11 sqq., solemnius etiam et instantius in Moysis ad populum alloquio Deut. 6, 3 sqq. Ubi a vocibus « Audi, Israel, et observa » exorsus Moyses praeceptum dilectionis Dei tradit, in memoriam revocat divina beneficia, mandata observanda commendat, terram possidendam promittit, expressionibus usus quas supra recensuimus. מעלל « adinventiones » habes Deut. 28, 20.

Haec omnia tandem in argumentum redigamus. Cuius vis non in eo est, generatim Digressionis expressiones singulas in illis quoque libris reperiri : quis enim Digressionis auctorem exspectaverit novis omnibus et inauditis expressionibus esse locuturum ? sed easdem constanter, quae in solemnioribus Moysis et Iosue orationibus legantur, adhiberi expressiones, et eo quidem numero eoque ordine, quae, nisi auctor supponatur illas prae oculis habuisse orationes, sufficienter explanari omnino nequeant. — Adde, ea inculcari principia, quae apud Moysen primarii omnino sint momenti : uni Deo esse serviendum, praecepta audienda atque facienda, pactum servandum, abstinendum cultu idolorum nationum circum habitantium, fornicatione deorum alienorum ; ut luce clarius appareat auctor Pentateuchum novisse eiusque assidue praeceptis pavisse animum. Adde, v. 20 commemorari « pactum », quod sane formam aliquam religionis demonstrat magis absolutam et determinatam ea, quam Chananaeorum superstitionibus affinem, Pentateucho, arca et pontifice carentem iudicum aevo affingunt rationalistae. Adde, v. 15 appellari praevium quoddam Dei eloquium « sicut locutus est » : iam cum Pentateuchus divinis eloquiis sit refertus, cum nostra pericope Pentateuchi primarias leges inculcet, eius expressionibus loquatur, cum tandem adversarii nulla proferant efficacia argumenta, quid restat, nisi ut cum sapientibus quibusque auctorem ex Pentateucho libroque Iosue hausisse defendamus ? Tandem Digressio 3, 4 ipso *Moyses* nomine concluditur.

21. Digressionis cum sequentibus nexus. — Reliqua Iudicum Acta

3, 5-16, 31 cum thesi Digressione enuntiata intime ab eiusdem auctore esse contexta, patet cum rebus narratis tum expressionibus adhibitis.

Illud habes e rerum conspectu n. 2 tradito. Unde *Reuss* p. 338 : « Vix alterum librum historicum Hebraeorum reperies », inquit, « qui ita uno consilio contextus appareat, atque libri Iud. pars haec potissima. Orditur ab introductione didactica, quae notam supponit narrationem aliquam de Israelitarum usque ad terram Chanaan plene subactam fatis, ideoque a repetitis verbis Ios. 24, 28-31 orditur. Porro nos docet, mortuo Iosue sequentem generationem fecisse malum in oculis Domini, imprimis idolis colendis indulsisse, ideoque ab hostibus circum incolentibus esse visitatam atque prostratam; rebus adversis facti poenitentem Deum adiisse, qui misertus suscitaverit servatorem; pietatis oblitam brevi rursum caruisse quiete ; itaque cum Israelitis actum esse per longam generationum seriem, ut defectionem exciperet poena, poenitentiam liberatio. Haec 2, 6-3, 4 summa sequentis singulorum eventuum narrationis. Quibus simul auctor operis scopum indicat, non tam illud sc. agere se, ut gesta memoriae committat, quam ut prioris aevi experientia sui aevi homines moneat atque doceat ».

Habes idem expressionibus confirmatum, quae in coniungendis singulorum iudicum actis usuveniunt. Igitur eadem expressione 2, 11 « feceruntque filii Israel malum in conspectu Domini » singulorum iudicum acta ordiuntur : Othonielis 3, 7 ; Aod 3, 12; Baraci 4, 1 ; Gedeonis 6, 1 ; Iephte 10, 6 ; Samsonis 13, 1. In commissi vero mali poenam dicuntur Israelitae « traditi » (cf. 2, 14) in manus inimicorum 3, 8 ; 4, 2 ; 6, 1 ; 13, 1. Qui « gemitus » 2, 18 recensebantur, iidem 3, 9. 15; 4, 3; 6, 7; 10, 10 exprimuntur sententia « et clamaverunt ad Dominum ». « Serviisse Baalim » (cf. 2, 11. 13) narrantur Israelitae 3, 7; 10, 6. 10 et rursum, quod in idem recidit, 10, 6 « non serviisse Deo ». « Iratum » (cf. 2, 14. 20) Dominum legis 3, 8 et 10, 7; « suscitatos » (cf. 2, 16. 18) iudices 3, 9. 15; 10, 1. 3, qui « liberarent » (cf. 2, 16) populum 3, 9. 15. 31; atque reapse « iudicum » (2, 16) nomen singulis fere illis liberatoribus tribuitur 3, 10; 4, 4; 10, 2 sq.; 12, 7. 8. 9. 11. 13; 15, 20 ; 16, 31. « Fornicationis cum diis alienis » (cf. 2, 17) meminit 8, 27, 33; « hostium, qui habitant per gyrum » (cf. 2, 14) 8, 34; expressio « sint vobis in ruinam » (2, 3) repetitur 8, 27 ; « dimiserunt Dominum » (2, 12 sq.) 10, 6. 10; « vendiderunt eos » (2, 14) 3, 8; 4, 2; 10, 7 ; cf. 1 Reg. 12, 9.

Sunt aliae expressiones, quae quidem in Digressione non leguntur sed, uti tot Digressionis expressiones, ex Pentateucho fluxere. Ipsum Actorum Iudicum 3, 5 sq. initium in memoriam revocat prohibitiones Deut. 7, 1-4 (cf. Ex. 23, 23-25) editas. Frequens in Deut. (6, 13; 8, 11. 19.; 25, 19; 32, 18) expressio 3, 7 et 8, 34 « obliti sunt Dei sui ». « Spiritu Domini » dicebantur acti Moyses (Num. 11, 25 sqq.), Iosue (Num. 27, 18; Deut. 34, 9), et imprimis Caleb (Num. 14, 24) Othonieli coniunctissimus; idem iam praedicatur de Othoniele (3, 10), de Samsone (13, 25; 14, 6. 19; 15, 14) et postmodum de Saule et Davide (1 Reg. 10, 6. 10 ; 11, 6; 16, 13). Divinus spiritus item tribuitur Gedeoni 6, 24 et Iephtae 11, 29, licet ii loci fortasse non sint Samuelis sed eorum, qui acta singula scripsere : norant sc. etiam hi Pentateuchum. Expressio tandem « quievit terra » (3, 11. 30; 5, 32; 8, 28) omnino ex libro Iosue est transsumpta, cuius extremis expeditionibus 11, 23 et 14, 15 adscribitur.

COMMENTARIUS

a) Aevi prioris Innocentia.— Iud. 2, 6-10

Mentio habebatur v. 2 peccati ab Israelitis admissi. Illud s. auctor expliciturus redit ad illud tempus, quo Iosue brevi moriturus populum a se dimisit, iisdemque ac Ios. 24, 28 sqq. verbis usus commemorat, quam fideliter prima post Iosuen generatio Domino adhaeserit. Magna huius argumenti vis est, quod ostendat Hebraeos foedus servare potuisse suaque culpa tot se miseriis obiecisse.

v. 6 « *Dimisit ergo Iosue populum, et abierunt filii Israel unusquisque in possessionem suam, ut obtinerent eam* », reliqui *terram.* Notaverat iam *Aug.* (*M.* 34. 797) recapitulari hic, quae libro Iosue extremo habebantur, unde cum *Vatabl.*, *Mar.* vertendum *dimiserat*; distinctius etiam affirmaverat *Cai.*, verbotenus repeti verba Ios. 24, 28, uti v. 8 sq. repetantur verba Ios. 24, 29 sq. Hinc *dimisit* intelligendum, quo sensu vox Ios. 24, 28 intelligebatur, de tempore sc. post renovatum solemniter per Iosue 24, 25 foedus populi cum Deo. Textui illi adiiciuntur h. l. voces *ut obtinerent terram*, quibus *possessionis* vox eo definitur, ut de possessione acquirenda potius quam acquisita intelligatur. v. 7 « *Servieruntque Domino cunctis diebus ejus et seniorum, qui longo post eum vixerunt tempore, et noverant omnia opera Domini, quae fecerat cum Israel* ». Hic versus Ios. 24, 31 nonnisi post narratam Iosue mortem inseritur. *Cunctos dies* non necessario intelligas illos solum, qui a *dimisso* populo ad Iosue mortem effluxerunt, sed omnes omnino dies Iosue. Monemur igitur, non illico post narrata in libro Iosue defecisse populum, sed satis longo tempore post Deo fideliter servisse. Ad quem effectum non parum conferebant *seniorum* de divinis, quae ipsi viderant, *magnalibus (Hebr. LXX Chald. Syr.)* repetitae narrationes.

Praeter septuaginta seniores, quos falso h. l. appellat *Bertheau* (cf. quae diximus n. 5) erant et alii *seniores*, cum illi « septuaginta viri *de* senibus Israel » appellentur. Seniorum institutum antiquissimum et late in oriente diffusum. Gen. 50, 7 habes seniores domus Pharaonis, Num. 22, 7 seniores Moab et Madian, Ios. 9, 11 seniores Gabaon; Iethro Ex. 18, 14 sqq. Moysi, ut seniores adhibeat, suggerit. Habes seniores Israel iam ante eductum ex Aegypto populum Ex. 3, 16; 17, 5 etc. Tempore Moysis saepe nominantur, quos eosdem esse atque septuaginta viros gratuito supponet quis. Regum aevo habes seniores Iuda 1 Reg. 30, 26 etc, seniores Israel 2 Reg. 3, 17 etc; habes seniores domus David 2 Reg. 12, 17, quibuscum conferantur senes illi, quorum consilium 3 Reg. 12, 8 infeliciter neglexit Roboam. 1 Par. 26, 15 agitur de parte aedificiorum templi, ubi erat « seniorum concilium ». Sed habes etiam singularum urbium seniores Deut. 19, 12; 21, 3. 19; 22, 15; 25, 7; Iud. 8, 14; Ruth 4, 2; 1 Reg. 11, 3; Iudith 6, 12; Dan. 13, 5. Quos Israelitarum senes recte monet *Menoch.*

(ad Num. 11, 16) senes fuisse « non tam aetate, quam prudentia et moribus » : cf. senatores, gerontes, gerusiam. Huiusmodi senes h. l. intelliguntur, quorum exempla et admonitiones plurimum valuerint auctoritate, e quibus aliqui *prolongaverint dies* (*Hebr.*) et ita etiam naturali senectute provectissimi evaserint.

Ios. 24, 31 ידעו *noverant*, h. l. ראו *viderant*, v. 10 ידעו *noverant*; sed h. l. *Vulg.* LXX videntur etiam legisse ידעו : quare immerito *Palmieri* p. 155 diversitatem premit verborum. Sensu tamen omnibus iis locis *noverant* utique idem est atque *viderant* : agitur de cognitione immediata perceptione accepta, non sola orali traditione, qua etiam sequentes non caruere generationes. Quamdiu duravit ea seniorum aetas ? Alii quadraginta, viginti alii fere annos coniiciunt. Sed attende, neque necessario supponi oportere, *illico* post exstinctam illam generationem res perverti coepisse. Vix ex nostro v. 7 utile quid ad computum chronologicum derivabis.

v. 8 « *Mortuus est autem Iosue, filius Nun, famulus Domini, centum et decem annorum* », v. 9 « *et sepelierunt eum in finibus possessionis suae in Thamnathsare, in monte Ephraim, a septentrionali plaga montis Gaas* ». Verbotenus ex Ios. 24, 29 sq. Torrentis *Gaas* mentionem habes 2 Reg. 23, 30 ; 1 Par. 11, 32. *Thamnathsare* (ita etiam Ios. 19, 49 ; 24, 30 ; *Euseb.* adhibita metathesi Θαμνασταρά ; solum *kethib* et LXX h. l. Thamnathheres) urbs erat ipsi Iosue assignata. Situm reperto Iosue sepulcro determinavit 1863 *V. Guérin*, cf. Revue Archéol. 1865 I. 100 sqq., ut sit Tibne, sita in via a Djifna versus Ras-el-Ain. v. 10 « *Omnisque illa generatio congregata est ad patres suos* ». Qua phrasi produntur Hebraei sensisse animas esse immortales (*Calm.*), idque eo efficacius, quod generationum immediate praecedentium cadavera non in terra sancta humata fuerint, sed in deserto et in Aegypto (*Clair*).

b) ISRAELITARUM PECCATUM. — IUD. 2, 10-13

« *Et surrexerunt alii, qui non noverant Dominum et opera, quae fecerat cum Israel* ». Intelligitur universa generatio tempore iudicum (*Cai.*).

v. 11 « *Feceruntque filii Israel malum in conspectu Domini, et servierunt Baalim* ». Facere malum ipse est cultus Baalim seu idololatria : id collige ex Deut. 4, 25 ; 17, 2 ; 31, 18 ; ex Iud. 3, 7 et 10, 6 ubi expressio eadem, atque h. l., cum cultu Baalim copulatur ; eodemque illam sensu interpretare Iud. 3, 12 ; 4, 1 ; 6, 1 ; 13, 1, ubi initio historiae variorum iudicum ponitur. Malum, quod tamen idololatria non fuerit, fecisse Hebraeos vel superstitibus senioribus, novimus ex cap. 17-21 : verum non desciverunt a cultu Dei, cuius tam recentia erant mirabilia in deserto patrata. *Servientes Baalim* est expressio abbreviata ex altera 3, 7 *servientes Baalim et Astaroth* (cf. 2, 13) : ergo nostrum *Baalim* non solos deos mares (*Lap.*) significat, sed idem sonat atque « deos alienos » v. 12, dum nomen *Baalim et Astaroth* distinctius

exprimit idolorum tam numerum quam sexum, a veri numinis natura quam longissime abhorrentem. Cf. *Ser.*—v. 12 « *Ac dimiserunt Dominum Deum patrum suorum, qui eduxerat eos de terra Aegypti; et secuti sunt deos alienos deosque populorum, qui habitabant in circuitu eorum, et adoraverunt eos et ad iracundiam concitaverunt Dominum* », — *Hebr. LXX Chald. deos alienos de diis populorum*, e numero eorum etc — v. 13 « *dimittentes eum et servientes Baal et Astaroth* ». Nota, quam indignanter auctor malum describat ab Israelitis admissum. Primum v. 11 illud generatim nominat. Inde v. 12 illud describit, primum a parte sua negativa (*ac dimiserunt etc*), dein a parte positiva (*et secuti sunt etc*), tandem ab effectu (*et ad iracundiam etc*); concluditque v. 13, rursum brevi formula peccati naturam exprimens a parte tam negativa quam positiva. Dimissi Domini tanto maior ignominia, quod ipse sit *Deus patrum* eorum et *eduxerit eos de terra Aegypti* : vide, quanta ingratitudo dimittendi tanti benefactoris. Augetur ignominia, quod secuti sint deos *alienos,* diversos a Iahve nomine et natura, quorum nulla recenseri queant beneficia, quos indiscriminatim acceperint a *populis* circum habitantibus, toties Iahve auxilio prostratis. Qui dii cum comparatione Iahve tam viles sint, crescit in immensum iniuria offensi numinis et vesania eius excitatae *iracundiae*. Utitur vero auctor expressionibus in libris antiquioribus maxime solemnibus (cf. Deut. 6, 14 sq.; 13, 7 sq.; 29, 25 sq.; 31, 16 sq.), ut inculcet poenas ib. statutas Israelitis pro defectione deberi.

In voce *Baal* legebant articulum *Masor.* LXX, ignorabant *Chald. Syr.* : res de punctatione agitur. Etsi articulum legas, uti 3, 7, qui textus certissime eundem cum nostro sensum habet, singularis Baal non de « certo quodam idolo, Tyriorum maxime » (*Ros.*) intelligendus erit, sed collective (Baalim v. 11); vel dicendum, unicum tandem fuisse Baal, quem variae variis modis coluerint civitates. Erat Baal Tyrius seu Melkart, Baal Sidonius, Baal Libycus, Baal Tarsensis, Baal Peor (Deut. 3, 29 etc), Baal Berith (Iud. 8, 33). A muscis dicebatur Baal Zebub (4 Reg. 1, 2. 3. 16), qui erat Deus Accaron. Similiter colebatur *Astarte* in Astaroth Carnaim Rephaitarum (Gen. 14, 5). Inscriptio Mesae recenset idolum Moabitarum Astar-Kamos. Eadem erat Istar Euphratensium, apud quos Istar Ninivitana et Arbelica in praecipuo honore erant. 3 Reg. 11, 5 etc vocatur Astarte « dea Sidoniorum ». Cf. *P. Scholz*, Goetzendienst u. Zauberwesen, Regensburg 1877, 137 sqq., 259 sqq.

c) peccati poena. — iud. 2, 14-15

v. 14 « *Iratusque Dominus contra Israel, tradidit eos in manus diripientium, qui ceperunt eos et vendiderunt hostibus, qui habitabant per gyrum; nec potuerunt resistere adversariis suis* », v. 15 « *sed quo-*

cunque pergere voluissent, manus Domini super eos erat, sicut locutus est et iuravit eis; et vehementer afflicti sunt ». Ad *irae Dei,* cuius v. 12 fecerat mentionem, effectus describendos progreditur auctor : ubi simul patefit, quomodo gentes plures in terra sancta potuerint permanere, Deo sc. a populo foederis oblito se retrahente et victoriam adversariis largiente, qui hos exterminare poterant Hebraei? Verbis *sicut locutus est* appellat auctor priora Dei effata (cf. Lev. 26, 17; Deut. 28, 25), quibus eaedem omnino plagae Hebraeis praenuntiabantur. Addit *et iuravit eis,* illae quippe minae pars erant foederis a Deo initi : « Haec sunt verba foederis », Deut. 29, 1; neque incommode effertur Deus stetisse iuratis, quo tempore Israelitae ab iisdem deflexerint. Vel ipsae expressiones ex antiquioribus petuntur documentis, evincuntque auctorem illa oppido cognovisse atque suis verbis lectori in animum revocare voluisse. Nominatim verba *nec potuerunt resistere adversariis suis* verbotenus habentur Ios. 7, 12, nisi quod pro לעמד ibi sit לקום. Quae h. l. in reliquis textibus additur vox עוד *ultra,* alludit cum ad felicem sub Iosue et senibus conditionem, tum ad Lev. 26, 7, ubi Israelitis fidelibus plena de hostibus promittebatur victoria. Quod dicitur, *quocunque perrexissent, fuisse Israelitis manum Domini adversam,* in memoriam revocat Ios. 1, 9 : « Tecum est Dominus Deus tuus in omnibus, ad quaecunque perrexeris ».

d) IUDICUM INSTITUENDORUM RATIO. — IUD. 2, 16-19

De ira Dei agens auctor ad totam providentis Dei iudicum aevo oeconomiam explicandam descendit, v. 20 iteratis verbis « Iratusque est furor Domini in Israel » argumentum conclusurus. « Auctor dicturus hoc libro de ira Dei septies in Israelem accensa, ubi primum eius irae meminit, adversa, quae iudicum aevo eventura fuerant, iam mente contuitus, summario exhibet v. 14-19 ea, quae sequentibus sex pericopis narraturus est, dein ad seriem rerum narrandarum reversus v. 20 sqq. de poena disserit, quae prima populo fuerat indicta « (*Bertheau*). Ne tamen haec ita, quaeso intelligas, acsi de ira Dei tractare in animo potissimum sit auctori, sed illud prae ceteris intendit, Dei in iudicibus excitandis pandere consilium, ubi etiam de ira Dei dicere oportebat.

v. 16 « *Suscitavitque Dominus iudices, qui liberarent eos de vastantium manibus; sed nec eos audire voluerunt* », v. 17 « *fornicantes cum diis alienis et adorantes eos* ». *Hebr. sed fornicati sunt c. d. a. et adoraverunt eos.* « *Cito deseruerunt viam, per quam ingressi fuerant patres eorum, et audientes mandata Domini omnia fecere contraria* ». *Hebr. patres eorum auscultando mandata Domini; non fecerunt sic* : maior breviusculae huic sententiae inest vigor. Foedus scriptura ad

instar connubii populum inter et Deum initi celebrare consuevit, quare idololatria *fornicationis* nomine venit, cf. Lev. 17, 7; 20, 6; Deut. 31, 16. Et nota זנה fere unice de fornicatione a muliere (sive innupta sive nupta) patrata adhiberi, et fornicari *post aliquem* exhibere mulierem post amasium currentem seque illi obtrudentem. — In *afflictione* v. 15 latet quidem ad Deum conversio et precatio (cf. 3, 9. 15; 4, 3; 6, 7 etc), sed non exprimitur. Statimque auctor v. 16 sq. commemorat, quomodo Deus ope iudicum Israelitas liberaverit, qui tamen vicissim Deo fidem non servaverint: neque tamen exprimit auctor, eam fidem servatam esse saltem quoad viverent singuli iudices, nec nisi illis mortuis defecisse. Quare v. 18 a כי explicativo exorsus dicta repetit, omissa supplet. Commemorat *gemitus*, quibus Deus ad suscitandos iudices inductus fuerit; explicat, superstite quidem iudice Hebraeos Deo adhaesisse, quod patet cum ex oppositione v. 19 (« Postquam autem mortuus esset iudex »), tum inde quod secundum priora promissa Deus utique non futurus fuisset *cum iudice* (*Hebr.*) nisi tum Hebraei Deo adhaesissent. v. 18 « *Cumque Dominus iudices suscitaret, in diebus eorum flectebatur misericordia, et audiebat afflictorum gemitus, (et liberabat eos) de caede vastantium* ».

Paulo aliter reliqui textus : *Cumque Dominus iudices suscitabat, erat quoque Dominus cum iudice, et salvabat illos de manu inimicorum suorum cunctis diebus iudicis, quia miserebatur Dominus gemituum, a facie affligentium et opprimentium eos*. Initio versus certe aliqua omittit *Vulg.*; postea aut corrupta legebat aut liberius vertebat.

v. 19 « *Postquam autem mortuus esset iudex, revertebantur et multo faciebant peiora* » — *Hebr. corrumpebant* sc. vias, cf. Gen. 6, 12 —, « *quam fecerant patres eorum, sequentes deos alienos, servientes eis et adorantes illos. Non dimiserunt adinventiones suas et viam durissimam (per quam ambulare consueverunt)* ». *Bonfr.* intelligit *patres* eos, qui sub prioribus iudicibus Dei immemores vixerint; ubi supponendum erit v. 16 sq. referri ad tempus iudicum priorum, v. 18 sq. posteriorum. Melius v. 16-19 intelligitur de iudicum aevo universim, et peccata *patrum* intelliguntur, quaecunque ante iudicum tempus, maxime in deserto, fuere commissa. Via « *dura* dicitur », inquit *Menoch.*, « quia in aerumnas et damna gravissima fert, Deumque durum seu iratum efficit ». Cum via idem sit quam vita, planior ratio cum *Lap.* assignatur, « quia erant inobedientes et durae cervicis », cf. Ex. 32, 9; 33, 3. Explicat *Bonfr.* : « Viam duram vocat vitam pravam et actiones, quae a duro corde proficiscuntur, nempe cum nec beneficiis ad bonum quis flectitur, nec castigationibus emollitur ».

e) dei decretum. — iud. 2, 20-3, 4

Bifariam hoc membrum subdividitur, ut primum 2, 20-23 Dei de non delendis gentibus decretum repetatur, dein 3, 1-4 eius finis aliquis denuo inculcetur, enumeratis simul gentibus iis, quae intra terram sanctam perseverare ad tempus sunt permissae.

v. 20 « *Iratusque est furor Domini in Israel et ait : Quia irritum fecit gens ista pactum, quod pepigeram cum patribus eorum, et vocem meam audire contempsit* », v. 21 « *et ego non delebo gentes, quas dimisit Iosue, et mortuus est* », i. e. eas quae, dum moreretur Iosue, supererant adhuc. *Hebr. Et ego non pergam delere unumquemque a facie eorum de gentibus* : aliqui etiam imperantibus iudicibus destructi sunt hostes, sed non perrexit Deus prosternere, quotquot Hebraeis obvii fierent, quod aliquamdiu duce Iosue obtinuerat. Deus in poenam neglecti foederis, quod ipse foedere pactus erat, praestare differt. Ceterum nota in ipso foedere statutum fuisse, gentes nonnisi paulatim exstinctum iri Ex. 23, 29 sq.; Deut. 7, 22. — v. 22 « *Ut in ipsis experiar Israel, utrum custodiant viam Domini et ambulent in ea* » — ita recte *Vulg. LXX Syr.* reddunt *Hebr. Chald. in eis,* quae est constructio quoad sensum (*Keil*), cum idem sit *via* Dei, quod *mandata* —, « *sicut custodierunt patres eorum, annon* ». Vox hebr. anceps est potestque verti aut cum *Vulg. ut experiar,* aut cum *Syr. ut experiretur;* secundum Vulg. v. 22 pars est orationis Dei v. 28 sq., secundum Syr. est animadversio a s. auctore adiecta. Hoc altero modo *Bertheau* versum intelligit, intime iungens v. 23 : « Ut experiretur Dominus Israel... dimisit omnes nationes has ». Affirmat eandem constructionem haberi Is. 45, 4, quo eius interpretatio possibilis esse evincitur, non tamen necessaria. Urget scribi *viam Domini*, non *viam meam*, quod tamen directae orationi congrueret : at haec ratio neque est peremptoria, Hebraei enim in sententiis concinnandis quandoque sunt minus accurati. Bene vero ea interpretandi ratio accommodatur ultimo v. 23 inciso : Experimenti sumendi gratia Deus non solum post Israelitarum defectionem gentiles deleri non permisit, sed ante iam curaverat, ne ab ipso Iosue delerentur. — Si Vulgatam sequamur, quaeritur, a quonam verbo illud *ut experiar* regatur. Respondebis : a *delebo* v. 21. Neque obest, Deum iam v. 20 aliud motivum enuntiasse, ob quod gentes non deleverit; id enim reapse ob varios ipse fines fecit. Fecit ex 3, 1, ut Israelitae discerent fide proeliari et pietate; fecit ex 2, 3. 21, quia illis foedus negligentibus nolebat, quae ipse foedere pactus esset, praestare; fecit Ex. 23, 29 sq. et Deut. 7, 22, ne terra, brevi tempore tot incolis orbata, feris depascenda relin-

queretur. Qui fines invicem minime excludunt. Et aliqui ex illis videntur quidem fuisse absoluti, quibus nihil commune esset cum populi idololatria. Absolute Deus, Iosue adhuc superstite, decreverat terram Hebraeis nonnisi paulatim concedere; sed ob populi secutam idololatriam id diutius etiam, atque secus fecisset, distulit et severius de populo experimentum sumpsit. Quodnam erat illud experimentum? Permittebantur Israelitae imminentiori periculo negligendi foederis ob admixtas ubique nationes, quo efficacius in observando foedere admissam impietatem luerent, pleniusque promererentur quietem in possessione universae terrae sanctae sibi promissam. — Alium verborum nexum, ab eo quem modo exposuimus sensu haud recedentem, suggerit LXX repetita una v. 21 voce : *et dimisit ad experimentum capiendum in ipsis de Israel.* Vides, ita v. 22 regi a voce *dimisit* v. 21. Ast ita, obiicit *Bertheau,* Iosue esset qui experimentum sumeret de populo, cum secus soli Deo tale experimentum competat. Verum eluditur obiectio, si verbum interpreteris impersonale : non *ut experiretur,* sed *ut fieret experimentum.* Secundum LXX planum est, cur scribatur *viam Domini,* non autem *viam meam.* — v. 23 « *Dimisit ergo Dominus omnes nationes has, et cito subvertere noluit; nec tradidit in manus Iosue* ».

Cap. III. — Cap. 1 interpretaturi dicebamus auctorem, tribubus transiordanicis omissis, totum esse in earum, quae cis flumen habitarent, rebus enarrandis. Id tam est verum, ut nunc, hostium intra terram s. incolentium catalogum texturus, solos cisiordanicos commemoret, reliquis neglectis. Omittit Moabitas et Ammonitas, quorum tamen mox tyrannidem narraturus est; similiter Gaditarum, quibus Ammonitarum tractus attributus erat, in toto libro non habetur mentio; Rubenitarum, qui Moabitis permixti incolebant, semel tantum 5, 15 sq., ubi dicuntur Debborae se non iunxisse. Videtur iam, quo tempore hic liber scribebatur, regio ad orientalem plagam Maris Mortui habita esse veluti a reliqua terra promissa alienior; quare eius incolae in nostro elencho non recensentur, uti alii aliqui populi qui, licet iudicum aevo in terram s. irruperint, tamen extra hanc nativas sedes occupabant : Mesopotamii, Madianitae, Amorrhaei. — Ceterum in hoc elencho idem, quod cap. 2, observatur : fuse praecedentibus explicata ratione principe, cur Deus eas gentes terram s. incolere permiserit, idololatriae sc. punitione, subnectit h. l. auctor eiusdem facti rationes quasdam secundarias, voluisse Deum experimentum sumere fidelitatis Iudaeorum eosque docere in bellis gerendis fidei memores esse et religionis. Scripta haec videntur, quo tempore Israelitae, continuarum cum hostibus domesticis pugnarum pertaesi, veluti de neglecto a Deo foedere conquerebantur; item quo tempore Amorrhaei non iam, uti initio iudicum aevi (cf. 1, 34 sq.),

intra terrae s. fines incolebant; cf. 3, 5 cum omissione Amorrhaeorum 3, 3 modo explicata.

v. 1 « *Hae sunt gentes, quos Dominus dereliquit, ut erudiret in eis Israelem et omnes, qui non noverant* » — *Hebr. Chald. Syr.* inserunt *omnia* — « *bella Chananaeorum* ». *Ser. Israelem* intelligit eos, qui fuissent tempore Iosue, *omnes qui etc* eorumdem posteros. Sed reliqui textus omnes ignorant *et* : ergo *Israelem i. e. omnes, qui etc (Cai., Bonfr.)*. Verbum *non noverant* intelligendum est uti 2, 10 de testibus immediatis, cf. quae diximus ad 2, 7 : agitur de iis, qui quod non suis oculis spectassent victorias Iosue, neque intelligebant practice ea omnia, quae illis victoriis demonstrabantur, potentiam Domini, obligationem foederis etc. « Altera haec post Iosue et seniores generatio, bonis affluens, parvi pendebat pericula, quibus se patres obiecerant, neque quantum par erat de auxilio a Deo collato sentiebant » (*Cassel*). Ubi *Vulg. erudiret,* reliqui habent *experiretur,* eadem voce atque 2, 22 et 3, 4 usi, quam illis locis Vulg. vertit experiendi verbo. Ceterum, cum נסה 1 Reg. 17, 39 et Deut. 28, 56 ad assuescendi significationem descendat, repetitum quippe experimentum consuetudinem generat, etiam erudiendi significatio a radice non abhorret. *Symm.* ἀσκῆσαι. Vulg. et Symm. in mente habent quod sequitur « ut discerent certare cum hostibus » : cum vero ea sententia probabilius aliter, quam Vulg. facit, vertenda sit, commodius retinetur vox *experiretur*.

v. 2 « *Ut postea discerent filii eorum certare cum hostibus, et habere consuetudinem proeliandi* ». Contra Vulg. consentiunt textus reliqui omnes, Hebr. ad verbum ita verteres : *Tantum ad sciendum generationes filiorum Israel docendo eas bellum; tantum quod antea non noverant ea*. Primi verbi duplex esse potest subiectum. *Chald. Syr.* subiectum coniecere *Israelitas* : Tantum ut *scirent* generationes filiorum Israel, in docendo eas bellum, vel respectu discendi belli. Cuius sententiae is videtur esse sensus, eo *tantum* fine pepercisse Deum Chananaeis, ut continuis eorum bellis discerent Israelitae artem militarem; quem finem neque unicum fuisse neque principalem, docent 2, 10; 3, 1. 4. — Melius igitur subiectum statues esse *Deum* (*Bertheau*) : Tantum ut *sciret* i. e. *experiretur* generationes filiorum Israel. Quae constructio eadem omnino est atque 2, 22, servaturque idem subiectum tum cum praecedenti *dereliquit*, tum cum sequenti *docendi* verbo; sensus est aptissimus, cum eam tamquam unicam rationem efferat, quae reapse aliis locis semper adducitur. Sed explicanda sequentia verba, quae prioribus aut coordinari possunt aut subordinari. Si prius, erit vertendum : Tantum ut experiretur generationes filiorum Israel, (et) ut doceret eas bellum (ita fere *Cler.*). Verum durius supprimitur copula. Dein, si praeter

grammaticam historiam quoque consulamus, non videtur Deus iudicum aevo tantopere intendisse finem docendae Hebraeos artis bellicae : solis Saule et Davide regibus plus ii ea arte profecere, quam toto iudicum tempore. Ad finem igitur discendae artis bellicae iudicum aetas expungenda potius fuerat. Subordinandae itaque sententiae, atque vertendum : Tantum ut experiretur generationes filiorum Israel, dum doceret eas bellum. Ubi verba non finem exprimunt, sed solum occupationem concomitantem. Finis tolerandorum Chananaeorum fuit experimentum de Israelitis sumendum secundum dicta 2, 22 et 3, 4; dum vero Deus hoc experimentum sumebat, simul docebat eos bellum; quod quidem perfectius etiam et completius tempore regum praestitum esse non negatur. Neque obstat, quominus cum *Aug.* illud doceri bellum nonnihil sublimius intelligamus, « ut tanta pietate et obedientia legis Dei bellarent, quanta patres eorum, qui Domino Deo etiam bellando placuerunt », ut discerent fide magis quam armis decertare, et ita ipsum bellum experimenti occasionem praeberet. — Venio iam ad ultimum sententiae membrum, quod plures vertunt : tantum *eos, qui* ante non noverant ea, sc. bella sub Iosue contra Chananaeos gesta. Non perspicitur, quorsum praecedens sententia ita restringatur. Clare his capitibus sibi opponuntur generationes priores, quae oculis viderint, et generationes posteriores, quae non viderint et ideo neque noverint. Iosuen et senes, quo tempore haec gerebantur, iam fuisse mortuos supra affirmabatur : otiosum ergo erat tam solemniter protestari, de *solis* illorum posteris h. l. esse sermonem. Potius ergo vertendum : tantum *quia* ante non noverant ea. Sic versus optime contextui aptatur, enuntiat Deum in tolerandis Chananaeis unicum habuisse finem, unicum motivum : movebatur posteriorum generationum culpabili ignorantia, intendebat experimentum de eorum fide sumendum. Totum iam accipe versum : *Tantum ut experiretur (Deus) generationes filiorum Israel, dum doceret eos bellum; tantum quia ante non noverant ea,* sc. bella, quibus Deus tam gloriose Iosuen contra Chananaeos adiuvit.

Difficultas est in suffixo vocis ידעום. Putat *Cler.*, hoc suff. masc. ad fem. מלחמות referri non posse ; cui merito respondet *Houb.*, non ita fideliter generi nominis adhaerere hebraea suffixa. Sed errat ipse defendens, suffixum ad plur. מלחמות referri non posse, quod eiusdem vocis sing. מלחמה intercedat. Ad illum referri non solum posse sed immo debere, evincit omnimodus inter v. 1 et 2 parallelismus : v. 1 *ut experiretur in eis Israelem,* cui respondet v. 2 *tantum ut experiretur generationes filiorum Israel, dum doceret eas bellum;* rursum v. 1 *sc. omnes, qui non noverant bella Chananaeorum,* et respondet v. 2. *tantum quia ante non noverant ea.*

Textus *Vulg.* paucis reddenda est ratio. Vertit is primum רק voce *postea,* qui sensus a voce est alienus, uti etiam ille, quem altera versio LXX eidem affingit, παντελῶς. Finem sententiae inde a secundo רק Vulg. penitus ignorat, in priori vero

membro duas coordinatas legebat expressiones, *certare cum hostibus* et *habere consuetudinem proeliandi*. Textum, quem Vulg. legerit, restituere complete haud valemus, corruptionis tamen originem indicabimus. Videtur in codice hebraeo, quem S. Hier. sequebatur, vox לישראל deteriorata esse in לשרות *certare*, quo facto sententia iam sensu carens imperitorum emendatorum tentamina sollicitabat. — Ignorat etiam *Vulg.* vocem דרות, LXX vocem דעת. Facile דעת in דרת corrumpi potuit, sed potest etiam utraque vox genuina esse.

v. 3 « *Quinque satrapas Philisthinorum, omnemque Chananaeum et Sidonium atque Hevaeum, qui habitabat in monte Libano, de monte Baal Hermon usque ad introitum Emath* » seu Hamath. Philisthinorum pentapolis erat Ios. 13, 3 : Gaza, Azotus, Ascalon, Geth, Accaron. סרן titulus erat regum Philisthinorum, cf. Iud. 16, 5 sqq. ; 1 Reg. 5, 8 sqq. ; 6, 5 (4) ; 29, 6. *Hevaei* Chananaeis accensentur Gen. 10, 17. Quorum aliqui tempore Iacob prope Sichem incolebant, Gen. 32, 18 et 33, 2 ; tempore Iosue 11, 19 in Gabaon ; sed princeps eorum sedes erat Ios. 11, 3 « ad radices Hermon in terra Maspha », quae non ita longe a Sidone (cf. ib. v. 8) videtur abfuisse ; plenius h. l. eorum fines describuntur. 2 Reg. 24, 7 iter Ioab a Tyro per Hevaeos et Chananaeos dirigitur versus meridionalem extremitatem terrae sanctae. Eorum reliquiae imperante Salomone 3 Reg. 9, 20 ad angariam sunt adactae. *Hermon* ex Deut. 3, 9 a Sidoniis Sarion, ab Amorrhaeis Sanir audiebat, ab Hebraeis 4, 48 etiam Sion. 1 Par. 5, 23 distinguuntur BaalHermon, Sanir et Hermon : videntur diversa fuisse eiusdem montis cacumina. In eo monte nascitur Iordanis. v. 4 « *Dimisitque eos, ut in ipsis experiretur Israelem* », — *Hebr. ut sciret* לדעת, quo confirmatur nostra expositio v. 2 — « *utrum audiret mandata Domini, quae praeceperat patribus eorum per manum Moysi, annon* ».

Antequam Digressionis explicandae finem faciamus, iuvat advertere, quo illa potissimum legentes sensu inspiraverit atque ad pervolvendam iudicum historiam traduxerit. Ultimus igitur et potissimus ille sensus hic est, omnes iudicum aevi miserias *experimentum* solummodo fuisse, unice permissas ob ignorantiam divinae in gubernando populo providentiae fideique defectum. *Erudierat* Dominus Israelem, *experimentum* de illo sumpserat : sed eruditionem aliquando subsecutura erat scientia, experimentum stabilis atque secura conditio. Effluxerant sane aut certe ad finem vergebant tempora, quibus sibi quisque relictus arbitrio magis quam certa lege agebat et, « quod sibi rectum videbatur, hoc faciebat » ; eruditusque populus atque duris experimentis solidatus, sub rege iamiam a Deo designando aut designato, fruiturus erat bonis, Dei cultu et ope ab omnibus adversis securus. *Spem* haec spirant gratamque post adversa *fiduciam*.

Othoniel. — Iud. 3, 5-11

22. Narrationis auctor — est ipse, qui iudicum narrationes in unum redegit librum, Samuel.

Nulla ratio est diversi auctoris adstruendi. Quin immo tota, si duo vel tria excipias incisa, iis constat expressionibus, quae Samueli in hoc libro maxime sunt familiares et ab eo constanter, dum ab unius ad alterius iudicis acta gressum facit, usurpantur. Vix enim de Othoniele particularia aliqua traduntur sed, eius et Chusani praefixis nominibus, narratio generalioribus iisdem formulis, quibus Digressio constabat, absolvitur ; ut censuerit *Wellh.* p. 242, hunc primum iudicem ab auctore licentia poetica esse effictum, et quidem ob eam maxime rationem, ut iudicum series a viro tribus Iuda (!) initium duceret. Sed multo planius supponitur Samuel de Othoniele praeter nudum factum traditione servatum certi rescivisse nihil ideoque maluisse generalioribus expressionibus rem absolvere, quam fictione a vero deflectere.

v. 5 est transitio quaedam sensu resumens cap. 1 et 3, 3. — v. 6 explicat illa foedera 2, 2, quod coniugiis constiterint et idololatriae societate. « Servierunt diis eorum », cf. 2, 11. 12. 13. 17. 19. — v. 7 « feceruntque malum in conspectu Domini », cf. 2, 11. 19 ; 3, 12 ; 4, 1 ; 6, 1 ; 10, 6 ; 13, 1. « Et obliti sunt Dei sui », cf. 2, 10 ; 3, 1. « Servientes Baalim et Astaroth », cf. 2, 11. 13. 19 ; 10, 6. 10. — v. 8 « Iratusque contra Israel Dominus», cf. 2, 14. 20 ; 10, 7. « Tradidit eos in manus etc », cf. 2, 14 ; 4, 2 ; 6, 1 ; 10, 7 ; 13, 1. « Servieruntque ei octo annis », cf. 3, 14 ; 4, 3 ; 6, 1 ; 10, 8 ; 13, 1. — v. 9 « Et clamaverunt ad Dominum », cf. 2, 18 ; 3, 15 ; 4, 3 ; 6, 7 ; 10, 10. « Qui suscitavit eis salvatorem », cf. v. 15 ; aequivalentem expressionem in singulis habes iudicum historiis ; cf. etiam 2, 16. « Et liberavit eos », cf. 2, 16. 18 ; 3, 31. — v. 10 « Et iudicavit Israel », cf. 10, 2. 3 ; 12, 7. 8. 11. 13 ; 15, 20 ; 16, 31. — v. 11 « Quievitque terra », cf. 3, 30 ; 5, 32 ; 8, 28. « Et mortuus est », cf. 4, 1 ; 8, 32 ; 10, 2. 5 ; 12, 7. 10. 12. 15.

COMMENTARIUS

v. 5 « *Itaque filii Israel habitaverunt in medio Chananaei et Hethaei et Amorrhaei et Pherezaei et Hevaei et Iebusaei* ». Septem nationes gentiles intra terram s. habitantes enumerare consuevit scriptura, e quibus tamen Pherezaei et Gergesaei haud raro omittuntur. Secundo loco, praemissis Chananaeis, recensentur *Hethaei* Ex. 3, 8. 17 ; 13, 5 ; Ios. 3, 10 — praemissis Amorrhaeis, Ex. 23, 23. Primo loco recensentur Hethaei Deut. 7, 1 ; 20, 17 ; Ios. 9, 1 ; 12, 8. Fortasse ab Exodo usque ad Moysen eorum increverat potentia. Ios. 1, 4 (cf. Deut. 11, 24) tota regio inter desertum Arabicum, Euphraten, Libanum et mare vocatur « terra Hethaeorum ». Intra terram s. Hethaei, Chananaeis Gen. 10, 15 adscripti, incolebant Hebronem Gen. 23, 3 tempore Abrahae. Num. 13, 30 (29) et Ios. 11, 3 terra s. ita inter nationes septem distribuitur, ut Amorrhaei, Hethaei, Pherezaei et Iebusitae montana incoluerint, Chananaei regionem circa Iordanem et prope mare,

Hevaei tractum quem ad v. 3 descripsimus. Horum reliquias habes 1 Reg. 26, 6; 2 Reg. 11, 3; 3 Reg. 11, 1; 1 Esdr. 9, 1. A Salomone 3 Reg. 9, 20 ad angariam adacti sunt. Iam dubitant aliqui, sintne Hethaei Euphratenses eadem gens atque Hethaei intra terram s. habitantes: horum in scriptura recenseri nomina propria chananaea, illorum in inscriptionibus aramaica. Non ita evidens hoc argumentum esse videtur, ut contra Ios. 1, 4 aliorumque textuum sensum obvium diversae originis fuisse Hethaeos intra et extra terram s. evincat; optime autem fieri potuit, ut Hethaei orientales Aramaeis intermixti, ad Aramaeorum quoque idioma propius accederent. *Pherezaeos*, quod Gen. 10 non recenseantur, putant Chananaeis non fuisse affines, sed ad antiquiores regionis incolas pertinuisse. Ex Ios. 17, 15 sqq. videntur illi habitasse ad septentrionem Iezrael et Bethsan, ergo in eo qui Hermon minor audit monte; quocum concordat, eos Iud. 1, 4 in Bezec (cf. 1 Reg. 11, 8) narrari devictos. A Salomone 3 Reg. 9, 20 ad angariam sunt redacti.

v. 6 « *Et duxerunt uxores filias eorum, ipsique filias suas filiis eorum tradiderunt, et servierunt diis eorum* », v. 7 « *feceruntque malum in conspectu Domini* », « ipso vidente et reprobante » (*Mar.*), « *et obliti sunt Dei sui servientes Baalim et Astaroth* ». *Hebr. LXX Ascheris*, sed praeferenda *Vulg. Chald. Syr.* lectio, cum auctor utique expressionem 2, 11. 13 verbotenus repetere intendat. Illa connubia prohibuerat Deus Deut. 7, 3 sq., et quidem praecavendae idololatriae causa, et Ex. 34, 16 eiusmodi nomine fornicationis (cf. Iud. 2, 17) proscribuntur. v. 8 « *Iratusque contra Israel Dominus tradidit eos in manus Chusan Rasathaim, regis Mesopotamiae, servieruntque ei octo annis* ». Descripserat v. 7 auctor peccatum Israelitarum iisdem fere verbis, quibus 2, 11. 13: iam iisdem, quibus 2, 14. 20, verbis narrationem inflictae poenae orditur, quo evidentius pateat, sequentem narrationem ad confirmandam legem generalem cap. 2 statutam texi. « Thesaurizantes sibi ipsis iram, traditi sunt iusto Dei iudicio in manus inimicorum » (*Rhab.*). *Hebr.* h. l. uti 2, 14 *vendidit eos*: sicut venditor lucrum, quod ex mancipii labore sibi obvenisset, iam venditi pretio accipit, ita Deus gloriam, quam peccator pendere detrectat, eodem poenis divendito suam facit. *Servierunt* tyranno, qui servierant v. 7 idolis, nolentes servire 2, 7 Domino. — Eadem regio Gen. 24, 10 *Aram Naharaim* vocatur, quae 28, 2 sqq. Padan Aram audit. Ad eam pertinebat Haran, postea Charrae nuncupata, ll. cc. et Tob. 11, 1. Balaam Deut. 23, 4 (5) dicitur venisse de Aram Naharaim, idem Num. 22, 5 (cf. *Keri*) de Ammonitide regione. Ergo Aram Naharaim nequaquam idem est, quod vulgo Mesopotamia, cui nunquam accensebatur Ammonitis. Babyloniam excludebat: teste *Schrader* (Keilinschriften u. Geschichtsforschung, Giessen 1878, p. 271)

antiquus aliquis rex Babylonius, praeter titulum « regis Babyloniae », etiam titulum gerebat « rex regionis Padan » ; ergo non plane eaedem erant regiones. Multo magis excluditur Assyria (*Ios.*), strictiori sensu accepta, quae ne ad Mesopotamiam quidem pertinebat. Aram Naharaim complectebatur omnem regionem ad occidentem medii Euphratis, fere ad terram s. usque, et partem regionum ad orientem fluminis sitarum, fere ad Chaboram fluvium usque.

Ergo nomen *Chusan Rasathaim* nequaquam inter reges Babyloniae aut Assyriae quaerendum, immo ab horum nominibus prima fronte alienum dignoscitur. Ad Chusan alludi quidam putavere Hab. 3, 7 : « Pro iniquitate vidi tentoria Chusan », *Vulg.* « Aethiopiae » : sed gratis id asseritur. Alterutram nominis partem aliqui vertere tentavere. Ita *Simonis* (ap. Ros.), adhibita radice arabica: « reverendus (princeps) urbis Rasathaim ». *Bertheau* : « Cuschita bis exsecrandus », quem ipsum Nimrod esse coniicit. Cui praeiere *Chald. Syr.*, neglecta tamen, quae dualem imitatur, terminatione : « Chusan impius ». Ubi illud praeprimis tenendum, utramque vocem, tam Chusan quam Rasathaim, si lectio, qualis nunc est, retineatur, ad nomen vel ad titulum viri pertinere ; quo tamen non negamus fieri potuisse, ut altera vox primitus nonnihil diversa fuerit a Rasathaim, sed a Iudaeis in hanc similem formam, a radice רשע *impium esse* petitam, esse redactam. Iam *Cassel* ex *Ialkut* Iud. n. 41 defendit, interpretationem Chald. Syr. (a radice רשע) primitus ex Midrasch rabbinico fluxisse, immo indidem primum literam ע nomini esse insertam. Quodsi id admittere lubet, poteris etiam defendere, literam ע in locum alterius cuiusdam literae successisse, genuinamque lectionem fuisse hanc ריש חתים ; ergo : *Chusan, princeps Hethaeorum, rex Aram Naharaim.* Origine Hethaeus omnes circa Euphraten populos subegerat. De *Hethaeorum* universim gente et finibus cf. *A. H. Sayce* (Alte Denkmaeler im Lichte neuer Forschungen, Leipzig p. 109 sqq.; primum idiomate anglico scriptus liber) et *F. Hommel* (Die semitischen Voelker u. Sprachen I. 175 sqq., Leipzig 1883). Plura adhuc obscura, incerta.

v. 9 « *Et clamaverunt ad Dominum, qui suscitavit eis salvatorem et liberavit eos, Othoniel videlicet* », — qua addita voce recte *Vulg.* accusativum exprimit ; *Syr.* nominativum interpretatur, sed obest את — « *filium Cenez, fratrem Caleb minorem* », cf. dicta ad 1, 13. *Clamandi* vox ad populi conversionem exprimendam item usurpatur 4, 3 ; 6, 7 (cf. 1 Reg. 12, 8 sqq.), et in antiquioribus libris usitata est, qua animi in summis angustiis ad Deum converti exprimantur : Ex. 2, 23; 14, 10 ; Num. 11, 2 ; Ios. 24, 7. « Quo significatur primo quidem *intima* cordis ipsorum *poenitentia* et a praeteritis peccatis, quibus infensum sibi Deum reddiderant, vera ad eum conversio, sine qua foret clamor omnis cassus et inanis. Secundo significatur *exterior poenitentiae actio* per ardentes ac intensas ad Deum preces clamosasque lacrymas et

gemitus » (*Ser.*). Qua voce *suscitavit* 2, 16 auctor generalem enuntiarat propositionem, eadem nunc eius individuum exprimit exemplum (cf. 3, 15); pro *iudices, qui salvarent* scribit h. l. *salvatorem,* et 2 Esdr. 9, 27 iudices universim « salvatores » vocantur, quo sensu non inepte *Hier.* (Paulino : praefigitur Vulg. editionibus) : « In Iudicum libro, quot principes populi, tot figurae sunt », sc. Christi salvatoris. v. 10 « *Fuitque in eo spiritus Domini, et iudicavit Israel* », coepit iudicis munere fungi. Semper salvatio spiritui Domini adscribitur : « In virtute Spiritus S. Othoniel quidam iudicavit, Gedeon invaluit, Iephte vicit, Samson vindicans supra vires certavit » (*Cyr. Hier., M.* 33.957); cf. 4, 4; 6, 34; 11, 29; 14, 6 et etiam Ios. 27, 18; 1 Reg. 10, 6. 10; 16, 13. Notat autem *Keil* eum Spiritus influxum triplici enuntiari expressione : dicitur quippe Spiritus Dei vel « fieri super aliquem » (h. l.; 11, 29; 1 Reg. 19, 20. 23; 2 Par. 20, 14; Num. 24, 2); vel « insilire in aliquem », maxime ubi de effectu insolito subito producendo agitur, 14, 6. 19; 15, 14; 1 Reg. 10, 6. 10; 11, 6; 16, 13; vel « induere aliquem » 6, 34; 1 Par. 12, 18; 2 Par. 24, 20. Spiritum Domini *Syr.* vertit *manum Domini, Chald. spiritum prophetiae*; spiritus Othonieli tribuitur imprimis ad iudicis partes sustinendas. Prophetia non tam futurorum praedictionem exprimit, quam Dei influxum in consiliis capiendis et exsequendis; intellige igitur lumen divinum, robur, specialem providentiam. « *Egressusque est ad pugnam et tradidit Dominus in manus eius Chusan Rasathaim, regem Syriae, et oppressit eum* ». Reliqui *et fortis facta est manus eius super Ch. R.* — v. 11 « *Quievitque terra quadraginta annis, et mortuus est Othoniel, filius Cenez* ». Cf. Ios. 11, 23 « quievitque terra a proeliis ». In hac quiete continetur a servitute armisque cessatio, restauratio religionis, divinarum legum vigor, tranquillus ac florens reipublicae status (*Ser.*). Est haec quies praelibatio quaedam (quamvis שקט in Pentateucho non recurrat, sed utique Ios. 11, 23) plenae illius quietis in possessione indivisa terrae s. promissae : cf. Deut. 3, 20; 12, 9; 25, 19; Ios. 1, 13. 15.

Perperam *Rabbini* quadraginta annis adnumerabant v. 8 octo oppressionis annos, ut quietis reapse non fuerint nisi anni triginta duo. *Tremell., Malv., Calm.* aliique quadraginta annos computant a morte Iosue. Recte tandem advertit *Keil*, nos textu non cogi defendere, Othonielem nonnisi absolutis quadraginta annis mortuum esse : potuit is mori intra illos, et quies eo defuncto aliquamdiu continuari. Immo posset alterum v. 11 membrum ad sequentia trahi hoc modo (cf. 4, 1) : Mortuo autem Othoniel, addideruut filii Israel etc.

Aod. — Iud. 3, 12-30

23. Narrationis auctor. — Narratio, a Samuele Iudicum Actis inserta, auctoris est coaevi et probabilius Beniaminitae.

Samuelis utique manum produnt v. 12. 14. 15. 30 consuetis formulis Aodi acta suae inserentis narrationi. Verum acta ipsa coaevi esse auctoris ob sequentes affirmamus rationes. Agitur primum de iis, quae longo ante Samuelem tempore evenerunt neque tamen generaliori aliquo modo (cf. Othonielis victoriam) narrantur, sed multis expressis adiunctis, quae vix sola traditione orali praeservata essent certa atque distincta. Idem suadet narrationis stilus. Non quidem cum *Bertheau* insistimus duobus ἅπαξ λεγομένοις, v. 16 גמד et v. 23 מסדרונה, cum tandem et ipse Samuel aliquando eiusmodi uti potuerit. Illud autem nos' percellit, fuisse quidem auctorem locorum tractus Beniaminitici optime gnarum, eadem tamen accuratius minime descripsisse, quasi iis, qui optime nossent ipsi, loqueretur. Urbis palmarum v. 13 meminit, sed quae eius tum fuerit conditio non explicat, cum tamen ex antiquioribus s. libris urbem destructam solummodo habeamus, non reaedificatam ; erat autem specialis ratio h. l. (cf. 1, 16), quae tum urbis conditio fuerit, indicandi, quod in ea tum urbe resideret atque interimendus esset rex Eglon. Situs Seirath v. 26 non definitur, neque Ha Pesilim v. 19. 26. Quem alterum locum vel Samuelem ignorasse crediderim, secus accuratius illum descripsisset : delectatur quippe illis accurate definiendis locis, quae memorabilium, qui in ipsis acti sint, eventuum quasi monumenta exstent perennia. Notanda etiam alia. Moabitae, ut Beniaminitas subigerent, prius utique Rubenitas et Gaditas subegerint necesse est, cum nonnisi iis superatis ad vada Iordanis potuerint penetrare ; item caesis ad vada Moabitis haud dubium transiordanicos quoque iugum excussisse fugientesque prosecutos esse. Quod Samuel narrator minime tacuisset. Tacuit autem noster narrator, qui fere praeter suos fines et montis Ephraim partem proxime adiacentem novisse videtur nihil. Scilicet quo tempore Beniaminitae ob Gabaitarum scelus vix non fuerant exterminati rarique tractus incolebant late patentes, suis rebus intentos totos deficiebat otium prospiciendi extra fines. Certe fugientes hostes ultra flumen non sunt insecuti. At etiam auctor, quae trans flumen acta sunt, ignorat. Idem parenthesibus delectatur, quibus potius in hoc libro abstinet Samuel. Earum duas habes in brevi narratione : v. 17 « crassus » scribitur Eglon, ut ratio interfecti hominis postea intelligatur ; v. 19 suppletur, Aodum Galgalis e loco idolorum venisse.

Narratio omnino est *fide digna*. Nihil omnino est, quod a vero videatur absimile. Auctori coaevo sane credendum veri similia narranti. Mores omnino describuntur ii, quos eo tempore Beniaminitarum fuisse sponte conieceris. Progenies dura, cuius eo aevo inconditos atque rudes fuisse mores prodit narratio cap. 19-21. Mores non emendavit admissa primum idololatria et subsecuta Moabitarum servitus. Nullum igitur cultiorum morum aut poeticae inspirationis in narratione deprehendis vestigium, qualia in Debborae gestis abundant. Aod totus durus, crudus, ferreus vereque « lupus rapax » (Gen. 49, 27).

COMMENTARIUS

v. 12 « *Addiderunt autem filii Israel facere malum in conspectu Domini* », i. e. rursum fecerunt malum ; « *qui confortavit adversum*

eos Eglon, regem Moab, quia fecerunt malum in conspectu eius ». Causa in fine repetitur, ut unica fuisse ostendatur, quasi dicat : Non ob aliam rationem invaluit Eglon, nisi quia fecerunt malum etc. Moabitae et Ammonitae, a Lot progeniti Gen. 19, 30 sqq., quod Israelitis in deserto se inimicos praebuissent, artibus Balaam eos perdere studuissent, eisque idololatriae occasio fuissent, perquam exosi illis erant Deut. 23, 3 ; cf. Num. 22. Moabitae flumine Arnon ab Ammonitis dividebantur, qui ipsi ad flumen usque Iaboc imperabant. Amalecitae Hebraeis infensissimi, primi in deserto se illis obiecere Ex. 17, 8 sqq., etiam Madianitis se postea Iud. 6, 3 ; 7, 12 contra eosdem iunxerunt, a Saule tandem poenas laturi 1 Reg. 15, 2 sqq. Incolebant desertum ad meridiem Moabitarum et Palaestinae. v. 13 « *Et copulavit ei filios Ammon et Amalec* ». Quis copulavit ? Potest subaudiri aut Deus (*Cai.*, *Bonfr.*, *Lap.*) aut Eglon (*Vatabl.*, *Mar.*). Lectio recepta LXX ἑαυτόν refertur ad Eglon, sed est altera lectio αὐτόν, quae refertur ad Deum. *Lagarde* αὐτούς. Videtur omnino intelligendus esse Deus propter oppositionem inter ויספו v. 12 (*et addiderunt*) et ויאסף v. 13 (*et addidit*) : Israelitis multiplicantibus peccata multiplicat Deus vastatores. « *Abiitque et percussit Israel, atque possedit Urbem palmarum* », i. e. Ierichuntem cf. 1, 16, quae cum ex Ios. 6, 26 fuerit tum destructa nec nisi tempore Achab 3 Reg. 16, 34 reaedificata, censendus est Eglon solum agrum occupasse (*Bonfr.*) ; aut fortasse textus intelligendi sunt de solis munitionibus urbis non reaedificandis (*Keil*). Occupaverat igitur eum tractum Eglon, quo et ad Moabitidem trans vada Iordanis facilis pateret accessus, et Hebraei transiordanici a cisiordanicis distinerentur, simul ampla exercitui suppeteretur annona (*Bonfr.*). v. 14 « *Servieruntque filii Israel Eglon, regi Moab, decem et octo annis* ».

v. 15 « *Et postea clamaverunt ad Dominum, qui suscitavit eis salvatorem vocabulo Aod, filium Gera, filii Iemini* », i. e. cognationis Gera a Beniamino patriarcha prognati Gen. 46, 21, « *qui utraque manu pro dextera utebatur* ». *Vulg.* facit *ambidextrum* (20, 16), LXX ἀμφοτεροδέξιον ; e contra *Chald. Syr. contractum* seu *impeditum manu dextera* ; *Ios.* « manum sinistram expeditiorem atque ab ea omne robur habens ».

Radix אטר, praeter duos nostri libri textus, solum habetur Ps. 68 (69), 16, ubi *Vulg.* vertit « urgeat », LXX συσχέτω, *Chald.* « aperiat », *Syr.* « claudat ». Haec ad radicis sensum (*ligavit, clausit ?*) stabiliendum minime sufficiunt ; pauca quoque sunt et incerta, quae ex linguis cognatis affert *Castellus* ; versiones antiquae dissentiebant, Rabbinis et Protestantibus adhaerentibus Chald. et Syro. « Ipsa vocis אִטֵּר forma », inquit *Ros.*, « corporis indicat defectum, ut אִלֵּם est *ligatus lingua* i. e. mutus, עִוֵּר *cæcus*, פִּסֵּחַ *claudus* ». Ingeniosum est argumentum, sed non convincit. Vix putaverim, caput legationis, quae tributum regi ferret (*Calm.*), delectum esse eum virum, qui defectu aliquo corporis laboraret, scaevus esset vel paralysi afflictus.

Certe defectu corporis non laborabant Iud. 20, 16 illi Beniaminitae « septingenti viri fortissimi, ita sinistra ut dextera proeliantes, et sic fundis lapides ad certum iacientes, ut capillum quoque possent percutere ». « Una haec ratio sufficere sola videtur ad evertendam opinionem, quae Aodum scaevum fuisse et dextera manu captum defendit » (*Calm.*). Ergo verborum is sensus est, non defectu naturali laborasse dexteram, sed solito expeditiorem fuisse sinistram. Miraberis sinistrae virtutem enuntiari locutione dexteram exprimente, cuius igitur sensus is tantum esse possit, minus ad pugnam valuisse dexteram, non utique natura sed arte. Ubi advertas, tam h. l. quam 20, 16 agi de *Beniaminitis*, lepide autem dici virum *dexterae,* id enim sonat Beniaminita, *dextera* impeditum egregie tamen ad pugnam valere. Rem autem sic explicandam coniecerim : sinistra gladio dimicante, dextera inserebatur clipeo atque ita *impedita* vel *ligata* merito dicebatur. Qui ita sinistra valebat, tamen dextera quoque ad pugnam uti norat ideoque revera erat *ambidexter*. Videntur tandem Beniaminitae sat frequentes se exercuisse, ut sinistra aeque ac dextera ad pugnam uti nossent.

« *Miseruntque filii Israel per illum munera* », tributum, « *Eglon, regi Moab* ». Exinde merito inferas fuisse Aod virum principem, e senioribus et iudicibus populi (cf. n. 5). v. 16 « *Qui fecit* », fecerat « *sibi gladium ancipitem, habentem in medio capulum longitudinis palmae manus, et accinctus est eo subter sagum* », quod ex 2 Reg. 10, 4 ; 1 Par. 19, 4 est vestis talaris ad pedes descendens, qua solemniori quis occasione induebatur, maxime legatus, « *in dextero femore* ». Bene *gladium* hunc « sicam » appellat *Hier.* v. 21, *Ios.* ξιφίδιον i. e. « ensiculum », brevior enim erat, quo facilius sub veste lateret. Bipennem iudicavit *Malv.*, qui duos medio capulo haberet mucrones : sed erat tantum duas habens acies ; quaerebatur quippe gladius, qui et unico ictu tuto occideret, et sub veste facile celaretur. Pro *habentem in medio etc* reliqui simplicius *et palmus longitudo eius*, i. e. gladii. Describit *Vigouroux* (La Bible III. 276), quam accurate singula Aod disposuerit. Longo tempore ante gladium parat ancipitem et latum, pugione non absimilem ; quo veste contecto accingitur in dextero femore, ubi arma quaereret nemo, unde facile sinistra extrahi posset. Dein ad regem introductus amicitiam fingit et zelum, muneribus blandisque verbis animum occupat, tandem oraculum praetendens socios testesque dimittit, secretum quaerit alloquium.

Additamentum *Vulg.* inde videtur ortum, quod חרב ו in quibusdam manuscriptis defiguratum sit in קרבו, quam lectionem alii margini adscriptam postea in textum post פיות transtulerint : Fecerat sibi gladium ancipitem, et medium eius palmus longitudine. Quod *medium* explicare volens *Hier.* ex v. 22 *capulum* mutuatus est, ut idem esset *medium,* quod *capulus in medio* : utique igitur Hier. de gladio bipenni cogitabat. — גמד h. l. tantummodo legitur. *Palmum* vertunt *Vulg.* LXX, quae significatio bene aptatur sensui radicis *contrahere*, est enim palmus ea pars, quae in pugnum contrahi potest. *Chald.* גרמידא ideo censent designare *cubitum*, non *palmum*, quia *Chald.*, Ex. 2, 5 vocem hebr. אמתה (« ancillam suam ») erronee « cubi-

tum-» interpretatus, scripserit, Pharaonis filiam ad puerulum Moysen misisse seu extendisse גרמידה ; ergo, inferunt, גרמידא cubitum significat. Peccat conclusio. Licet enim Chald. in illo errore versaretur, poterat tamen perspicere, melius dici extendi palmam ad puerulum quemdam, quam cubitum. *Syr.* קפש aiunt significare *pugillum*. Ut *palmum*, non vero *cubitum* vertamus, praeter certam auctoritatem *Vulg.* LXX illud nos movet, quod ex tota narratione elucet, quaesivisse sibi Aod sicam, quae et facile vulneraret, hinc *ancipitem*, et sine suspicione sub pallio lateret, hinc breviorem. Indidem explicatur vis, qua v. 22 Aod sicam in ventrem Eglon impegit, « ut capulum sequeretur ferrum in vulnere » : longius ferrum non tam violenter impingi oportuerat, ut homo certissime necaretur.

v. 17 « *Obtulitque munera Eglon, regi Moab. Erat autem Eglon crassus nimis* ». Pro בריא legebat *Syr.* בריר *purus, segregatus;* LXX קריא, quod a קריה derivans vertit ἀστεῖος. In qua voce explicanda plurimum insudavere veteres. v. 18. « *Cumque obtulisset ei munera, prosecutus est socios, qui cum eo venerant* ». Verte cum reliquis : *Et factum est, cum consummasset offerre munera, dimisit (Aod) populum, qui portaverat munera.* Regi secretum quid dicturus, primum dimittit suos. « Fecit autem hoc », addit *Ser.*, « ut ad praeclarum, quod instituebat facinus, multo esset expeditior, nullum aliis crearet periculum ». Adhibitus est *populus* i. e. maior hominum numerus, qui vel ipsa munera portarent vel honorandi regis causa legationi se iungerent (*Ser.*). Additque *Cler.*, fuisse plures « forte non tam propter pondus munerum, quam pompae causa ». Quod cernere est in pluribus Aegyptiorum et Assyriorum monumentis, ubi depictos vel exsculptos habes legatos longo ordine incedentes et munera deferentes.

v. 19 « *Et reversus de Galgalis, ubi erant idola, dixit ad regem : Verbum secretum habeo ad te, o rex* ». Id autem dicebat, « ut ille a se omnes, qui cum illo fuerant, removeret » (*Rhab.*). « Fingit se habere oraculum a Deo sive diis acceptum in Galgala ad regem perferendum » (*Lap.*). פסילים, a פסל *caedere, exsculpere*, ubicunque secus legitur, *sculptilia* i. e. idola significat (*Vulg. LXX*). Cf. Deut. 7, 25 ; Is. 30, 22 ; 42, 8 ; Ier. 8, 19 ; 50, 38 ; 51, 52 ; Os. 11, 2. *Chald.* quidem vertit *lapicidina*, quem sequuntur *Rabbini* : non putabant illi concedendum, quidquam iudici divinitus electo cum *idolis* negotii fuisse. Verum non affirmatur Aod idola veneratus esse, sed de loco idolorum venisse, et ad summum aliquod oraculum ab illis profectum effinxisse. Dein 8, 27 constituit Gedeon ephod in Ephra : cur non simili superstitione peccaverit Aod? Ceterum nobis, ob rationes ad v. 26 enuntiandas, praeplacet *Syr.* accipiens Ha Pesilim ut nomen proprium, ab idolis utique quibusdam petitum. Fuerant autem illa idola aut a Moabitis ibi collocata (*Bonfr.*), aut a Chananaeis antiquo cultu honorata, aut erant teraphim quaedam ipsorum Hebraeorum (*Calm.*), cf. 17, 4 ; 1 Reg. 19, 13. De *Galgalis*

dicemus ad v. 26. — Exponendum superest, quomodo *reversus de Galgalis* dicatur Aod. Ubi *Ser.* : « hucusque populum », inquit, « quem a se dimittebat, prosecutus est Aod ac inde ad regem, quasi aliquid oblitus foret vel in via novi quid incidisset, sociosque tantisper subsistere ac se exspectare iussisset, solus rediit ». Sed sensus obvius v. 18 is est, Aod, dimissis a se sociis, apud Eglon remansisse; quod sentiens *Vulg.* vertit *prosecutus est*. Verum שִׁלַּח aut significat dimittere *a se* aut *honorifice* prosequi, cf. Gen. 18, 16; 31, 27; 2 Reg. 19, 31 (32); hoc alterum affirmari vix potest de duce legationis respectu sociorum ; ergo tenendum, Aod in aula remanentem socios dimisisse *a se*. Difficultas tolli posse videtur, verbo pro plus quam perfecto accepto : Reversus autem erat Aod de idolis, quae prope Galgalam. Cui solutioni favet *Calm.*, et etiam *Theodoret.* falso Eglonem statuens sententiae subiectum; si enim Eglon subiectum esse asseratur, erit utique verbum pro plus quam perfecto accipiendum. *Reverti* autem dicitur fere quo sensu alias quis dicitur *respondere*, quando nullum praecessit alloquium, ut idem re sit *reverti* quod *venire* : ut quid enim non dicatur ille reverti in aulam, qui, cum frequentem ad eam habeat accessum, ob aliquod negotium eandem adit? Omnino id est e genio linguae hebraicae. In hac siquidem de Aode historia parenthetica quaedam intersparguntur, ut sequens narratio melius intelligatur. Ita v. 17 dicebatur Eglon « crassus nimis », ad explicandum v. 22 ; ita v. 19 animadvertitur Aod de idolorum loco ad regem accessisse, quo clarius pateat, cur tam facile rex praetendenti oraculum fidem adhibuerit.

« *Et ille imperavit silentium; egressisque omnibus, qui circa eum erant* », v. 20 « *ingressus est Aod ad eum* ». *Hebr. Et dixit : Sile.* Id *Bonfr.* iudicat ad Aod esse dictum, quod singularis sit; *Abul.* ad circumstantes, quod illi voce audita excesserint ; conciliat utramque opinionem *Lyr.*, id dictum affirmans « innuendo, quod omnes exirent », ergo nutu vocem comitante. Planius cum *Bertheau* verbum construas impersonale : Sileatur, fiat silentium.

הס interiectio est imitativa soni iubentis silentium, *germ.* « pst », *gall.* « chut ». Ita legebant *Hebr. Vulg. LXX Symm.*; *Chald.* idem exprimit, cum סליק primitus significet *ascende*, secundario *cessa*, ergo, ubi de loquendo agitur, *tace*. *Syr. Theod.* et altera LXX lectio legebant חס *fuge, apage* (cf. sensum vocis in lingua chald.), hinc *Syr. transite istinc*, *Theod.* et illa LXX ἐκ μέσου.

« *Sedebat autem in aestivo coenaculo solus* ». Hoc *coenaculum refrigerationis* videtur utique fuisse in superiore parte domus 3 Reg. 17, 19. 23, attamen veri nominis cubiculum 4 Reg. 4, 10, h. l. habens duas portas v. 23 sq., ergo non merum tentorium in tecto domus dis-

positum (*Clair*); 2 Reg. 18, 33 (19, 1) *Chald.* cubiculum, quod erat supra portam urbis, eo nomine appellat; item, quam Vulg. 3 Reg. 7, 2; 10, 17 vocat « domum saltus Libani », eandem *Chald.* vocat « domum refrigerationis regum ». Dicamus ergo cum *Bonfr.*, illud coenaculum fuisse « locum ad auras captandas et aestum arcendum idoneum, a quo videlicet solis radii excluduntur, venti frigidiores admittuntur, cuiusmodi is situs est, qui ad aquilonem prospicit ». « *Dixitque : Verbum Dei habeo ad te* », « h. e. oraculum aliquod a Deo acceptum. Non exprimit autem, quis Deus ille sit, et in Hebr. res est magis ambigua, ubi habetur אלהים, quae vox pluralis est numeri » (*Bonfr.*). « Omnem adhibet Aod prudentiam. Iam effecerat, ut solus solo cum tyranno esset: at eum ictui quam expositissimum habere optabat, ut esset ille quam certissimus, ne vulnus fortasse infligeret, non letum, cum in carnea haerere posset massa gladius, non vitales penetrare partes. Operam igitur dat, ut sua e sede seipsum erigat rex suosque in pedes stet, idque efficit non vi, sed religionis cuiusdam obiectu » (*Ser.*). Id etiam facit, « quod, dum rex attendit ad exhibendam Deo reverentiam, minus advertat ad manum percussoris » (*Cai.*). Ceterum ambiguo utitur Aod sermone, non mendacio : etenim verbum seu res seu negotium Dei erat etiam mors Deo sic volente Egloni infligenda. « *Qui statim surrexit de throno* », ad exhibendam divino nuntio reverentiam.

v. 21 « *Extenditque Aod sinistram manum, et tulit sicam de dextero femore suo, infixitque eam in ventre eius* » v. 22 « *tam valide, ut capulus sequeretur ferrum in vulnere, ac pinguissimo adipe stringeretur* ». *Hebr. Et penetravit vel ipse capulus post flammam* i. e. laminam, *et clausus est adeps circa ferrum.* « *Nec eduxit gladium, sed ita, (ut percusserat, reliquit) in corpore* ». Brevius *Hebr. quia non retraxit gladium de ventre.* « *Statimque per secreta naturae alvi stercora proruperunt* ». In loco difficillimo vertendo plura explicationis gratia *Vulg.* adiecit.

Hebr. habet ἅπαξ λεγόμενον ויצא הפרשדנה. Subiectum verbi triplex fingi potest, sc. vel nomen immediate sequens, vel ferrum, vel Aod; et secundum eas tres hypotheses auctorum placita resumemus.

1) *Subiectum* הפרשדנה, *Vulg. Chald.*; et hic quidem *exiit excrementum eius emissum.* « In his enim, qui moriuntur violenter, egestiones solent exire; sicut suspensi emittunt urinam vel aliquod tale » (*Lyr.*). Genus nominis a genere verbi discrepare, non est momenti. Iamque *Kimchi* (ap. Am.) meminit derivationis a פרש *excrementum*, et verbo chald. (!) שרא *emittere*, quae, licet genio linguae chald. respondeat et Rabbinis arriserit, a lingua hebr. videtur alienior. Durum item videtur in hac explicatione, verbum ויצא, unica voce interiecta repetitum, ad diversa tamen subiecta referri. Quam eandem difficultatem incurres, si statueris

2) *subiectum* הלהב i. e. ferrum. *Masor.* ה locale in fine vocis הפרשדנה distinguunt, atque hinc vel pro hac vel pro sequenti expositione invocari possunt. Defende-

bat *Iunius* (ap. Am.), quam resuscitavit *Ges.* opinionem, derivari istam vocem a verbo arabico, quod *distendit, divaricavit pedes* sonet, esseque sensum *et exiit gladius per interstitium pedum* i. e. *podicem;* ubi merito *Bertheau* nullum unquam de ea explicatione cogitaturum fuisse affirmat, nisi Chaldaei versio ad illam viam stravisset. Quomodo Aod, rerum, quae narrantur, unicus testis superstes, rem oculis percipere potuit? Habuit is sane gladium palmo, immo cubito longiorem, qui tantum a tergo atque perfossis etiam vestibus eminuerit, ut vel ab Aod, qui coram rege staret, cerni potuerit. Quod vulneris genus, utvis grave, non tamen regem illico intermisset neque, quominus clamorem tolleret, prohibuisset, quo arcesserentur aulici. Equidem crediderim, Aod trans ventrem viri pinguissimi ferrum directurum fuisse potius versus cor, quam ad podicem.

3) *Subiectum Aod.* Cui sententiae favet, idem pro duplici ויצא retineri subiectum, obest idem subiectum nonnisi post alterum ויצא exprimi. Quis locus sit הפרשדן meris coniecturis definitur : iam *Kimchi* interpretatus est *locum equitum.* Certe erit pars aliqua domus « coenaculo » exterior, unde v. 23 vertendus erit plus quam perfecto, quod aliquid narret, quod in interiore adhuc domus parte actum sit.

4) Ceteris probabilior solutio quaeque LXX *Syr.* auctoritate nitatur, haec est, *verba* ויצא הפרשדנה *esse spuria.* Glossam coniicit esse *Calm.*, interpretamentum declarat *Fürst,* interpretamentum vel corruptam lectionem *Ew.* II 528. *Alex.* omittit ; *Vatic.* etiam omittit, sed v. 23 aliquid addit. Habet enim ita : καὶ ἐξῆλθεν 'Αὼδ τὴν προστάδα, i. e. ויצא אהוד המסדרונה, et pergit καὶ ἐξῆλθε τοὺς διατεταγμένους. Quod membrum quidam coniecere, non esse nisi nostrum ויצא הפרשדנה huc delapsum. Verum falluntur : nam διατεταγμένους evidenter originem duxit a radice סדר *ordinare,* estque altera quaedam versio vocis v. 23 המסדרונה. Cf. *Bonfr.* Ergo LXX nostrum membrum v. 22 simpliciter ignorabat. Venio ad *Syr.*, scribentem מסרהביאת, *exivit velociter.* Si pro forma adverbiali, quam Syr. expressit, restituas substantivam, quam omnino legebat Hebr., perspicies pro הפרשדנה legisse Syrum v. 22 המסרהבנה, quam formam praeter omne dubium fateberis esse corruptionem vocis v. 23 המסדרונה. Abundant igitur voces ויצא הפרשדנה.

v. 23 « *Aod autem, clausis diligentissime ostiis coenaculi et obfirmatis sera* », v. 24 « *per posticum egressus est* ». Ordine paulo alio *Hebr.* : *Et egressus est Aod in porticum, et clausit portas coenaculi post se et obseravit; et ipse egressus est, servi autem etc.* המסדרונה vertit LXX προστάδα i. e. atrium; *Chald.* אקסדרא et *Syr.* כסוסטרון, quae voces ex graecis ἔξεδρα et ξυστός efformatae porticum columnis distinctum designant, congruitque is sensus radici סדר *ordinare.* Apposite *Calm.* conferre iubet, quae 3 Reg. 7 describuntur aedificia. Secundum hos igitur Aod eadem, qua venerat, porta e coenaculo in atrium regressus est (*Cai.*). Eundem illum sensum exprimeret vox *porticum,* quam tamen spuriae esse lectionis ostendit *Verc.; posticum,* scripserat Hier. i. e. humile ostium in parte cubiculi posteriore. « Tota enim narratio », inquit *Bonfr.*, « videtur egressum secretum et posticum requirere, ut securus et citra tumultum ac periculum Aod evaderet ». Fateor equidem, narrationem egressum potius patentem mihi suggerere : videre aulici egredientem Aod, secus patienter tulissent obseratas fores

neque unquam cogitassent, praesente adhuc intus Aod, regem necessitati naturae vacaturum fuisse. Urget *Bonfr.* : « ista in egressu forium obseratio non caruisset suspicione criminis ». Sed censendum est ex v. 19 atrium quoque testibus vacuum fuisse; nemo igitur obserantem vidit. — Clausit autem, « ut moram et spatium opportunum haberet sese eripiendi ; dum enim famuli Eglon clausa viderunt ostia, sibi persuadere potuerunt nolle regem, ut quisquam ingrederetur » (*Bonfr.*). Clausitque *post se* (cf. Gen. 7, 16; 4 Reg. 4, 4), prior ipse egressus : expressionem enim tum etiam adhiberi, quando de claudendo ab extrinseco introitu agitur, ostendit Gen. 7, 16 et 1 Reg. 1, 6. Pro בעדו videtur *Vulg.* legisse באד *diligentissime*. Sed quomodo clauserit ab extrinseco, quaeritur, cum postea v. 25 clave opus fuerit ad aperiendum. Putat *Syr.*, plures fuisse claves unamque Aod secum abstulisse. Planius *Aug.* : « tale clausurae genus fuit, quod sine clavi posset claudi, nec sine clavi aperiri ».

« Semper », inquit *Vigouroux* l. c. p. 278, « ob aestum intolerabilem adhibuere orientales cubicula elatiora, captandae aurae gratia exstructa, quae uti in Iud. libro עליה vocantur. Quae ita describit *Shaw* (Travels or observations relating to several parts of Barbary and the Levant, Oxford 1738 p. 280) : Domibus plerisque contigua est domuncula quaedam ipsa domo altior. Saepe uno duobusve cubiculis constat praeter tectum planum; alias. constructa est supra portam domus principem pluraque complectitur cubicula. Porta una ex domo maiore in domunculae porticum admittit, altera ad portam principem vel ipsam immediate plateam praebet aditum, ut possit quis domunculam intrare eave egredi insciis iis, qui in domo sunt ».

« *Servique regis ingressi viderunt clausas fores coenaculi, atque dixerunt : Forsitan purgat alvum in aestivo cubiculo* ». *Hebr.* euphemistice *utique operit ipse pedes in cubiculo refrigerationis,* de qua expressione cf. *Bochart* Hieroz. I. cap. 55. — *Ios.* famulos ait existimasse regem somno indulgere : sed ad 1 Reg. 24, 4 eandem expressionem interpretatus est, quo sensu h. l. versiones. *Cubiculum* vox est diversa a coenaculo : intelligitur cubiculum quoddam coenaculo interius. v. 25 « *Exspectantesque diu, donec erubescerent* », — cf. 4 Reg. 2, 17; 8, 11. *Chald.*, tropo omisso, *usque multum*. Modus est loquendi, neque disquirere iuvat, qua de re erubuerint, — « *et videntes, quod nullus aperiret, tulerunt clavem et aperientes invenerunt dominum suum in terra iacentem mortuum* ». Fortasse aliquamdiu incerti haeserunt, qua ratione occubuisset rex, quod sica tota intra corpus penetrasset et sanguinem adeps cohiberet.

v. 26 « *Aod autem, dum illi turbarentur* », *Hebr. morarentur*,

« *effugit* », *salvatus est*, « *et pertransiit locum idolorum, (unde reversus fuerat)* », cf. v. 19; quam sententiam relativam supplevit *Vulg.* explicationis gratia. « *Venitque in Seirath* », v. 27 « *et statim insonuit buccina in monte Ephraim* ». Sensus obvius est, Seirath esse in monte Ephraim, qua parte ille in tribum Beniamin protenderetur (*Ser.*). Ubi fuerit, non constat; quidam, quorum *Bonfr.* meminit, etymologiam secuti, interpretati sunt tractum regionis silvestrem, qui sc. planitiem Ierichuntinam ab occidente circumplectatur. Iam Aod *salvatus est in Seirath,* in montana, ergo sane recto itinere illuc se contulit; Moabitis conturbatis atque cunctantibus, incolas regionis montanae audaciores ad pugnam evocavit. *Pertransiit* autem *locum idolorum* seu *Ha Pesilim;* verbi עבר h. l. duplex esse potest sensus, aut *circumeundi* Iud. 11, 29, aut *praetereundi* 2 Reg. 18, 23. Aod igitur locum Ha Pesilim, unde ipse venerat et ubi habitasse videtur et a Moabitis exquirendus erat, omisit; non illuc se contulit, sed itinere indidem deflexo in montana aufugit. Hinc patet Galgalam, prope quam erat Ha Pesilim, optime posse esse Galgalam Ierichuntem inter et Iordanem Ios. 4, 19 ad orientem sitam (*Ser.*, *Bonfr.*, *Lap.*, *Malv.*, *Menoch.)* ; non enim, uti putabat *Keil*, Aod per Galgalam seu Ha Pesilim in montana festinavit, sed Galgala praetermissa. Hinc etiam Ha Pesilim pro nomine proprio accipimus, ab idolis utique quibusdam petito : neque mireris, nomen in posterioribus libris non legi, eiusmodi enim nomina a Iudaeis in alia mutari consueverant ob idololatriae horrorem. « *Descenderuntque cum eo filii Israel* » — reliqui *de monte* —, « *ipso in fronte gradiente* ».

v. 28 « *Qui dixit ad eos : Sequimini me* » — vox hebr. sonat *cito sequimini me* —, « *tradidit enim Dominus inimicos nostros Moabitas in manus nostras. Descenderuntque post eum et occupaverunt vada Iordanis* » (cf. Ios. 2, 7), « *quae transmittunt in Moab, et non dimiserunt transire quemquam* », sc. Moabitarum qui in suam se recipere regionem cupiebant. v. 29 « *Sed percusserunt Moabitas in tempore illo* » — qua expressione coniicit *Keil,* designari non proelium unicum, sed integrum bellum : sed num bellum istud unicae cladis limites excessit? — « *circiter decem millia, omnes robustos et fortes viros; nullus eorum evadere potuit* ». *Hebr. pingues,* « qui succulentum et bene curatum corpus habent, atque adeo robusti » (*Bonfr.*). Concordant *Chald. terribiles, Syr. expediti, Alex.* et codices alii quidam μαχητάς. Minus apte *Cler.* divites; *Bertheau* bene nutriti i. e. opulenti et nobiles. v. 30 « *Humiliatusque est Moab in die illo sub manu Israel; et quievit terra octoginta annis* ». Hac formula concluditur historia Aod, uti eadem v. 11 concludebatur historia Othoniel. Anni similiter, atque ibi diximus, a variis computantur. Addit LXX : *Et iudicavit eos Aod*,

usquedum mortuus est. Verum istud additamentum genuinum minime videtur. Tamen Aod usque ad mortem iudicis dignitatem obtinuisse (*Ios.*), ex aliorum iudicum analogia inferre licet.

De Aodi facinore pluribus disputavere auctores, quae tamen ad mores instituendos spectant magis, quam ad textum exponendum. Recentius *Cassel* virum e iudicum ordine eximere conatus est, quod non asseratur fuisse in eo spiritus Domini, neque dicatur iudicasse Israel. Futilia haec sunt. Quod Aod v. 15 affirmetur suscitatus esse salvator Israel, eum veri nominis iudicem fuisse indicat, cf. 2, 16; 3, 9. Certe ipse Aod se spiritu divino agi putabat, quando dicebat « Tradidit Dominus inimicos nostros in manus nostras »; putabant, quotquot ea verba praesentes audiebant; putavere, quotquot Israelitae eadem verba, nulla affixa reprehensione, in scriptura legerunt.

Samgar. — Iud. 3, 31

v. 31 « *Post hunc fuit Samgar, filius Anath, qui percussit de Philisthiim sexcentos viros vomere; et ipse quoque defendit Israel* » — *Hebr. salvavit*: ergo cum *Ser.*, *Bonfr.* veri nominis iudicem fuisse defendimus, secundum modo dicta. Unica obstare videtur ratio, sequentem narrationem 4, 1 ab obitu non Samgar, sed Aod ordiri. Ad quam *Bonfr.* respondet, exiguo tempore iudicis partes egisse, idque tempus in octoginta annis Aod includi. Explicat rationem Bonfr. ita, ut Aod initio anni octogesimi mortuus sit, successerit Samgar, sed ante expletum eundem annum et ipse obierit. Videtur ea explanatio premere verba *post hunc*, quae tamen minime sunt premenda, neque Israelitis universis singuli iudices imperavere. Potuit, superstite Aod et praecipue tribum Beniamin iudicante, Samgar tribum Iuda aut Simeon aut Dan, quae tribus maxime Philisthaeorum incursionibus patebant, ab eiusmodi incursione defendere et apud easdem tribus iudicis officio fungi. Meliorem igitur accipe ex *Bertheau* explicationem, cur narratio 4, 1 non a Samgar, sed ab Aod proficiscatur. De Samgar perpauca fuere tradita, non locus originis, non administrati officii tempus; eius tamen mentio in cantico Debborae 5, 6 habetur; cui ut viam sterneret, libri auctor h. l., quidquid de Samgar noverat, narrationi inseruit.

Percussit *vomere*, ubi reliqui addunt *boum*. *Stivam* pro vomere expressere LXX *Symm. Theodotion* (*Alex.* ἐκτός profectum est ex erronea lectione מלבד pro מלמד). Sed *Chald.* vertit פרש *stimulum*, quo minantur boves, eadem voce 1 Reg. 13, 21 ad exprimendum stimulum usus; item *Syr.* utrobique vertit מססא. Et confirmatur ea versio inde, quod Ephraim dicatur Os. 10, 11 עגלה מלמדה « vitula edocta » sc. stimulo, et Ier. 31, 18 « iuvenculus indomitus » seu « non edoctus », עגל לא למד; vox autem מלמד *stimulus* a radice למד « doceri » derivatur, unde *Aq*: h. l. secundum etymologiam vertebat ἐν διδακτῆρι. Plura vide apud *Ros.* Quod dicitur Samgarum sti-

mulo interfecisse sexcentos, intellige praestitisse ipsum cum sociis pariter stimulis armatis (*Cai.*). Cur vero stimuli adhibiti, audi *Ser.* : « In agro forte cum esset bobusque suis araret Samgar, en tibi derepente praedatoria Philisthaeorum manus vias, villas, pagos infestant, et suos huic aranti boves eripere, ipsum abducere conantur. Ille vero id nullo modo pati, sed vim vi repellere iniuriamque propulsare, et quidem adeo fortiter ac generose, ut illi ab eo, quod coeperant, latrocinio ac iniuria prorsus destiterint ». Est et alia praesto explanatio. Videntur ex 1 Reg. 13, 19 sqq. consuevisse Philisthaei, subactis gentibus arma adimere, ut praeter stimulos, vomeres aliaque instrumenta agrestia nihil relinqueretur. Quibus utendum fuit Samgaro.

Samgari acta « novercarum parcimoniam imitatam » perquam ieiune traditionem recensuisse, scribit *Reuss* p. 117. At eam vicissim viro exhibet indulgentiam, quam reliqui merito invideant iudices. Quod eius sc. nomen in Cantico Debborae scribatur, quod rationalistae quique perantiquum atque genuinum esse profitentur, ideo gratiose concedit Reuss « personam historicam » fuisse Samgarum, dum Aodum integram aliquam cognationem Beniaminiticam interpretatur, neque ut admittat induci potest, unum virum Othonielem (!) totam cepisse Cariath Sepher.

Debbora et Barac. — Iud. 4, 1–5, 32

24. NARRATIONIS UNITAS. — Canticum cap. 5 Debborae esse auctoris, suo loco demonstrandum, h. l. supponimus. Quare, cum duplicem cap. 4 et 5 eorumdem eventuum neque tamen eandem habeamus narrationem, primum subiicimus ex utraque narratione congestum actorum conspectum.

Igitur, Asoritis tribus potissimum septentrionales in poenam idololatriae opprimentibus, Debbora prophetis Baracum accersit et cum exercitu de Nephthali et Zabulon in montem Thabor concedere iubet (4, 4-6; 5, 12). Barac prophetiden comitem expostulat atque in poenam exiguae fidei docetur, victoriae summam non sibi sed mulieri cuidam esse cessuram (4, 8-10). Iam aut Barac aut probabilius Debbora nuntios mittit ad reliquas tribus, tribu Iuda uti videtur excepta, vario apud diversas effectu (5, 14-18). Sisara, magister militiae regis Asor, exercitum colligit subiectosque cogit regulos proceditque in planitiem torrentis Cison (4, 12 sq.; 5, 19). Baraco nocturno impetu (5, 20) de monte irruente simulque venti turbine hostilem exercitum perterrefaciente (4, 15; 5, 21), ingens sequitur clades (4, 16), in qua Israelitis fugientes hostes persequentibus se iunxere quotquot circum Hebraei arma nondum prehenderant, una civitate Meroz excepta (5, 23). Sisara fugiens pedes a Iahele in tabernaculo occiditur (4, 17 sqq.; 5, 24 sqq.), Asoritarum potestas penitus exstinguitur (4, 23 sq.; 5, 31).

Iam contra rationalistas defendendum, nullas inter cap. 4 et 5 haberi *contradictiones* ; cf. *Cornely* l. c. p. 216 sq.

Cuiusmodi sibi videre visus est *Reuss* p. 119. Auctor cantici, inquit, plura novit auctori cap. 4 ignota : novit alias etiam praeter Nephthali et Zabulon pugnae interfuisse tribus, novit maledictionem contra Meroz prolatam etc. At ignorare non est contradicere, neque non narrare est ignorare. In cantico, inquit, v. 19 plures Chananaeorum

reges exprimuntur, cap. 4 solus Iabin : at cap. 4 non negat, alios fuisse regulos et Iabino tributarios et sub Sisara militantes. Cap. 4, instat Reuss, defendit somno sopitum interemptum esse Sisaram, somnum tacet canticum : sed aliud est tacere, aliud contradicere. Et haec quidem sunt, quae vir doctissimus congessit argumenta.

Quas easdem nugas repetit *Wellh.* p. 251 indeque pergit demonstrare, quomodo genuina narratio cap. 5 fuerit cap. 4 studiose distorta. « In cantico paratur expeditio mediis humanis; evocantur tribus neque omnes pari alacritate obsequuntur; vituperatur quarumdum segnities magna decernentium, laudatur aliarum magnanima devotio et fortitudo. Cap. 4 e contra liberatio soli tribuitur Iahve ; pugnatores Israelitae scenici velut sunt milites, quorum neque meritum agnoscatur ullum neque gratia rependatur; factum Iahelis in proscenium protruditur, ex accessorio fit principale, a Debbora praenuntiatur; ad victoriam virtute humana heros confert nihil, sed in infirmitate manifestata fit Iahve potentia. Etiam secus iniquior Baraco est narratio cap. 4 : invitatur a Debbora, ut procedat non ad pugnam sed ad montem Thabor, ibi a Iahve rursum edocendus; haesitans ipse atque, ut prophetiden comitem nansciscatur, paciscens infidelitatis arguitur. Ipsi prophetissae aliud praestandum nihil, quam ut de iussu divino certius faciat instrumentum, cuius praedictione agnoscatur Iahve solus agendorum effector. Longe ab his differt canticum, ubi non invitus evocatur Barac, sed ipse, cur ad pugnam procedat, causam habet : Surge, Barac, et apprehende captivos tuos, fili Abinoem. Ipsa vates non prophetat solum, sed in mediam descendit aciem cantuque animum pugnantibus addit: Surge, surge, Debbora! Surge, surge et loquere canticum ! (?) Ubicumque narratio prosaica (cap. 4) a cantico differt, deprehendere est, reliquis causis obscuratis, unam efferri causam principalem Iahve. Habes quidem vel in cantico Iahven Hebraeorum animos inflammantem, hostium agmina perterrefacientem; sed in altera narratione mechanismo quodam prophetiae, quid in eventu quoque numini tribuendum, omni mysterio nudatum panditur; recedit a lectoris animo numen, dum omnibus admiscetur; ubique nominatum, praesens non iam sentitur ». Descripsimus autem totum hunc sat longum sermonem, ut exemplo discat lector, quam proni ad asserendum, quam in probandis assertis ieiuni sint auctores isti rationalistae. Verborum farraginem refutare operae pretium non est.

25. NARRATIONIS CONCINNATAE TEMPUS. — Narrationem cap. 4 eodem fere, quo canticum, concinnatam esse tempore, non est quod negemus.

Cap. 4 utique non est *commentarius* ad id conscriptus, ut canticum penitius intelligatur, cum talis commentarius singula, quae in cantico sunt, deberet evolvere, v. g. etiam quae de Meroz aut v. 14 de singulis tribubus dicuntur. Quod cap. 4 certe non facit. Neque ausim cum *Bertheau* (p. 75) affirmare, « ita re et ordine 4, 4-24 cum cantico cohaerere, ut, si ab eodem praescindatur, intelligi vix queat; totum inniti cantico neque unquam ab illo separatum exstitisse ». Fateor equidem, in cap. 4 nihil me invenire, quod non oppido intelligam, licet a cantico legendo abstineam. Tamen cap. 4 eodem fere tempore atque canticum conscriptum esse, defendi potest. Sane conscriptum exstabat ante Samuelis tempus, qui iis eventibus ipse non interfuerat, et tamen eorumdem narrationem suo libro inseruit. Auctorem coniecerim Nephthalitam, fortasse ipsum Barac, hincque explico, quod modo Reuss obiciebat, non eadem omnia cap. 4, quae in cantico, exprimi. Auctor cap. 4 refert Baracum ad Debboram accersitum iussumque tribus Nephthali et Zabulon convocare, non enim reliquas convocasse videtur Barac Nephthalita, sed Ephraimitas, Manassaeos, Beniaminitas ipsa convocavit Debbora. Rursum v. 12 recensetur solus Sisara, quod eum maxime

imperatorem attenderit Barac ipse imperator, neglectis regulis ad ornatum descriptionis poeticae haud parum collaturis. Locus pugnae accurate et militari quadam ratione describitur : hinc mons Thabor, illinc planities torrentis Cedron, iter Cedesam cum Debbora, Sisarae in planitiem adventus, Hebraeorum e monte descensus. Narratur porro ipse Barac Sisaram esse insecutus, neque mireris non nominari Meroz, quod eo forte non sint devecti Barac et Nephthalitae. Dum tandem prophetis cap. 5 Baraci fidei defectum 4, 8 reticet, narrator cap. 4 vicissim, quidquid prophetis ad victoriam contulit, enucleatius refert.

26. Narrationis cmm Pentateucho et libro Iosue nexus. — Huius narrationis auctor Pentateuchi et acta et textum novisse videtur.

Contra adversarios rationalistas, qui Pentateuchum, arcam, pontificem etc iudicum aevo penitus fuisse ignota affirmant, primum demonstravimus, Samuelem Actorum redactorem Pentateuchum et librum Iosue omnino calluisse. Quo uno quidem argumento adversariorum assertio refutatur. Conabimur tamen insuper in singulis, quas ab antiquioribus scriptoribus mutuatus est Samuel, narrationibus Pentateuchi colligere vestigia, quo non indirectum solum sed etiam directum suppetat argumentum, nullum sub iudicibus fuisse tempus ab Pentateuchi notitia alienum. Hoc alterum argumenti genus, uti patet, non erit in singulis iudicibus aeque absolutum, horum actis expressiora et frequentiora, aliorum rariora et leviora Pentateuchi exhibentibus vestigia. Vix ullum in actis Aodi vestigium, quae plana, ne dicam rudi ratione gesta pingunt ; aliqua saltem in actis Debborae ; plura ex Cantico depromemus.

Igitur Iahve hac narratione eo eminentiae loco prostat, quem ei libri anteriores reapse vindicant. Prophetissae v. 6 verba « Praecepit tibi Dominus Deus Israel » omnem Baraci dubitationem praescindunt veluti, itemque verba v. 14 (Hebr.) « Nonne Dominus egreditur ante faciem tuam ? » Exhibet auctorem v. 11 gnarum non solum Moysis, sed et rerum Num. 10, 29 sqq. narratarum. Verbum ויהם v. 15 nos revocat ad alia divina portenta Ex. 14, 24 et Ios. 10, 10 patrata, rursumque 1 Reg. 7, 10 patranda. Quodsi וימכרם v. 2 redactori tribuas, at ימכר v. 9 est primi narratoris, et cf. v. 7. 14. Expressio v. 24 ותלך הלוך hinc in Gen. 8, 3. 5 ; 12, 9 ; 26, 13, illinc in scriptis aevi Samuelici 1 Reg. 2, 26 ; 14, 19 ; 17, 41 ; 2 Reg. 3, 1 ; 5, 10 ; 18, 25 usurpatur.

COMMENTARIUS

Cap. IV v. 1 « *Addideruntque filii Israel facere malum in conspectu Domini post mortem Aod* ». Reliqui *et mortuus est Aod. Vulg.* alteram sententiam priori subordinasse videtur potissimum intuitu 2, 19 : « Postquam autem mortuus esset judex, revertebantur et multo faciebant peiora ». Verum generali hac sententia non excludi, ante quorumdam iudicum mortem irrepsisse iterum idololatriam, ostendit 8, 27 ; idque multo magis valet h. l., quod tribus septentrionales Zabulon, Nephthali, Issachar minime videntur sub Aodi potestate fuisse. Si alterutra sententia alteri sit subordinanda, facilius subordinabitur prior : Facientibus rursum filiis Israel malum, mortuus est Aod. Verum neutra sententia necessario subordinanda est, sed totus v. 1 construi potest

tamquam prodosis quaedam ad v. 2, quin exprimatur, praecesseritne peccatum iudicis obitum, aut obitus peccatum : rursum peccantibus filiis Israel mortuoque Aod, tradidit etc. v. 2 « *Et tradidit* », *Hebr. vendidit,* « *illos Dominus in manus Iabin, regis Chanaan* », non totius regionis, nam hanc etiam Iudaei incolebant, sed Chananaeorum, maxime septentrionalium, quatenus distinguebantur a Moabitis, Hethitis etc. « *Qui regnavit in Asor* ». Asor urbs, teste *Ios.* qui rem nosse poterat, ad lacum Semechonitidem sita, i. e. lacum Merom Ios. 11, 5, nunc Bahr Hule, ad septentrionem lacus Tiberiadis; eratque urbs a parte lacus occidentali, situ nondum accuratius definito, cf. 1 Mach. 11, 67. *Robinson* sitam putavit in loco, qui nunc Tell Churebe audit; dum *M. V. Guérin* (La Galilée II. 363 sqq., Paris 1880) praefert Tell-el-Harrani, ubi plurima perantiquae urbis vestigia. Confirmatur ea urbis descriptio ex situ aliarum urbium et gentium, quae Ios. 11; 19, 36 sq.; 4 Reg. 15, 29 tamquam illi vicinae enumerantur. Praepotens fuerat alter Iabin, rex Asor, cui parebant Chananaei et Hevaei omnes, immo vel ipsi quadamtenus Hethaei et Amorrhaei : « Asor enim antiquitus inter omnia regna haec principatum tenebat » Ios. 11, 10. Quem occiderat Iosue, urbe Asor flammis succensa. Asoritas urbem eversam mox reaedificasse (*Lyr.*), minime miraberis, abundantque exempla in rebus orientalibus. Potes vero etiam cum *Malv.* Asor h. l. intelligere non urbem sed pagum, et verba « ipse habitabat in Haroseth gentium » de Iabin exponere (*Theodoret.*), et non de solo Sisara; magistro siquidem militiae sedem assignari a sede regis distinctam, admiratione quadam non caret. Alter Iabin id agebat, ut, quo tempore Israelitarum robur defecerat, regiones progenitori per Iosue ereptas iterum occuparet (*Cassel*). « *Habuitque ducem exercitus sui* » — non necessario, quod ducendo exercitui « minus aptus » ipse (*Vigouroux*), sed quia eiusmodi duce utebantur reges orientis; cf. apud Assyrios *tartanum*, apud Turcas *vezirum* — « *nomine Sisaram; ipse autem habitabat in Haroseth gentium* ». Urbs hoc uno capite nominatur. Appositionem *gentium* גוים recte videtur explicasse *Chald.* per כרכי עממיא *Galilaeae gentium*, eadem expressione Is. 9, 1 (8, 23) Galilaeam designans : « via maris trans Iordanem Galilaeae gentium ». גליל proprie *circulum* designat i. e. *pagum*. De hoc pago seu de Galilaea sermo est Ios. 20, 7; 21, 32; 3 Reg 9, 11; 4 Reg. 15, 29. Habes Ios. 12, 23 « regem Goim Galilaeae » (cf. LXX). Utrum ibidem imperaverit « Thadal rex Goim » Gen. 14, 1, non est h. l. definiendum. « Haec regio idcirco gentium dicitur, quod non ab uno populo solum, sed a multis gentibus habitabatur » (*Hugo*); cui explicationi standum est, meliore deficiente. Cave tandem, ne antiquae Galilaeae eosdem attribuas limites, quos illa tempore Christi obtinebat. v. 3

« *Clamaveruntque filii Israel ad Dominum; nongentos enim habebat falcatos currus* » — *Hebr. currus ferreos,* cf. dicta ad 1, 19 — « *et per viginti annos vehementer oppresserat eos* ». Pharao Thothmes III., proelio apud Mageddo superatis Chananaeis atque Syris, nongentos viginti quatuor currus cepit (*F. Chabas*, Études sur l'antiquité historique, Paris 1873 p. 442) : potuit ergo Iabin nongentos habere currus. *Ios.* scribit currus ter mille, quibus addit equitum decem millia et peditum trecenta millia, quo mirabilior evadat victoria. Superstite adhuc Iosue, et quidem post destructam Asor, tantopere curribus valebant Ios. 17, 16 Chananaei in campo Iezrael et prope Bethsan incolentes, ut Hebraei eorum terrore percellerentur. « Increverat Israeliticorum peccatorum gravitas, increscit igitur et poena. Prima octo annorum fuit servitus, secunda octodecim, ista viginti et quidem, quod in aliis antea dictum non fuerat, magna cum vi ac vehementia, quam augebat Chananaei indignitas generis. Servus enim servorum Gen. 9 esse debebat Chanaan, et paulo ante a Iosue subactus, occisus aut expulsus fuerat » (*Ser.*).

v. 4 « *Erat autem Debbora prophetis, uxor Lapidoth, quae iudicabat populum in illo tempore* ». Lapidoth maritus erat prophetissae. Non potest verti *mulier lampadum*, quod divinis illuminata fuerit splendoribus, et multo minus *lychnaria,* quod ellychnia concinnarit pro lucernis sanctuarii : commenta rabbinica sunt haec. Quae neque eo confirmantur, quod dicit *F. Boettcher* (Neue exegetisch-kritische Aehrenlese zum A. T., Leipzig 1863, I. 75 sq.), si Lapidoth intelligendus esset vir, aliquid plus de eo dicturum fuisse s. scriptorem, sicut de Holda prophetide 4 Reg. 22, 14 et 2 Par. 34, 22 dicit scriptura, fuisse « uxorem Sellum, custodis vestium ». Quid enim, si homo privatus erat Lapidoth, cui ne vestes quidem custodiendae creditae? quid, si de illo nihil compertum habebat s. auctor? — Negabatur post *Ser.* a quibusdam, Debbora veri nominis *iudex* fuisse, concedebatur ius dixisse, non vero principatum obtinuisse. Negandi rationes praecipuae afferuntur, quod Iabin nunquam tulisset alium a suo principatum; quod ipsa non liberaverit populum, sed Barac, cum tamen iudicum fuerit salvare Israel; quod 1 Reg. 12, 11 et Hebr. 11, 32 inter iudices non recenseatur ipsa, sed Barac. Verum his textibus non tam iudices recensentur, quam heroes, qui feliciter pro Israele dimicaverint; salvavit Debbora Israelem per Baracum, quem ipsa ad certamen misit et comitata est; Iabini potestas usque prope Bethel pertigisse gratis supponitur et, etiamsi supponatur, certe Hebraeorum in singulis urbibus et pagis iudices non suppresserat. E contra diserte bis in textu asseritur Debbora *iudicasse*, et iudicem fuisse communiter intellexere antiquiores, quorum testimonia collegit *Natalis Alex.* Dissert. 18 de Debbora. Poteris addere cum

Bonfr., *Calm.*, simul cum Debbora Baracum iudicis dignitatem habuisse, licet id in scriptura non ita expresse habeatur; simul, saltem tempore, in diversis tamen tribubus. — Debbora *apem* exprimit, Barac *fulmen* (nomen re idem habuit Hamilcar Barcas). Hinc *Lap.* : « Debbora fuit apis suis mellea, sed hostibus aculeata et fulminea, quia per Barac quasi fulmen in eos insiliens occidit ».

v. 5 « *Et sedebat* », non habitabat, « *sub palma, quae nomine illius vocabatur, inter Rama et Bethel, in monte Ephraim* », qui etiam in tribum Beniamin porrigebatur, cf. 3, 27. Plures loci Ramae i. e. collis nomen acceperant : plerique intelligunt Ramam Beniamin, nunc er-Ram. Sufficit nosse, eam palmam a Bethel haud longe abfuisse. « *Ascendebantque ad eam filii Israel in (omne) iudicium* ». Locus videtur fuisse excelsus; ceterum adverte, generatim *ascendi* ad locum iudicii Num. 16, 12; Deut. 17, 8; 25, 7; Ruth 4, 1.

v. 6 « *Quae misit* », instinctū utique prophetico, « *et vocavit Barac, filium Abinoem, de Cedes Nephthali, dixitque ad eum : Praecepit tibi Dominus Deus Israel : vade, et duc exercitum in montem Thabor, tollesque tecum decem millia pugnatorum de filiis Nephthali et de filiis Zabulon* ». Postquam didicimus, inquit *Keil*, quomodo lites internas composuerit Debbora, iam docemur, quid contra hostes externos egerit. Non is tamen est nexus sententiarum : v. 4 sq. tamquam parenthesi edocemur, quae fuerit Debbora, v. 6 autem continuat argumentum v. 3, ad quod totus hic liber conformatur : Clamaverunt — et Dominus salvavit eos per Debboram. Eliguntur Nephthali et Zabulon, quae tribus ab Asoritis plus ceteris opprimerentur ; aptissimus vero colligendis copiis Thabor, qui in tribu quidem Zabulon, in confinio tamen simul tribus Issachar et Manasse situs esset. « Praeter hos tamen etiam alios ex aliis tribubus se coniunxisse, praesertim de tribu Manasse et Issachar, indicatur 5, 14 sq. » (*Bonfr.*). Idque eo magis obtinere debuit, quod mons Thabor sit omnino in extrema tribu Zabulon ad austrum, ut coniicere liceat, Nephthalitas et Zabulonitas vix quidquam suorum finium ab Asoritis vacuum habuisse. — Dicitur *Cedes Nephthali*, ut ab aliis Cedes vel Cades distinguatur, uti Cades tribus Iuda Ios. 15, 23 et Cades in deserto Sin Num. 20, 1. Nostra vocatur « Cedes in Galilaea montis Nephthali », eratque civitas levitarum et refugii, proprium habuerat regulum Chananaeum Ios. 12, 22; 19, 37; 20, 7; 21, 32. Secundum Tob. 1, 2 (secundum LXX) erat ad septentrionem Thisbes Galilaeae. *Ios.* (Ant. XIII. 5, 6) vocat « Cedasam, quae Tyriorum inter agrum et Galilaeam interiacet ». *Euseb.* (Onom.) affirmat viginti passuum millia abfuisse Tyro, prope Paneam.

Ad vocem *duc* seu *trahe* recte adiecit *Vulg.* *exercitum*, quo sensu idem verbum adhibetur v. 7, et etiam 5, 14 ; 20, 37 ; Ex. 12, 21. *Cler.* putavit supplendam esse *tubam*, ergo « clange tuba », quod in initio expeditionis bellicae Num. 10, 9 praescribatur, et ita vox accipiatur Ex. 19, 13 ; Ios. 6, 5. Sed notandum, his textibus *tubam* exprimi, quod h. l. non obtinet. Num ideo, quia dicimus tibicinem « tuba canere », nobis licebit, quaecunque de « cantu » scribuntur, « tubae » tribuere ?

v. 7 « *Ego autem adducam ad te in loco torrentis Cison* », nunc Mukatta, qui ex monte Thabor originem ducit fluitque per planitiem Iesrael, ubi inde ab antiquissimis temporibus de terra s. dimicatum est, « *Sisaram, principem exercitus Iabin, et currus eius atque omnem multitudinem* », verbotenus *tumultum*, « *et tradam eos in manu tua* ». Verba sunt Dei (*Vatabl.*). v. 8 « *Dixitque ad eam Barac : Si venis mecum, vadam ; si nolueris venire mecum, non pergam* ». « Fuit Barac *initio*, audiens sibi a Deo tantum tamque arduum munus debellandi Sisaram imponi, tardus in credendo et obediendo ; unde Debboram comitem poposcit. Mox tamen resumens animos et a Debbora confortatus, magna fide et spe rem aggressus est et feliciter confecit ; unde eius fidem celebrat Apostolus Hebr. 11, 32 » (*Lap.*).

LXX adiecit interpretamentum quoddam ex v. 14, ubi Debbora *diem* assignat, petitum : *quia nescio diem, in quo prosperi itineris mihi comitem largiatur angelum suum Deus.* Peccasse aliquatenus videtur initio Barac, quod conditionem obedientiae Deo praestandae adnexuerit, quodque v. 9 in poenam aliqua gloria privetur. Peccatum cum *Ios.*, *Est.* in eo cernimus, quod, cum se tantis rebus perficiendis imparem reputaret, putaverit quasi, maius se praesidium in praesente secum prophetissa habiturum, quam in sola Dei promissione, per prophetissam facta. « Fuit haec in Barac quaedam in obediendo cunctatio, quemadmodum in Moyse Ex. 41 ex humana prudentia nimia, quam removere debuisset, divinitus monitus per prophetissam » (*Menoch.*).

v. 9 « *Quae dixit ad eum : Ibo quidem tecum, sed in hac vice* » — pro אפס *Vulg.* mendose legebat הפעם — « *victoria non reputabitur tibi, quia in manu mulieris tradetur Sisara* ». *Hebr.* *verumtamen non erit gloria tua in via, qua tu incedis.* « Quia Deo, te per feminam vocanti et excitanti, gloriam alacritate velocitateque obsequiosa non dedisti, tuam is per feminam obscurabit atque imminuet gloriam. Quia feminae instar trepidasti neque, quod a Deo imponebatur opus, viriliter aggressus es, per virilem feminae animum ac laudem decerpetur de laude tua non parum. Quia comitem ad bellum habere feminam, neque absque hac in iussam a Deo viam dare te vis, feminam quoque laudis ac gloriae, quae unum ex hominibus te manebat, sociam, participem consortemque habebis » (*Ser.*). — Quaeritur, in cuius *mulieris manus* tradendus fue-

rit Sisara : cum *Ios.* Iahelem designamus, ei enim victoriae summa obtigit trucidato Sisara, cf. 5, 24 sqq. « *Surrexit itaque Debbora et perrexit cum Barac in Cedes* », ubi videtur iam antea maiori ille auctoritate floruisse, fortasse iudicis ib. partes sustinens. Indidem missi nuntii ad tribus, textibus omnibus v. 10 vocem *in Cedes* supplentibus, ita tamen ut Israelitae non in Cedes, sed in montem Thabor convenire iuberentur (*Vigouroux*). v. 10 « *Qui accitis Zabulon et Nephthali ascendit cum decem millibus pugnatorum, habens Debboram in comitatu suo* ». Non vertit *Vulg.* ברגליו, quae expressio cum v. 15. 17 et 5, 15 repetatur, optime vertitur *cum peditibus* : id maxime in tota hac expeditione percellebat Hebraeos, a peditibus victos esse currus.

v. 11 « *Haber autem Cinaeus* » — cf. dicta ad 1, 16. Nomen Haber vel Heber gerit Aserita Gen. 46, 17; Num. 26, 45; Beniaminita 1 Par. 8, 17; Iudaeus 4, 18 — « *recesserat quondam a ceteris Cinaeis fratribus suis, filiis Hobab cognati Moysi, et tetenderat tabernacula usque ad vallem, quae vocatur Sennim et erat iuxta Cedes* ». Cum 1, 16 narrati fuerint Cinaei in extremitate meridionali terrae s. sedes occupasse, et h. l. v. 17 sqq. sermo futurus sit de Cinaeis fines Nephthali incolentibus, explicandum praevie erat, quomodo hi eo devenissent (*Bonfr.*). נִפְרָד punctatione agnoscitur participium, quod recte plus quam perfecto vertit *Vulg.*

Hebr. LXX legebant אלון *quercum, Syr.* vocem valde similem אלה *terebinthum,* ubi *Vulg. Chald.* נחל *vallem* : accuratius utique tentorii locus arbore designatur, quam valle. Insuper confirmatur lectio אלון בצענם ex Ios. 19, 33, ubi *Vulg.* « Elon in Sanaaim » ; sed verte potius « quercus in S. », sc. nota illa quercus, maxime ex facto nunc narrando. De *Sennim* vel *Saananim* id solum novimus ex Ios. 19, 33, fuisse in ipso limite tribus Nephthali, et ex h. l. fuisse prope Cedes. Nomen varie scribitur : צעננים *Hebr. Vulg. Chald.* ad Ios. 19, 33, et *Keri* h. l; צענים h. l. *Kethib* et *Syr.*, in quod recidit Ios. 19, 33 LXX צמעין et *Syr.* צנעם. LXX h. l. vertit ut participium verbi בצע, πλεονεκτούντων ; *Chald.* h. l. legebat בצים vel בצעים *piscinarum.*

v. 12 « *Nuntiatumque est Sisarae, quod ascendisset Barac, filius Abinoem, in montem Thabor* » ; v. 13 « *et congregavit nongentos falcatos currus* » — *Hebr. omnes currus suos, nongentos currus ferreos* : ipsa sententia exprimit, quam terribilis ille apparatus bellicus visus sit Hebraeis — « *et omnem exercitum de Haroseth gentium ad torrentem Cison* ». v. 14 « *Dixitque Debbora ad Barac : Surge* » iam, quin cuncteris, « *haec est enim dies, in qua tradidit Dominus Sisaram in manus tuas : en ipse ductor est tuus* ». Ita recte *Vulg.* vertit *Hebr. Nonne Dominus egreditur ante faciem tuam*? Cf. quod de Othoniele dicebatur 3, 10 « fuitque in eo spiritus Domini ». Idem יצא punctabant *Hebr.*

Chald. perfectum, *Vulg. Syr.* participium, minus feliciter LXX futurum : id enim cum particula interrogativa dubium exprimeret, dum Debbora summam fiduciam enuntiare in animo habet. Egredi ante exercitum regis est 1 Reg. 8, 20 : « Iudicabit nos rex noster, et egredietur ante nos, et pugnabit bella nostra pro nobis ». Dominus exercituum Israel dux est et rex, cf. 2 Reg. 5, 24; Ps. 67 (68), 8. « O felix proelium, cui ductor Deus » ! (*Ser.*) « *Descendit itaque Barac de monte Thabor, et decem millia pugnatorum cum eo* ».

v. 15 « *Perterruitque Dominus Sisaram et omnes currus eius universamque multitudinem in ore gladii ad conspectum* » (coram) « *Barac, in tantum ut* » — *Hebr.* sola copula sententiam adnectit — « *Sisara de curru desiliens pedibus fugeret* ». « Vox hebraea הָמַם significat terrefacere magno cum strepitu et fragore » (*Bonfr.*). Quo verbo Sisarae clades aequiparatur cladi Pharaonis Ex. 14, 24 et Chananaeorum Ios. 10, 10 et postea Philisthaeorum 1 Reg. 7, 10, quae portentis effectae sunt (*Ser.*). Ceteroquin, cum Deut. 2, 15; Est. 9, 24 הָמַם evidenter ad sensum *conterendi, destruendi* descendat, a *Chald.* ita h. l. intelligatur, itemque a *Vulg. Chald.* ad Ios. 10, 10, sensus est h. l. *contrivitque* : quomodo enim dicetur quis *perterreri in ore gladii*? In eiusmodi terrore primum magna confusio oriri debuit curruum se ad fugam vertentium et invicem impedientium, quorum multos Hebraei consecuti rhedarios milites interemerunt. Ex narratione s. autem efficitur, fugientes quoque currus assecutos esse Hebraeos pedites. Quomodo ille terror ortus sit, explicabimus ad 5, 21. — Desilit de curru Sisara, quod currus ornatus virum principem proderet, quod in curru ipse esset nimium conspicuus, quod ab itinere curruum deflectens facilius speraret se hostium manus posse effugere : quod primum utique effecit, nam quod in tentorio Iahel ad somnum se composuerit, ostendit, nullum tum inimicum viri vestigia proxime esse insecutum.

v. 16 *Hebr.* non construit dependenter a v. 15 : « *et Barac persequeretur fugientes currus et exercitum usque ad Haroseth Gentium, et omnis hostium multitudo usque ad internecionem caderet* ». *Hebr. et non relictus est ne unus quidem.* Solus qui remansit Sisara, inquit *Bonfr.*, mulieris et ipse manu interiit; et *Lap.* : « Rara ergo et novo miraculo prodigiosa fuit haec victoria ». Non tamen nimium premendae eiusmodi expressiones generales : ex ipso s. textu vix non evidens efficitur, aliquos in urbem Haroseth se recepisse. v. 17 « *Sisara autem fugiens pervenit* » — *Hebr. fugit pedes* — « *ad tentorium Iahel, uxoris Haber Cinaei* ». Haber *socium* significat, quam vocem erronee LXX inseruere : *Haber socii Cinaei* (*Ser.*). Acta haec omnia videntur, quo tempore Haber gregibus intentus domo abesset, « quod neque ad Sisaram exci-

piendum, alloquendum, occulendum adfuisse unquam videatur, neque in eiusdem morte aut consultor aut monitor et adiutor dicatur, neque demum post eius mortem aut vocatus ad cadaver spectator aut ad Baracum progressus nuntiator » (*Ser.*). Appellatur autem tentorium *Iahel*, non *Haber*, vel « quod ob eximiam feminae huius virtutem, quam mirabili edito facinore monstrabit postea, digna fuerit, a cuius nomine potius quam viri nominaretur tentorium », vel potissimum quia apud gentes polygamiae addictas aliud erat tentorium uxoris a tentorio mariti (*Ser.*). « *Erat enim pax inter Iabin regem Azor et domum Haber Cinaei* ». Expressio *erat pax* non id solum edicere videtur, nullas fuisse inimicitias, sed aliquod veri nominis foedus. Id infero ex Ios. 9, 6 (cf. 11. 15), ubi cum Gabaonitis petentibus pacem illico foedus initur ; ex 3 Reg. 5, 12 et 22, 45, pacem enim inter Salomonem et Hiram, inter Iosaphat et regem Israel foedere fuisse sancitam novimus ; eodemque sensu interpretamur 1 Reg. 7, 14, gens quippe rapax Amorrhaeorum pluribus annis cum Israele pacem vix servasset, nisi foederis vinculo adacta. Infero idipsum inde, quod verba h. l. scribantur eo utique fine, ut intelligatur, quare Sisara tam confidenter se Iaheli crediderit, non solum sc. quod illam inimicam sibi non comperisset, sed quod amicam arbitraretur. Cf. *Ser.* Curiosius aliqui discutiunt, quare cum Haber foedus inierit Iabin. Suspicatur *Ser.*, « familiam hanc potentem fuisse, cum qua foedus ac societatem tantus inire rex dignabatur ». Potius cum *Bonfr.* « crediderim ideo factum, quod ab eis rex ille nihil timeret, utpote a belli negotiis remotis » ; et nota, ea *pace* minime excludi tributum a pastoribus Iabino fortasse pendendum. Cf. *Calm.* Neque improbabiliter addit *Ser.*, providente Deo permissos esse Haberitas pace frui, quod Israelitis constantiores a Dei non discesserint legibus. Haec tamen incerta. — Rursum disquirunt, iustene interemerit Iahel Sisaram, cui foedere iungebatur ; quorum argumenta videas apud *Ser.*, *Bonfr.*, *Calm.* Movetque illos praeprimis laus 5, 24 Iahel tributa : « Benedicta inter mulieres Iahel, uxor Haber Cinaei, et benedicatur in tabernaculo suo ». Ubi advertas, celebrari Iahelem primum, quod fuerit instrumentum divinae providentiae et implendi vaticinii 4, 9 ; secundo, quod suo facinore insigne Hebraeis beneficium contulerit, quo abunde fuerat promerita, ut bona quaeque illi Hebraei apprecarentur ; utrum vero in eo facinore peccaverit, scriptura non dirimit. Potuit sane peccato carere, vel quod foedus cum Iabin fuerit coactum, non voluntarium, vel quod ipsa instinctu egerit divino, vel quod innocenter putaverit sibi licere, quod re nefas erat.

v. 18 « *Egressa igitur Iahel in occursum Sisarae dixit ad eum : Intra ad me, domine mi ; intra, ne timeas* ». Tres Sisarae rationes erant, quod in feminae tentorium se abderet : quod foedere iuncta esset,

quod blande invitaret, quod in tentorio feminae minus requirendus esset vir. Accusant Iahelem, quod hominem deceperit; quibus respondent alii, nihil verbis affirmari mendacii. Certe Sisaram, ut intraret, pellexit : quod iure fecit, si iure illum postea interemit; sin caedes iniusta, iniqua etiam invitatio. Prudenter tamen addit *Bonfr.*, « non satis constare, an ipsa iam tum de nece inferenda cogitaret, an vero postea istud ei consilium inciderit ». « Bona fide », inquit *Iahn* p. 196, « et quin attentius rem consideraret, Sisaram invitavit; postea, quo animo Hebraei salvatum a se virum forent laturi, perpendens consilium iniit necandi inebriati et dormientis ducis, quo Hebraeorum vitaret odium ». Nota tandem, Iahelem ab eiusmodi invitatione vix potuisse abstinere, quin vindictam viri armati atque extrema necessitate pressi provocaret, inermis ipsa mulier ; quod etiam attendere debebat Sisara neque tam facile invitanti se credere. Plura de hac quaestione eaque pulcherrima vide apud *Grandvaux* : Le livre de Job etc, suivi du Cantique de Débora, par *Le Hir*, avec Introduction par *Grandvaux*, Paris 1873, p. 163 sqq.

In iis, quae modo sequuntur, ἅπαξ λεγ. est vox שמיכה. Quam *Vulg.* vertit *pallium*, cui consentit *Theodotion* σάγῳ. LXX ἐπιβολαίῳ, ergo *stragulum*, et consentit altera lectio LXX δέῤῥει, quae vox primitus quidem *pellem* designat, inde vero quodvis straguli genus ex corio vel crinibus vel linteo confectum ; consentit item *Symm.* κοιμήτρῳ, aliquid ad lectum pertinens exprimens, *Chald.* גונכא *stragulum*, ubi monet *Levy* (Chald. Woerterbuch), legendum esse uti 4 Reg. 8, 15 גונבא ; neque tandem dissonat *Syr.* חמילתא, quod cilicium, tapetum, stragulum dicit. Cum qua voce שמיכה conferre lubet alterum ἅπαξ λεγ. מכבר 4 Reg. 8, 15, cuius sensum LXX *Theodotion* ignoravere (etiam *Ios.* vertens δίκτυον, *rete !*) ; *Vulg.* vertit *stragulum*, uti *Aq. Symm.* (στρῶμα), dum *Chald. Syr.* iisdem, atque h. l., vocibus גונבא et חמילתא utuntur. Secundum hos igitur una erat vocum שמיכה et מכבר significatio, sc. *stragulum*.

« *Qui ingressus tabernaculum eius et opertus ab ea pallio* », v. 19 « *dixit ad eam : Da mihi, obsecro, paululum aquae, quia sitio valde. Quae aperuit utrem lactis, et dedit ei bibere, et operuit illum* ». *Uter* habet articulum, ergo certus ille uter, qui in tentorio servabatur. Panis saepe pro cibo, aqua pro potu scribitur : ergo non insistendum est ei rei, dedisse Iahel lac petenti aquam. Neque id evincunt verba 5, 25 « Aquam petenti lac dedit » : nam et haec ita possunt intelligi, ut asseratur Iahel potum petenti dedisse lac. v. 20 « *Dixitque Sisara ad eam : Sta ante ostium tabernaculi et, cum venerit aliquis interrogans te et dicens : Numquid hic est aliquis? respondebis : Nullus est* ». Bene describitur Sisarae incuria omnibus prospicientis, de mulieris tamen fide minime dubitantis : ubi primum se ad somnum composuerat (« opertus ab ea pallio » v. 18), erecto rursum capite potum poscit, quo dormiat suavius. Rursum pallio « opertus » v. 19 iterum arrigit caput eamque docet, quomodo perqui-

rentes abigat. Dein, ac si iam cuncta tuta sibi essent, somno se dat. Narratio autem, nulla interposita mora, v. 21 ad eius necem describendam progreditur. v. 21 « *Tulit itaque Iahel, uxor Haber, clavum tabernaculi* », quo vela tabernaculi extendebantur et firmabantur, — ferreum scribit *Ios.* (?) — « *assumens pariter et malleum; et ingressa abscondite (et cum silentio), posuit supra tempus capitis eius clavum, percussumque (malleo defixit in cerebrum usque ad terram); qui soporem morti consocians, defecit et mortuus est* ». *Hebr.* : *et sumpsit malleum in manum suam et ivit ad ipsum abscondite, et impegit clavum in tempus eius; et ipse sopitus est et defecit et mortuus est.*

In tribus ultimis verbis quaedam est obscuritas. Cum verbo דרם significatio *sopiri* certo competat ex Ion. 1, 5 et h. l. ex versione *Vulg.* (quae tamem liberiore sermone aliqua adiicit) *Chald. Syr. Symm.*, contra LXX ἐξεστώς, ergo primum illud verbum, a reliquorum serie exemptum, participio exprimendum erit, quod fecere *Vulg.* LXX *Symm.* Quaeritur iam, eodemne modo alterum verbum construendum sit, an ad tertium potius verbum trahendum. Illud fecit *Kimchi, Cai.* : « soporatus et lassus, mortuus est » ; hoc fecere *Vulg.* LXX. Ulterius progressus *Vatabl.* alterum verbum priori subordinavit : « pressusque sopore prae lassitudine, mortuus est » ; verum ut ita vertere liceret, deberet esse ordo verborum עוף וירדם, non נרדם ויעף. Ergo praeferenda versio, cui favet *Vulg.* : *sopitus defecit et mortuus est.* Significatio *deficiendi* verbo עוף competit ex 1 Reg. 14, 28. 31 ; 2 Reg. 21, 15 ; eidemque h. l. tribuitur a *Vulg. Chald. Symm.*, et a *Masor.* illud in ultima syllaba ornantibus signo patach. Cui si kamez substituas, poteris cum *Syr.* et altera lectione LXX (ἀπεσκάρισεν) formam revocare ad verbum עוף *volare*, quod de volatu avium (Prov. 26, 2 etc), sagittae (Ps. 90, 6), de adventu navium (Is. 60, 8), de somnio avolante (Iob 20, 8) adhibetur; unde a significatione *volitandi* fortasse ad alteram *palpitandi* descendere licebit. Cui illud favet, revera 5, 27 eiusmodi palpitationem de Sisara affirmari (« volvebatur ante pedes eius ») ; obest, verbum עוף palpitandi significatione alias non usurpari.

v. 22 « *Et ecce Barac sequens Sisaram veniebat, egressaque Iahel in occursum eius dixit ei : Veni et ostendam tibi virum, quem quaeris. Qui cum intrasset ad eam, vidit Sisaram iacentem mortuum* » — cf. 3, 25 « invenerunt dominum suum in terra iacentem mortuum » —, « *et clavum infixum in tempore eius* ». v. 23 « *Humiliavit ergo Deus in die illo Iabin, regem Chanaan, coram filiis Israel* ». Rursum cf. 3, 30 « Humiliatusque est Moab in die illo sub manu Israel ». Repetitis iisdem sententiis inculcatur, eadem Deum fidelitate et omnipotentia populo suo succurrisse, quoties ille a peccatis ad Deum sincere poenitens rediisset. Haec sane formula Samueli tribuenda. v. 24 « *Qui crescebant quotidie et forti manu opprimebant Iabin, regem Chanaan, donec delerent eum* ». *Hebr. et ibat manus*, i. e. potentia seu vires, *filiorum Israel vadens et ingravescens super etc.*

Fatetur *Bertheau* explicari haud posse, cur v. 23 vox אלהים in locum subintret vocis יהוה v. 6. 14 sq. adhibitae ; etiam alias in nostro libro diversa se nomina divina excipere. *Cai.* hanc assignat rationem : « Summo iudici adscribitur humiliatio Iabin regis, utpote iusto iudicio effecta ». — Nota assonantiam inter ויכנע et כנען : veri nominis Chananaeus effectus est Iabin. Etiam alias narrator noster antithesi quadam verborum delectatur : v. 2. 9 וימכרם et ימכר, v. 6. 7 ומשכת et ומשכתי, v. 10. 13 ויזעק. — v. 24 formam קשׁה explicabis ut partic. fem., cf. *Ewald*, Grammatik §. 280 b. Sensus est, continuo Iabinum expertum esse crescentem Hebraeorum potentiam.

Canticum Debborae. — Iud. 5, 1-32

27. Cantici pulchritudo et antiquitas. — Dum reliquae libri partes instar platearum sunt urbis, per quas fidelium et rationalistarum interpretum hostilia agmina continuo feruntur atque decertant, hoc Canticum instar sanctuarii est utrique factioni venerandi. Licet enim in singulorum versuum interpretatione sententiarumque constructione et nexu plura, quam in reliquis libri capitibus, sint incerta, obscura, disputata, tamen una omnium de carmine universim spectato est vox, et primum quidem eius *pulchritudinem* agnoscentium.

« Ratione, tropis, verbis margarita est », exclamat *Reuss* p. 118 ; « hinc nobis est suspicari, quot et quae antiquissimorum temporum poeseos gemmae ex hominum memoria sint dilapsae ». Cf. *Ew.* II 500 sqq. — *R. Lowth* (De s. poesi Hebraeorum, Oxon. 1753, Praelect. 13) : « in Debborae carmine eucharistico », inquit, « quae sensuum, quae dictionis et compositionis sublimitas » ! *I. G. Herder* (Geist der hebr. Poesie, II. Cap. 7, 1783) canticum declarat, pulcherrimum Hebraeorum carmen heroicum ». Quibus adiungamus catholicorum fere recentissimum *Grandvaux* p. 169 sq. : « Les beautés, dans ce poëme, sont si éclatantes et si soutenues, si variées, si appropriées au ton général, et à chacun des détails, et sont d'un ordre si pur et si élevé, qu'il en résulte un ensemble harmonieux et sublime. L'admirable et savante ordonnance de la pièce, l'élévation des pensées, la générosité des sentiments, la noblesse des expressions, la justesse et la vivacité des images, le coup d'œil qui embrasse tout, la sobriété dans les détails, la rapidité du récit, une couleur locale pleine de vie, la sagesse la plus imperturbable et le plus ardent enthousiasme ; tout se réunit, au plus haut degré, pour réaliser dans ce morceau autant qu'il est possible, l'idéal de la religion et du patriotisme, et le beau monument d'une guerre, comme disaient les anciens, Pro aris et focis ».

Praeterea consentiunt auctores de cantici *antiquitate*, illud ipsi Debborae aevo adscribentes. Unum sufficiat citasse *Reuss* p. 118 sq. :

« Concinnatum est carmen ad mulierem heroem eiusque socios celebrandam, profectum ex eventuum recordatione omnino recenti et vivida, conspicuum nativa vi pariter atque sincera pietate... De carminis aetate, quod inter doctos rarum, nulla est controversia ; solitarios quosdam cavillatores omnes ignoravere... Superfluum est, ex cantici indole et sermone venerandam demonstrare antiquitatem ».

28. CANTICI AUCTOR. — Canticum est Debborae auctoris. Cf. *Scholz* II. 284 sqq.

1) Assertum invicte probat *inscriptio* v. 1 « Cecineruntque Debbora etc » (de Barac dicemus eum versum exponentes). Est ea enim vel auctoris praecedentis narrationis, fide dignissimi, utpote cuius narrationem Samuel suo Iudicum libro inserendam iudicaverit : vel ipsius Samuelis, qui eam inscriptionem adiecerit. Est ea igitur omni exceptione maior.

2) Quod argumentum confirmat ipse *Reuss* in hac re adversarius l. c. concedens, « nullatenus dissentire doctos, esse illud carmen perantiquum et ab ipsa Debbora confectum ». Quae doctorum virorum amica conspiratio, quanto est rarior, tanto ad demonstrandam carminis originem est efficacior.

3) Confirmatur assertio ex *indole cantici*.

a) Dum, quae diu ante apud Sinai fuerant gesta, verbis ex ipso Pentateucho mutuatis v. 4 sq. referuntur, ubi v. 6 ad rerum conditionem pugnam immediate praecedentem deflectit oratio, deprehenditur illico auctor coaevus, qui vias publicas, calles devios, urbes apertas noverit. Proelium et fugam describit vividissime. Totum carmen permeat affectus recens, nonnisi ex ipsis eventibus cominus conspectis hauriendus.

b) Sermoni intersparguntur ἅπαξ λεγόμενα numero sat multa, quae carmini antiquitatis quemdam saporem tribuunt.

c) Carmen utique *a muliere* est conscriptum : id elucet cum ex modo, quo Iahelis de viro duce triumphus describitur, tum magis etiam inde, quod acceptae cladis effectus in mulieribus ostendatur, in matre de filii reditu, in uxore de variegata veste sollicita [1]. Neque tamen in toto carmine quidquam invenies muliere *prophetissa* indignum : non ad muliebres invidias aut vanitates delabitur auctor, unam agit Domini causam. « Adverte », inquit *Vigouroux* (La Bible III. 294), « in hoc cantico, uti in reliqua Hebraeorum poesi, primum semper locum assignari Deo. Non Debboram et Baracum victores celebrat canticum, sed qui victor exstitit pro Israele, Iahven. Non de ducibus atque militibus potissimum agitur, sed Deo primae tribuuntur partes ». Dein auctor propriae tribus gesta non immodestius exaggerat, sed, quod prophetarum est, totum Israelem uno complectitur obtutu; bellum contra Sisaram communem omnibus causam iudicat, unde quae aliquid ad illud contulerunt tribus, eas laudat, alias vituperat, suaviter tamen et sine ulla tribus in tribus invidia.

---

1. Comparavit haec quidam cum *Aeschylis* versibus (Πέρσαι 832-838):

σὺ δ', ὦ γεραιὰ μῆτερ ἡ Ξέρξου φίλη,
ἐλθοῦς' ἐς οἴκους κόσμον ὅστις εὐπρεπὴς
λαβοῦς' ὑπαντίαζε παιδί. πάντι γὰρ
κακῶν ὑπ' ἄλγους λακίδες ἀμφὶ σώματι
στημορραγοῦσι ποικίλων ἐσθημάτων.
ἀλλ' αὐτὸν εὐφρόνως σὺ πράϋνον λόγοις.
μόνης γὰρ, οἶδα, σοῦ κλύων ἀνέξεται.

Quam frigida haec igneis Debborae verbis comparata! Darii umbra vetulam Atossam invitat, ut filio Xerxi a clade Graecorum redeunti occurrat ornatum sufficiens regium in locum illius, quem victus rex suis manibus impotenti rabie discerpsisset. Ita de ornatu corporis loquuntur *viri* : vesti discissae vestis integra succedat oportet. Profecto ita habet!

4) Futile est, quod opponit *Reuss*; v. 12 Debboram vates alloquitur : num ergo alius a Debbora vates ? num poetae non licet se ipsum alloqui ? Debboram auctorem in quarta editione etiam negabat *de Wette* (cf. *Ros.*), sed in septima quaestionem silentio premit. Eius aliquod argumentum fuerat 5, 7 pronomen שׁ contractum. Postea vero ipse concessit, quod iam monuerat *Ros.*, istud שׁ « haudquaquam seriorem aetatem arguere, sed certae alicuius regionis dialecti aut vulgarem usum loquendi videri ». Cum igitur Debbora in confinibus tribuum Beniamin et Ephraim sedem habuerit, cum illud שׁ contractum etiam 6, 17; 7, 12; 8, 26 in historia Gedeonis recurrat, licebit coniicere, et eum loquendi usum ad tribus maxime centrales pertinuisse, atque in earumdem finibus primum acta Gedeonis scriptis esse mandata.

29. Cantici cum Pentateucho et libro Iosue nexus. — Cantici auctor Pentateuchi et acta et textum sciebat; cuius asserti demonstratio tanto maioris est momenti, quod Canticum ab omnibus, etiam rationalistis, perantiquum factisque coaevum esse concedatur.

Totum canticum *Iahve, Deum personalem,* centrum agnoscit religionis Hebraeorum; ei soli victoria tribuitur v. 2. 3. 9. 10. 11. 13. 23; clausula v. 31 omnino est pentateuchica. Illico 5, 4 sq. mentio habetur *foederis Sinaitici,* verbis ex Deut. 33, 2 mutuatis. Quae textuum affinitas ne ipsum quidem effugit *Ew.,* qui I. 105, antiquitatem Deut. concedere nolens, affirmavit auctorem Deut. 33 imitatum esse canticum Debborae (!). Miserae secutae rerum conditionis causam v. 8 assignat *idololatriam,* eadem expressione « deorum novorum » usus, atque Deut. 32, 17. Immo asyndetico loquendi modo : « elegerunt deos novos, tum impugnatio portarum », exprimi videtur, calamitates illas fuisse idololatriae effectum naturalem quasi et necessarium, utique virtute *foederis* cum populo initi. Unde etiam v. 31 inimici populi electi simpliciter « inimici Domini » audiunt. In mente crediderim Debboram habuisse alterum canticum Ex. 15 : cf. cum Ex. 15, 1 repetitas ad cantandum exhortationes; cum Ex. 15, 4 sqq. hostium 5, 21 submersionem; cum Ex. 15, 9 in hostibus desiderium praedae colligendae 5, 19 sq. Quoad expressiones, 5, 16 sq. nos commonefacit expressionum Gen. 49, 14. 13. Stellae coelo sereno ut Hebraeorum foederatae vix conciperentur, nisi mentibus haesisset portentum Ios. 10, ubi sol et luna in orbitis substiterant. Cf. *Hengst.* p. 116 sqq.

30. Cantici unitas, synopsis, metrum, versio. — Canticum *in se unum* est, non duo cantica.

Ewald II. 501. 534, unus quem novimus, canticum in duo separata cantica 2-11 et 12-31 discrevit. Victoria celebrata est in Silo. Primo mane remoti ab omni strepitu canticum gratiarum actionis 2-11 decantavere. Aliquanto post instructum est agmen triumphale, producti captivi, decantatum v. 12-31. Pro qua sententia illud afferri potest, *prolixius* videri v. 2-11, si ut *exordium* tantum sequentis epinicii concipiatur. Verum in mente habeamus oportet Hebraeorum scribendi genus, maxime poeticum, a nostro plurimum differre. Non sunt apud illos omnia numeris ita absoluta certisque mensuris adstricta. Immo erravere certissime ii auctores (*Ew., Bertheau*), qui in nostro cantico proportionem quamdam veluti mathematicam partium se reperisse existimabant, ut, demptis v. 2. 12. 31, prior pars constet tribus, altera sex trinorum ver-

suum strophis (3-5, 6-8, 9-11; 13-15, 16 18, 19-21 ; 22-24, 25-27, 28-30) : ita quippe ab invicem separantur v. 24 et 25, qui utique intime connectuntur. Patitur omnino prolixius exordium hebraea poesis. Insuper non merum exordium est v. 2-11 : est quidem potissimum in civibus ad canticum invitandis, sic tamen ut simul magnam aliquam rerum mutationem celebret, quae miracula pridem in Sinai patrata revocet in memoriam.

v. 2-11 fuisse canticum a sqq. distinctum, *mane* festivi diei ab omni strepitu remotis decantandum, putabat sane *Ew*. ob id maxime, quod v. 11 de sagittariis ad canales aquarum psallentibus habetur : at eam v. 11 expositionem repudiamus.

Quod dicit *Ew*., v. 2-11 esse canticum *in se completum* ideoque a sqq. discernendum, id negamus. Quae enim supponenda esset eius cantici idea princeps, sc. « praevaluisse populum Dei super portas », ea vix in illo enuntiatur. Celebratur sat multis mutata in melius rerum conditio, mutatae autem ratio vix indicatur. Quid tandem egit Dominus, quod vati portenta in Sinai patrata in mentem revocaverit? quomodo et de quibus hostibus populus victor exstitit? Quarum quaestionum responsio ex altera cantici parte colligitur. Adde, v. 13 nos evidenter revocare ad ultimum v. 11 incisum et ad v. 8, v. 12 ad v. 7.

Verba v. 1 « Cecineruntque Debbora etc » utique *unicum* canticum introducunt, uti similia verba Ex. 15 et alibi.

Canticum diversi diverse partiti sunt; nos, quam praeferimus, *divisionem* subiicimus.

Cantici duae discernuntur partes, quarum prior ad canticum invitat, posterior salutem divinitus effectam celebrat.

A. Ad canticum invitamur v. 2-11 duobus membris, eadem invitationis formula v. 2 et 9 ordientibus : « Qui sponte obstulistis de Israel animas vestras ad periculum benedicite Domino ». Quae invitationis formula

1) in priori membro (v. 2-9^{a}) v. 3 continuatur; dein v. 4 sq. antiqua Dei in largienda lege portenta celebrantur, v. 6 sq. misera subsecuta populi conditio describitur, v. 8 eius conditionis causa affirmatur idololatria; simul bis v. 7 et 9 Debbora tamquam effectae salutis instrumentum demonstratur.

2) In altero membro (v. 9^{b}-11) invitatio « Qui propria voluntate obtulistis vos discrimini, benedicite Domino », rursum v. 10 sq. continuatur, simul extremo v. 11 cantici thema breviter enuntiatur : « Tum (אז) praevaluit super portas populus » *Hebr*.).

B. Salus divinitus effecta celebratur v. 12-31. Et primum quidem v. 12 invitatio ad canticum repetitur, v. 13 thema cantici : « Tum (אז) praevaluerunt reliquiae super illustres, populus Domini praevaluit mihi super fortes » (*Hebr*.). Dein

1) v. 14-18 eae tribus laudantur, quae ad victoriam contulerint, eae notantur, quae a pugna abstinuerint;

2) v. 19-21 ipsa pugna describitur, ubi v. 19 proelium recensetur (אז), v. 20 coelum contra Sisaram armatum, et v. 21 torrens Cison mortuos absorbens ostenditur;

3) v. 22-30, quae post pugnam evenere narrantur : v. 22 hostium fuga (אז); v. 23 sq. auxilium ab aliquibus denegatum, ab aliis latum; v. 25-27 Sisarae interitus; v. 28-30 familiares eum anxie exspectantes.

4) v. 31 totum canticum claudit.

Metrum quod attinet, *G. Gietmann* (De re metrica Hebr., Friburgi Br. 1880 p. 69) versus distinguit octasyllabos, quos a Barac, et hexasyllabos, quos a Debbora decantatos supponit. *G. Bickell* (Carmina V. T. metrice) alternantes statuit octasyllabos et hexasyllabos, ita tamen ut tertium quemque octasyllabum non hexasyllabus sed decasyllabus consequatur.

Tandem cum in cantico non pauca sint obscura, iuvabit primum totius cantici *versionem* nonnihil magis perspicuam subiicere.

v. 2 Qui de Israel animas vestras ad periculum
sponte obtulistis, benedicite Domino.
v. 3 Audite reges, auribus percipite principes.
Ego sum, ego sum, quae Domino canam,
psallam Domino Deo Israel. —
v. 4 Domine, cum exibas de Seir
et gradiebaris per regionem Edom,
terra contremiscebat et etiam coeli stillabant,
et etiam nubes stillabant aquam,
v. 5 montes deficiebant a facie Domini,
hic Sinai a facie Domini Dei Israel. —
v. 6 (E contra) in diebus Samgar, filii Anath,
in diebus Iahel desertae erant semitae,
qui enim viis tritis incesserant, iam semitis deviis iter faciebant;
v. 7 desertae erant urbes patentes in Israel, desertae,
donec surgeret Debbora,
surgeret mater in Israel. —
v. 8 Elegerat hic deos novos,
et ecce impugnatio portarum.
Dum neque clypeus neque hasta invenirentur
in quadraginta millibus Israel,
v. 9 corde ego diligebam principes Israel.

Qui propria voluntate obtulistis vos discrimini, benedicite Domino;
v. 10 qui nitentibus equitatis asinis,
qui in iudicio sedetis,
et qui ambulatis in via, cantate.
v. 11 Locus rapinae factus est domus tripudii :
ibi narrate iustitias Domini,
iustitias in urbes patentes Israel. —
Tum praevaluit in portis populus Domini.

v. 12 Surge, surge, Debbora,
surge et loquere canticum;
surge, Barac, et captivos duc, qui te captivum duxerant, fili Abinoem. —
v. 13 *Tum praevaluerunt reliquiae super illustres,*
populus Domini praevaluit mihi super fortes.

v. 14 De Ephraim — hic eradicavit eos in valle;
post te Beniamin in populis tuis; —
de Machir principes descenderunt,
et de Zabulon duces exercentes milites.
v. 15 Duces Issachar fuere cum Debbora,
et Issachar sicut Barac
in valle cum suis peditibus se praecipitem dedit.
Ruben incertus haesit,
magnanima consilia cordis.
v. 16 Quare inter caulas quiescis
ad audiendum melodias gregum?
Ruben incertus haesit,
magnanima consilia cordis.
v. 17 Galaad trans Iordanem quiescebat,
et Dan quare in navibus degebat?
Aser habitabat in litore maris
et in portubus morabatur.
v. 18 Zabulon, populus parvipendens animam suam in mortem,
et Nephthali in vertice Thabor.

v. 19 Venerunt reges et pugnaverunt,
tum pugnaverunt reges Chanaan
in Thanach ad aquas Megiddo,
sed praedam argenti non tulerunt. —
v. 20 De coelo dimicatum est contra eos,
stellae de orbitis suis
adversus Sisaram pugnaverunt. —
v. 21 Torrens Cison absorbuit eos:
torrens turbinis fuit torrens Cison!
Conculca anima mea robustos.

v. 22 Tum sonuerunt ungulae equorum
ab impetu, impetu fortium! —
v. 23 Maledicite Meroz, inquit angelus Domini,
maledicite habitatoribus eius,
quia non venerunt ad auxilium Domini,
ad auxilium Domini in fortibus. —
v. 24 Benedicta prae mulieribus Iahel,
uxor Haber Cinaei:
prae mulieribus in tabernaculo benedicatur!
v. 25 Aquam petenti lac dedit,
in phiala selecta obtulit butyrum.
v. 26 Sinistram misit ad clavum
et dexteram ad fabrorum malleum,
tuditque Sisaram percussitque caput eius,
et confregit et perforavit tempus eius.
v. 27 Inter pedes eius contorquebatur, collapsus est, mortuus est;
inter pedes eius contorquebatur, collabebatur:
ubi contorquebatur, ibi collapsus est oppressus. —

v. 28 Per fenestram prospiciens ululabat
mater Sisarae, per cancellos :
Cur moratur regredi currus eius ?
Quare tardant gressus quadrigarum eius ?
v. 29 Una, sapientior ceteris uxoribus eius, respondit,
(quin etiam mater ipsa solabatur sese) :
v. 30 Nonne dividit praedam ?
Puella una aut duae singulis viris praeda ;
vestis diversicolor Sisarae praeda ;
vestis diversicolor variegata una, aut vestes diversicolores variegatae
duae collo meo praeda.

v. 31 Sic pereant omnes inimici tui, Domine ;
qui autem diligunt te, fiant sicut ortus solis in splendore suo.

COMMENTARIUS

CAP. V v. 1 « *Cecineruntque Debbora et Barac, filius Abinoem, in illo die dicentes* ». Canticum hoc tota antiquitate *Canticum Debborae* appellatum est, ex quo facto probabile desumitur argumentum, fuisse carminis auctorem Debboram, concentorem, ut *Ser.* ait, Barac. Ubi pulchre *Procop.* : « Oportet », inquit, « praecentorem huius carminis vel apem fuisse, quae nominis Debborae interpretatio est, vel fulguris instar, quod significat Barac, assurrexisse ». « Praeponitur Debbora », inquit *Cai.*, « tamquam principalior in constructione huius cantici, ipsa enim dono prophetiae condidit illud ». Hincque altera desumitur ratio probabilis, unam Debboram auctorem fuisse, quod sc. ipsam dono prophetiae ornatam fuisse noverimus, canticum autem eiusmodi prophetica inspiratione sit concinnatum. Tamen haec ratio non est omnino stringens : potuit quippe etiam Barac, saltem ad tempus, prophetiae dono ornari. Sane solam Debboram fuisse auctorem, non inde potest inferri, quia ipsa *ante* Barac nominetur (*Ser.*) : debuit enim tandem vel ipsa vel ille priori loco recenseri. Neque « Debborae in hoc carmine praecipuam partem fuisse », cum *Ros.* inde concludere lubet, quia verbum sit generis feminini. Etenim verbum duplici subiecto praepositum quandoque numero singulari poni et subiecti proxime sequentis genus imitari, inter alia exempla docet Num. 12, 1 : « Locutaque est Maria et Aaron contra Moysen ». Aliquam tamen confirmationem cum *Cassel* petere fortasse licebit inde, quod etiam Ex. 1 habeatur : « Tunc cecinit Moyses et filii Israel carmen hoc Domino », ubi certe solus Moyses auctor fuit; ergo similiter sola Debbora auctor.

a) AD CANTICUM INVITATIO. — IUD. 5, 2-11

Duobus ea membris constat, v. 2-9 et v. 9-11, eadem utrobique invitationis formula « Qui sponte obtulistis etc » incipientibus.

v. 2 « *Qui sponte obtulistis de Israel animas vestras ad periculum, benedicite Domino* ». Versus est introductio quaedam et invitatio ad sequens canticum. Secundum *Vulg.* sensus est planus : ii, qui generose secuti sunt Debboram et Barac, invitantur ad gratias Deo cantico rependendas. Quorum generosus h. l. animus, inquit *Bertheau*, tanto convenientius commendatur, quod postea v. 15 sqq. alii vituperentur, qui pugnae se subtraxerint.

Longe diversus *Hebr.* בפרע פרעות בישראל בהתנדב עם. Ubi illud admirationem facit, vocem עם articulo carere, cum tamen de determinato populo intelligatur. Nomen פרעה secus solum Deut. 32, 42 habetur et ibi quoque incertae est significationis, ut patet inspicienti textum et versiones. Vocis התנדב sensus unicus h. l. esse potest, sc. *se exhibere paratum, sponte se offerre*. Textum varie vertunt pro variis, quas radici פרע tribuunt, significationibus; immo auctores non ita pauci a textu discutiendo, desperatione quadam acti, abstinuere. *Cai.* : « In solvendo solutionem in Israel, in esse spontaneum populum, benedicite Iehova ». Et explicat : « Invitat ad laudandum fontem essendi » (sc. Iahve) « in duobus beneficiis : videlicet in *ultione,* quae significatur per metaphoram *solutionis*, tamquam ipsa ultio sit solutio debiti inimicis; alterum vero beneficium est *libertas* populi significata per hoc, quod populus redditus est *spontaneus* ad pugnandum pro libertate ». Aliter *solutiones* istas intelligit *Mendelius* (ap. Ros.) : cum soluta atque subversa essent omnia in republica Hebraeorum. *Luther* (ib.) : cum soluta essent vincula oppressionis in Israel, redditaque esset populo libertas; ubi merito advertit *Ros.* : « Ita *dissolutiones* essent pro *vinculis* dissolutis dictae, quod vix quisquam sibi persuadeat ». *Cler.* : « Israele in libertatem adserto populoque spontanea sacra faciente, benedicite Iehovae ». — Alii radici פרע significationem affigunt *ulciscendi*, *retribuendi*, quae illi in Chald. et Syr. lingua certissime competit, in Hebr. demonstrari nequit, est tamen non improbabilis. Ad quam ipse tandem *Cai.* per ambages deflectit. Huius interpretationis auctor est *Syr.* : idem quod Hebr. legens, nisi quod התנדב defiguratum sit in התכבד : *In ultione, qua ultus est Israel, in glorificando populo* (Deum) *benedicite Domino.* Accedit *Chald.* adscripta sola prima textus voce בפרע eaque adiecta paraphrasi, quae ostendit, radici illum *ultionis* sensum tribuisse. Accedunt interpretum non pauci. *Vatabl.* : « dum sumit poenas Deus propter peccata, dumque populus sponte sumit arma ». *Mar.* : « Argumentum et titulus cantici hoc versu continetur : sc. ut laudetur Deus, quoniam vindicavit Israel, et quoniam populus libenter prodiit hosti obviam ». — *Nudandi* significationem praefert lectio LXX *Vatic.*, omisso primo ב : ἀπεκαλύφθη ἀποκάλυμμα. — *Incipiendi* vel *imperandi* significationem adstruunt LXX *Alex.* et *Theodotion*, nescio quo iure : ἐν τῷ ἄρξασθαι ἀρχηγούς. Hinc *Ros.*, *Bertheau*, *Keil*, *Clair* fere ita vertunt : Propterea quod principatum susceperint principes in Israel, quodque populus sponte se obtulerint, benedicite Domino. Eam *imperandi* significationem inde deducit *Keil*, quod פרעות Deut. 32, 42 (qui textus et ipse obscurus est variasque admittens interpretationes) exprimat *comam* tamquam roboris et nobilitatis insigne; intelligique h. l. affirmat viros *comatos* i. e.

principes. *Cassel* : « quando incompta gerebatur coma ex voto a populo suscepto » ; sc. quandoque voto se quis adigebat ad comam barbamve non tondendam, quoad optato favore frueretur; quale votum ab Israelitis ante initam contra Sisaram pugnam susceptum fuisse, supponere videtur Cassel.

Quas hucusque discutiebamus versiones, eundem aut fere eundem atque Masor. legebant hebr. textum; a quo multum recedit, quem supra descripsimus, *Vulg.* textus, ut exclamet *Cler.* : « Nemo non videt, illum (*Hier.*) ex coniectura, neglectis omnibus regulis, ita vertisse ». Verum haud improbabile videtur diversum a reliquis textum Hier. legisse, eumque magis genuinum. Verba *qui sponte obtulistis* utique respondent voci התנדב. Potuit ergo hunc textum prae oculis habere Hier. : בפרע נפשותיכם בישראל בהתנדב עם, *in nudando* (i. e. periculo exponendo) *animas de Israel in offerendo se spontanee populo, benedicite Domino.* Ubi prima fronte patet, pro פרעות legisse Hier. נפשות. Quam si admittas lectionem, fateberis libere vertisse Hier., minime tamen « neglectis omnibus regulis ».

v. 3 « *Audite reges, auribus percipite principes* », Iabin et Sisara (*Chald.*), vel potius gentilium omnes (*Bonfr.*). Ad concinendum invitatis v. 2 Hebraeis, iam ethnicos quoque, ut attendant, exhortatur Debbora, reges primum, nam, « regis ad exemplum totus componitur orbis » ; quo omnibus innotescat, « se totam hanc victoriam Deo acceptam referre, ob idque merito se illi gratias agere » (*Bonfr.*). « *Ego sum, ego sum, quae Domino canam, psallam Domino Deo Israel* », « qui Israelem elegit, eiusque Deus vocari dignatur » (*Procop.*). In aliis textibus verba leguntur ordine paulum mutato, sensu eodem. Pro ליהוה *Chald.* videtur legisse אהלל *laudabo*; recte idem *ego* ad Debboram refert. Cum זמר *psallere* secus de cantu, quem musica comitantur instrumenta, adhibeatur, is voci sensus etiam h. l. tribuendus erit.

Invitatis iam ad canticum tam Hebraeis quam gentilibus, cantici *thema* indicandum venit. Ad quod nos sacra vates gradatione quadam manuducit. Ab antiquis quippe in monte Sina exorsa portentis, miseram posterioris aevi oppressionem commemorat, cui victoria ad Cisonem finem imposuit, cantico iam celebranda.

Dei beneficia antiquitus collata. — v. 4-5

v. 4 « *Domine, cum exires* » — verbum de imperatore ad bellum procedente usurpari consuevit — « *de Seir* », qui mons a Mari Mortuo ad sinum Aelaniticum pertingens idem est atque regio Edom, cf. Gen. 32, 3 (4); 36, 20 sq.; Deut 2, 4; Ios. 24, 4, — « *et transires* », *Hebr. gradereris* triumphatoris instar, « *per regiones Edom* », — *Hebr. LXX de campo Edom,* parallelismum cum priore membro servantes — « *terra mota est, coelique ac nubes distillaverunt aquis* ». Reliqui : *coelique stillarunt, et nubes stillarunt aquas.* v. 5 « *Montes fluxerunt a facie Domini, et Sinai* » — reliqui *hic Sinai*, quasi digito praesentem de-

monstrantes — « *a facie Domini Dei Israel* ». נזלו *Vulg. Chald.* derivabant a נזל *fluere;* derivandum a זלל eique attribuenda significatio, non *effusi sunt* et hinc *defecerunt* (*Syr.*), sed *commoti sunt* (LXX et in paraphrasi etiam *Chald.*). — Iam his versibus sermonem esse de lege in monte Sinai data, cum *Chald.*, *Ps. Hier.* (In Cant. Debb., M. 23. 1323), *Cai.*, *Lyr.*, *Bonfr.*, *Calm.* aliisque censemus. Id primum ostenditur ex comparatione cum Deut. 33, 2, quem locum Debbora indubie prae oculis habebat : « Dominus de Sinai venit, et de Seir ortus est nobis; apparuit de monte Pharan, et cum eo sanctorum millia : in dextera eius ignea lex ». Hic locus de lege agit in monte Sinai data : ergo et ille. Dein ex comparatione cum Ps. 67 (68), 8 sq., qui et hunc et illum locum imitatus est : « Deus, cum egredereris in conspectu populi tui, cum pertransires in deserto, terra mota est, etenim coeli distillaverunt a facie Dei Sinai, a facie Dei Israel ». Quibus textibus omnibus Sinai nominatur, immo nostro textu digito veluti demonstratur. Insuper manifestationem Dei in monte Sinai reapse illustrarunt portenta ea omnia, quae h. l. enumerantur, Ex. 19, 16 sqq. : « Ecce coeperunt audiri tonitrua, ac micare fulgura, et nubes densissima operire montem... Totus autem mons Sinai fumabat... eratque omnis mons terribilis ». Habes hic montes quassatos continuis fulminibus, et fortasse etiam accedente terraemotu; habes nubes. At, inquiunt, desideratur pluvia. Tot tonitrua et fulgura pluviam habuisse comitem, facile quis crediderit; aut dicas cum *Cai.*, « quae non sunt ibi scripta, hic supplentur » ; tandemque memineris, nos in descriptione versari poetica. « Quomodo autem Deus ad montem Sinai veniens dicatur de Seir exisse et transisse per regiones Edom, explicatur Deut. 33, 2, nimirum quod Israelitis ad montem Sinai consistentibus, ab ea parte ubi erat Idumaea et mons Seir versus orientem », vel potius septentrionem, « visus sit primum divinus splendor e nube ignea apparere et exoriri, ut plane ex ea regione venire videretur » (*Bonfr.*). — Sicut igitur Moyses tribubus ultimum benedicturus, a celebranda Dei in monte Sinai gloria exorditur orationem, ita h. l. facit Debbora : ibi siquidem Deus cum populo foedus illud patriarchis promissum inivit, ibi sequentes gratiae omnes radicem habuerunt. Antiqua illa prodigia mirabili per Debboram effecta salute iam *instaurantur* (*Bonfr.*), hincque *continuata* demonstratur Dei in Israelitas benignissima providentia (*Lap.*). Igitur Debbora, sui temporis divina facinora celebratura, incipit a commemorandis Dei ad montem Sinai portentis; dein v. 6 sq. commemorat tempus aliquod subsecutum, quo nulla eiusmodi portenta locum habuerint, quo Deus Israelis quasi immemorem se exhibuerit; dein transit ad celebrandam victoriam de Sisara reportatam, in qua vetera portenta revixere. Quod argumenti genus aeque aptum est ad per-

cellendos Israelitas v. 2 ad iubilandum, quam gentiles v. 3 ad audiendum invitatos : quo sc. illi ad fiduciam et laetitiam, hi ad terrorem moveantur.

Veteres auctores diutius quandoque morantur in refellenda *Malv.* sententia, non agi de miraculis in Sinai factis, sed alludi ad Num. 20, 21, ubi Edomitis transitum prohibentibus, Hebraei longo circuitu terram promissam petiere. Quam sententiam resuscitavit *Cler.*; sed illico concedere cogitur, nullam ibi in montibus, coelis, nubibus commotionem narrari; putat tamen aut in priore narratione omissa h. l. suppleri, aut figuratam esse narrationem, « qua poetice iter Israelitarum, Deo antecedente in nube, per Arabiam describitur, stupente veluti et tremente natura ». Quam sententiam antiquatam commemorasse sufficiat. — Neque contextus neque metrica ullam nobis praebent ansam vocum זה סיני cum *Le Hir* expungendarum, quasi glossa sint a recentiore scriba adiecta.

Subsecuta populi miseria. — v. 6-7

Nexum cum sequentibus ita explicat *Cai.* : « Post commemorata divina opera mirabilia tempore patrum priscorum, transit ad statum populi paulo ante hanc victoriam, ut opposita iuxta se posita magis elucescant : ad hoc enim tempora Samgar commemorat, ut monstret disparitatem inter tempus Samgar et tempus istius victoriae ». v. 6 « *In diebus Samgar, filii Anath* » (3, 31), « *in diebus Iahel quieverunt semitae* » — ita etiam *Symm.; Syr. cessaverunt, defecerunt*; recte explicat *Chald. defecerunt ambulantes in viis*, i. e. viatores — « *et, qui ingrediebantur (per eas), ambulaverunt per calles devios* ». Ubi *Vulg. per eas* supplevit, in *Hebr.* legitur נתיבות, quod *Chald.* explicat *semitas praeparatas, Syr. semitas rectas,* et in locis parallelis commode intelliguntur *viae tritae, publicae,* βασιλικάς, uti habet *Cod. Aldin.* LXX (ap. Cler.), legiturque in *Cod. Alex.* defiguratum in βασιλεῖς. Cf. Ps. 118 (119), 35; Iob 18, 10; Prov. 1, 15; quod autem habet Vulg. Prov. 12, 28 « iter autem *devium* ducit ad mortem », id omnino videtur vertendum « iter autem *tritum* etc », cf. Matth. 7, 13. Re igitur eaedem sunt נתיבות, quae in priore versus parte *semitae* vocantur, et altera pars priorem explicat hoc modo : In diebus etc desertae erant viae : qui pridem enim illis viis tritis incesserant, nunc semitis deviis iter faciebant. Falso triplicem viarum classem adstruit *Cler.* : « Si per viam regiam iter facere non licet, saltem per semitas notiores licet; sed si parum tutae sint semitae, quod eas etiam latrones obsideant, tum deveniendum ad invios calles et tortuosas vias ». Viae regiae, quales Cler. a viis notioribus distinguit, iudicum aevo erant nullae. « Familiare est scripturae, ut inter mala regionis ab hostibus occupatae recenseat itinera viarum praeclusa et commercii libertatem prohibitam : Is. 63, 8; Lev. 23, 22; Thren. 1, 4 » (*Calm.*)

« Quievisse dicuntur semitae, quia tempore Samgar ducis Israel praeoccupatae erant semitae ab inimicis Israel, et non audebant in domum Domini libere orandi gratia ascendere; sed, qui ingrediebantur per eas, timore inimicorum latenter et per calles devios ascendebant » (*Hier.*). — Iam quod de *Samgar* dicitur, difficultatem non habet : exiguo is tantum tempore iudex fuit, contra solos Philisthaeos videtur dimicasse unicamque de illis victoriam reportasse. Obscurius, quod de *Iahel* dicitur. Patet eandem quae 4, 17 intelligi mulierem, non vero ignotum quemdam iudicem (*Bertheau*). Quod insinuat *Malv.*, verba idem sonare, atque si diceretur « A diebus Samgar *usque* ad dies Iahel », vim textui infert. Sensum obvium exprimit *Lap.* : « Significat ergo Iahelem non potuisse vias securas facere et mala populi avertere, donec Debbora prophetissa instinctu Dei Barac et Hebraeos, ac consequenter Iahelem, ad bellum hoc et ad occidendum Sisaram excitavit ». Iahel fuerat instrumentum divinitus ordinatum ad victoriam de Sisara complendam : sed ne hoc quidem instrumentum quidquam efficere potuit, donec adesset Debbora. v. 7 « *Cessaverunt fortes in Israel et quieverunt, donec surgeret Debbora, surgeret mater in Israel* ». *Hebr.* absque copula repetit verbum *defecerunt*, bisque scribit primam personam *surgerem*. Sensus *Vulg.* itemque LXX planus est : ratio, cur desertae fuerint viae, enuntiatur, quod sc. defecerint heroes ad illas defendendas. Verum versionem longe diversam cum *Rabbinis* praeferendam censent *Pagninus, Cai., Vatabl., Lap., Mar., Malv.* aliique : *defecerunt* seu *desertae sunt urbes apertae.* Quam ita explicat *Bonfr.*, licet ipse ei accedere dubitet : « Quemadmodum versu praecedenti dictae sunt quievisse semitae, quia in itineribus nusquam tutum esset, cum loca omnia grassatorum iniuriis paterent, ita nunc dicentur cessasse et quievisse oppida non murata in Israel quia nec ibi securus degere quisquam posset; unde ad tutiora loca confugientibus incolis cessabant in illis omnia et summa quies erat ».

פרזון solum h. l. et v. 11 legitur. *Chald.* utrobique vertit *urbes apertas ; Syr.* h. l. *planities* ; lectio aliqua LXX κατοικοῦντες ; *Alex.* non intelligens transcripsit φράζων, idemque v. 11 cum eodem habet *Aq.* ; ubi *Symm.* ἀτείχιστοι, *Vulg. fortes ;* e contra LXX αὔξησον, *Theodot.* ἐνίσχυσον, *Syr.* אסגי (multiplicavit). Nomen פרז Hab. 3, 14 legitur, sed est dubiae interpretationis. E contra פרזות ubique *urbes apertas* vel *regionem apertam* significat : Ez. 38, 11 ; Zach. 2, 4 (8) ; Est. 9, 19. פרזי designat *incolam planitiei,* idemque sensus *Pherezaeorum* nomini tribuitur.

Mater appellatur Debbora : mater est bonorum omnium ministra « et, ut quidam apud Romanos dicti sunt patres patriae, ita haec mater patriae Israel audiit » (*Malv.*). — Habes hic *thema* cantici iam indicatum, idem enim re est Debboram assurgere et Sisaram conteri. Verum ante-

quam ad victoriam celebrandam procedat vates, prioris oppressionis *rationem* pandit.

Miseriae causa idololatria. — v. 8-9

v. 8 « *Nova (bella) elegit Dominus et portas (hostium) ipse subvertit* ». « Idcirco », inquit *Hier.*, « Dominus nova bella elegisse dicitur et portas hostium subvertisse, eo quod de inermibus fortes et victoriosos fecerit ». « Iussiones Dei », explicat *Calm.*, « femina defert ad Baracum, hic eligit decem millia fere inermia; haec manus, cum in montem sese recepisset, continuo hostium immenso plane exercitu obsidetur; statim illi e superiori monte ruunt in hostes; subitus terror hostes quatit; quibus fuga dilabentibus, princeps ipse, ut incognitus fugiat, e curru suo desiliens pedes elabitur : nihil est utique magis *novum* et extraordinarium, quam ea belli gerendi ratio ». Sed longe aliter *Hebr. : Elegit deos novos, tum oppugnatio in portis*; i. e. quando Israel (v. 7) ad idola gentium, quae etiam Deut. 32, 17 *nova* dicuntur, deflectebat, tum providente idololatriae poenam Deo aderant inimici ad portas. Quibus enuntiatur unum ex illis axiomatibus, cui totus Iudicum liber superstruitur, sc. res adversas passos esse Hebraeos in poenam idololatriae.

Primum incisum videntur omnes legisse יבחר אלהים חדשים. *Vulg. Syr.* faciunt אלהים subiectum : *elegit Deus novum*, ubi *Vulg.* supplet *bellum*; eam quippe vocem non esse versionem sequentis לחם, quod causatur *Am.*, evidens est. Sed constructioni illi obstat, חדשים esse masc., dum deberet esse fem. pro neutro חדשה vel חדשות. Ergo melius LXX *Chald. Theodotion* subiectum *Israel* ex v. 7 supplevere : *Israel elegit*. Elegit autem אלהים, quae vox certe non vertenda est *iudices* cum *Cai.*, *Bertheau*, sed cum LXX *Chald. deos*, ergo : *Israel elegit deos novos*. Ubi obiicit *Bertheau* יבחר esse futuri temporis, ergo designare actionem nondum absolutam respectu praecedentis verbi : cum surgeret Debbora, adhuc electione occupabatur Israel; at certe non surrexit Debbora, nisi postquam idololatriam abdicasset Israel. Cui respondeo, *Chald. LXX Theodotion* intellexisse יבחר, uti nos; respondeo, illud futurum utique designare actionem nondum absolutam, respectu tamen, non versus praecedentis, sed incisi sequentis : *quando* eligebat Israel deos novos, *tum* etc. — Sequens אז omnes legebant (etiam *Chald.*, quod eius paraphrasin perpendenti patebit); neque illud vertere licet ὡς cum lectione aliqua LXX, neque *ipse*, si tamen hac voce *Vulg.* illud אז expresserit. לחם שערים vertere *Syr.* LXXb *panem hordeaceum*, explicatque *Theodoret.* : « Ut compos mentis non habetur is, qui triticeis panibus hordeaceos anteponit : ita supra modum stupidus est, qui falsos deos vero praefert ». Quae comparatio quam sit flaccida panibusque hordeaceis iniqua, nemo est quin videat. Standum igitur punctationi *Masor.* לָחֶם שְׁעָרִים, ubi priorem vocem cum *Ges.* interpretabere nomen verbale ex piel formatum : *tum oppugnatio portarum*, uti intelligebant *Vulg. LXX Chald.* — *Le Hir* « tum devoratio portarum » : sensus idem, sed durius confunditur tropus portae cum altero devorandi tropo, nisi forte igne portas devorari

concipias. — Sed vocem additam habes apud *Vulg. hostium*, apud LXX *principum*, sive quod ita textum clarius exprimendum putaverint, sive quod adiectum in suo Hebr. legerint צָרִים vel שָׂרִים, quod reduplicatione quadam praecedentis שְׁעָרִים facillime potuit oriri. *Cf. Bonfr.* Sed quis oppugnator portarum ? Si *Israelem* dixeris, incides in absurdum : Israeli deos novos eligenti tribuitur de hostibus victoria, et Israel eorum portas oppugnat. Sume *impersonaliter* : erat oppugnatio portarum, et explica cum *Chald.* de *hostibus* oppugnantibus portas Israelis, seu de *Deo* vindice per hostes. LXX ἐπολέμησαν πόλεις ἀρχόντων aut intelligas impersonaliter : quidam sc. hostes oppugnabunt portas principum Israelitarum; aut πόλεις interpreteris nominativum : urbes principum, i. e. Asor et Haroseth, oppugnabunt Israelem ; vel etiam : portae hostium (cf. Matth. 16, 18) oppugnabunt Israelem.

Enuntiavit discrimen vates, in quod Israelitae in poenam idololatriae devenerint : « tum oppugnatio portarum » ; ostendit porro, quomodo iidem vix non inermes tantis malis patuerint ; simul Debborae devotionem commemorat, quae salutem omnium erat effectura, cantico celebranda. « *Clypeus et hasta si apparuerint in quadraginta millibus Israel* ». *Si* ponitur pro *non* (*Menoch.*), uti saepius ; constructio fortasse orta ex formula iuramenti seu imprecationis sui (*Hier.*). Bene *Cai.* : « Tanta raritas armorum describitur, ut, supputato populo Israel et supputatis armis, non inveniebantur tot arma », seu potius tot clypei et hastae, « ut quadraginta millibus hominum responderet unus clypeus et una lancea ». Et cf. 1 Reg. 13, 19 sqq., ubi narrantur Philisthaei Israelitis arma omnia fabrosque ferrarios ademisse, ut hi instrumentis agrestibus pro armis sint usi ; eodem loco res fuisse coniicio tempore Samgar Iud. 3, 31, qui solo vomere instructus dimicavit ; cur igitur non idem a Chananaeis factum esse supponamus, ut ii Hebraeis arma ademerint? Neque inde sequitur (*Ros.*), omnino inermes fuisse Hebraeos ; multoque minus (*Keil*), per *clypeum* et *hastam* arma universa tam defensiva quam offensiva exprimi : supererant Hebraeis arcus, fundae et instrumenta agrestia bellico usui adaptata (*Lap.*) ; insuper Sisara terrore de coelis misso fusus est magis, quam armis Hebraeorum. At, urget *Ros.*, nonne *in ore gladii* 4, 15 percussi sunt Asoritae? Omnino, verum ea figurata expressio nihil edicit aliud, quam percussos esse aliquo armorum genere. — *Sa* aliique, vocem *si apparuerint* prementes, putavere arma fuisse quidem praesto, sed neminem esse ausum illa gestare. — Sed curnam de *quadraginta millibus* sermo inducitur? Exercitus Barac 4, 6 sola decem millia numerabat. Numerum *Chald.* refert ad *hostes*, licet vix dixeris iure; adscribo paraphrasin, quae simul ostendat, quomodo eiusmodi scriptorum calamus numeros variet et mutet. Dicit igitur Sisaram venisse « cum quadraginta millibus principum castrorum, quinquaginta millibus tenentium gladios, sexaginta millibus tenentium hastas, septuaginta millibus tenentium clypeos, octoginta millibus sa-

gittariorum, praeter nongentos currus ferreos » 4, 3; quos omnes bellatores si addas, habebis trecenta millia, quae *Ios.* Sisarae tribuit. Mittenda haec. Arbitratur *Keil*, quadraginta millia eum esse numerum Iudaeorum, qui hominum iudicio necessarius fuisset ad exercitum Sisarae fundendum. Simplicius dicas cum *Ser.*, *Lap.* scribi numerum definitum pro indefinito, sensumque esse pro portione perpauca fuisse penes Hebraeos arma. — v. 9 « *Cor meum diligit principes Israel* ». Probabilior nexus hic est : Cum neque clypeus neque hasta inveniebantur in quadraginta millibus Israel, ego dilexi principes Israel. Dein interposito puncto pergas : *Qui propria voluntate etc.* Quam interpunctionem adhibent LXX *Syr.*, eademque optime quadrat *Vulgatae*; nam qua nunc ea utitur interpunctione, non est S. Hieronymi; secunda autem persona *obtulistis* sponte connectitur cum sequenti *benedicite,* non autem necessario cum praecedenti *principes.* Sic habetur (in Vulg.) parallelismus cum v. 7 : ibi dicebantur cessasse fortes in Israel, donec surgeret Debbora mater in Israel; hic affirmatur, rebus ob idololatriam gentis miserrime prostratis, Debbora tamen maternum principibus gentis, imprimis Baraco, affectum servasse itaque salutis auctor evasisse.

Priorem igitur partem sic construunt LXX : *Si clypeus etc, (tamen) cor meum intentum est iis, quae disposita sunt Israeli* (τὰ διατεταγμένα. *Symm.* τὰ προστάγματα, sed quomodo construxerit, ignoramus). Quaenam autem disposita sunt Israeli ? Appellabat *Theodoret.* Deut. 20, 1 : « Si exieris ad bellum contra hostes tuos, et videris equitatus et currus et maiorem, quam tu habeas, adversarii exercitus multitudinem, non timebis eos : quia Dominus Deus tuus tecum est, qui eduxit te de terra Aegypti ». Dicit igitur Debbora, licet vel inermis valentem hostem obvium habeat, se tamen ei divinae promissioni fisam bono esse animo. Similiter *Procop.* Sed merito advertit *Bonfr.*, secundum LXX legi oportere חֻקְּקֵי pro חוֹקְקֵי ; immo malim cum *Cler.* corrigere חֻקֵּי. — Reliqui omnes חוקקי interpretati sunt de *personis* quibusdam. *Chald. Syr.* intellexere *scribas*, *Theodotion Aq.* et altera lectio LXX τοῖς ἀκριβαζομένοις. Participium hebr. significat *ordinantes* ; apteque *Cassel* suggerit, ita חקק referri ad חק « praeceptum », uti שופט « iudex » ad משפט « iudicium » (cf. Deut. 4, 5). Recte igitur *Vulg. principes* ; ubi conferas מחקק v. 14 et Gen. 49, 10; Deut. 33, 21. — *Hebr. cor meum ad principes Israel*, ubi *Syr.* supplet *dixit*, melius *Vulg. diligit*, optime omnium *Cai. dilexit*, secundum superius dicta. Habere autem eam expressionem sensum *diligendi*, doceris 16, 15 : « Quomodo dicis, quod amas me, cum animus tuus (cor) non sit mecum ? » — Ut a verbis *Qui propria voluntate* novam sententiam ordiamur, prohibet utique accentus *Masor.*, sed favet non repetitum ל. Ergo perperam adstruit *Ros.*, de duobus h. l. hominum ordinibus agi, primum de principibus, dein de reliquo agmine.

Iterata ad canticum invitatio. — v. 9-11

« *Qui propria voluntate obtulistis vos discrimini, benedicite Domino* ». Quae verba repetunt invitationem v. 2, et secundum prioris cantici partis membrum ordiuntur. Ubi sc. Debbora miseram antehac condi-

tionem commemoravit, conspiciens iam universa tam laete mutata, tantoque alacrior canticum exorsura, se aliosque secundo ad illud concinendum cohortatur; tandem verbis « tunc descendit populus Domini ad portas » thema cantici proponit. v. 10 « *Qui ascenditis super nitentes asinos, et sedetis in iudicio, et ambulatis in via, loquimini* », exactius *cantate*; quam vocem perperam LXX *Syr.* ad sequentia trahunt : cantate, ubi collisi sint currus. Ut ea ad v. 10 trahatur, iubet parallelismus cum v. 9 : ibi, qui se obtulerunt discrimini, ad divinas laudes invitantur; hic ii, qui ascendunt super nitentes asinos etc. Punctantes מִדִּין *Vulg. LXX Chald.* locum iudicii interpretati sunt : *iudicium, tribunal.* Quorum consensus praeferendus punctationi *Masor.* מִדִּין, quod vertunt *stragulas* tamquam plur. chald. vocis מַד; easque stragulas *Bertheau* aliique intelligunt asinis superstratas, ut duae tandem hominum classes efferantur, equites et pedites, alii cum *Keil* intelligunt humi stratas. Secundum nos v. 10 opponitur v. 6 sq. Ibi dicebantur viae publicae et urbes apertae fuisse desertae Asoritis imperantibus. Hic mutata describuntur omnia. Liberati a tributo Israelitae ad opulentiam redeunt asinisque insident, quae albi coloris quid admixtum habent ideoque maioris aestimabantur. In urbium introitu offendis seniores sedentes pro iudicio, unde inferes, quae apertae fuerant urbes, eas iam portis saltem esse munitas, iudicia siquidem in portis habebantur. Tandem ubique in viis conspicis viatores. v. 11 « *Ubi collisi sunt currus et hostium suffocatus est exercitus, ibi narrentur iustitiae Domini et clementia in fortes Israel* ». Verte secundum v. 7 : ibi celebrent iustitias Domini, iustitias urbium apertarum Israel; i. e. iis urbibus exhibitas excusso Asoritarum iugo.

Prioris versus partis sensus secundum *Vulg.* planus est : in ipso partae victoriae campo laudes Deo persolvi iubentur. Sed textus difficilis : מִקּוֹל מְחַצְצִים בֵּין מַשְׁאַבִּים. Radix חצץ significat *secare, dividere*; sed *Rabbini* recurrunt ad חץ *sagitta.* Dein מַשְׁאַבִּים est ἅπαξ λεγόμενον a radice, uti videtur, שׁאב *haurire* : ergo locus hauriendi, *Chald. cisternae*, alii *canales*. Vertes igitur : *A voce dividentium* (seu *sagittariorum*) *inter cisternas*. « Bellatores reduces », inquit *Keil*, « apud canales, dum potantur greges, magnalia Dei enarrant » : longissime petitur haec explanatio. Affinem aliquam profert *Le Hir*, מִן sumens comparative : « Voce altiore, quam esse consuevit vox pastorum inter canales, ibi celebrent etc ». Sed gratuito statuitur significatio « pastores », neque sat facile explicatur שָׁם. Textum hebr. esse corruptum, ipsa suggerit versionum discordia. Restitutionem tentabimus. Igitur *Vulg.* et *paraphrastes Chald.* non exprimunt מִקּוֹל *a voce*, quin legisse videntur מָקוֹם *locus*; iidemque pro בֵּין *inter* videntur legisse בֵּית *domus*; ut *locus* et *domus* sibi respondeant, et sequens שָׁם *ibi* ad utrumque referatur. (In textu chald. paraphrasi huius versus, uti alias, prima vox textus hebr. praefixa legitur, sc. מִקּוֹל : sed in ipsa paraphrasi nulla eius ratio habetur). — מְחַצְצִים incertissimae est lectionis. *Vulg.* fortasse legebat מֶרְכָּבוֹת vel הָרֶכֶבִים, locumque *curruum* intellexit,

explicans *ubi collisi sunt currus*. Quid LXX legerint ἀνακρουομένων, *eorum qui repelluntur*, non video. Sed *Chald.* videtur legisse מבצעים *diripientium*; et *Syr.* habet מבצאים *indagantium*, quod facillime potuit ex מבצעים corruptione oriri. Ergo sat probabiliter restituitur textus מקום מבצעים *locus diripientium.* — משאבים cum *Hebr.* legebat LXX ὑδρευομένων; *Symm.* reddidit συμπινόντων *compotantium*, et altera lectio LXX εὐφραινομένων *iubilantium. Aq.* καταλεγόντων. Quam vocem *Vulg.* legerit definire non possumus, circumscripsit autem *hostium suffocatus est exercitus. Chald.* legebat verbum *abscondendi* (מחבאים ?), *Syr.* vertit *doctores*. Hinc duplex se offert versio : locus diripientium, domus abscondentium (furum) seu suffocantium — ibi narrentur iustitiae Domini ; i. e. quae prius rapina atque oppressione desolabatur regio, nunc iam Dei resonet laude. Vel ita : locus rapinae factus est domus tripudii (compotantium, iubilantium), ibi resonet Dei laus. Prior versio in *Vulg.* recidit.

« *Tunc descendit populus Domini ad portas, (et obtinuit principatum)* ». Verba *obtinuit principatum* sola *Vulg.* habet. Ea clausula, advertit *Malv.*, « adiecta videtur a nostro ad exegesim primae ». Est altera versio formae ירדו, a radice רדה petita. — Quae de portis dicuntur, « possunt duplicem sensum recipere. Nam vel de hostium portis potest intelligi, ad quas Israelitae oppugnandas et debellandas parta victoria descenderunt » (ita *Lap.*) ; « vel de urbium Israeliticarum portis ; et hoc rursum dupliciter, vel ut qui antea portis conclusi tenebantur, nec in agros etiam suburbanos hostium metu egredi auderent, nunc portis patentibus securi per eas transirent » (ita *Vatabl., Malv., Sa, Mar.*) ; « vel potius ut Dei populus, qui antea a tyranno impediebatur, quominus ad portas, in quibus iudicia exerceri solebant, veniret iudicum sententias requisiturus et lites compositurus, eo iam libere veniret et iudices nullo metu iudicia sua exercerent » (*Bonfr.*). Notanda etiam *Chald.* paraphrasis : *Tunc descenderunt populi Domini ex arcibus munitis ad habitandum in urbibus apertis*. Nexum cum prioribus ita exprimit *Cai.* : « Declarata securitate viarum ac villarum, declaratur libertas civitatum ex eadem victoria secuta : e regione enim eius, quod dixerat » (v. 8, cf. quae diximus ibi) « oppugnari olim portas civitatum, manifestat redditam libertatem populis Israel eundi ad portas civitatum, in quibus sedebant senes, fiebant iudicia etc ». Sicut sc. v. 10 respiciebat desolationem viarum v. 6, et sicut v. 11[a] de civitatibus apertis uti v. 7 agebat, ita noster v. 11[b] cum v. 8 connectitur. Uti ibi voce אז « oppugnatio portarum » hostilis in poenam admissae idololatriae inducebatur, ita hic eadem voce triumphans ad portas descensus, et quidem עמי יהוה, quod unico mutato puncto vertes *cum Iahve*, eo opitulante et victoriam largiente ; vel retenta punctatione recepta describitur populus descendens tamquam *populus Iahve*, ergo illi reconciliatus salutisque securus. Ita ergo h. l. intelligendus descensus ad portas, uti v. 8 oppugnatio por-

tarum, sive eis verbis reapse pugna circa urbes portasque saeviens, sive generatim hostium incursus exprimatur.

Fateor equidem incisum etiam aliter reddi posse et fortasse debere. Quae si cum v. 13 (sec. Hebr.) compares, invenies inter se verbis esse valde affinia, atque inde sensu etiam cognata esse oportere. « Tum praevaluere reliquiae super illustres, populus Domini praevaluit mihi super fortes ». Iam eo versu יְרַד, si Masor. punctationem observes, non a ירד sed a רד derivatur; quare etiam nostro versu, adhibita punctatione יִרְדוּ, vertendum erit (אָז cum futuro induente perfecti significationem) : *Tum pracvaluit super portas populus Domini* — portas, inquam, easdem uti v. 8, suas sc. quae in inimicorum iam potestate fuissent. Quem sensum illud quoque confirmat, vocem אז non v. 8 et 11 solum adhiberi, sed item v. 13. 19. 22, quoties sc. ad novum deinceps caput redit oratio : nostrum sc. incisum, et etiam v. 13, principem quemdam in carmine locum tenent, eius *thema* enuntiant, quod est celebrare victoriam de Sisara reportatam.

b) SALUS DIVINITUS EFFECTA. — IUD. V. 12-31

Rursum ad cantandum v. 12 vates provocat, dein v. 13 carminis tesseram repetit, eandem sequentibus evoluturus.

v. 12 « *Surge, surge, Debbora; surge, surge et loquere canticum* ». Verbotenus *evigilare*. Uti v. 10 sq. correspondent v. 6 sqq., ita nostra verba correspondent verbis v. 7 « donec surgeret Debbora etc ». « *Surge, Barac, et apprehende captivos tuos, fili Abinoem* ». Verbotenus *captiva captivitatem tuam*; unde triplex se offert sensus. Primus, captiva captivos tuos, inimicos in captivitatem deduc; quem sensum cum *Bonfr.* fortasse licebit etiam sic explicare : « Spolia tua et captivos distribue, et de tam amplis spoliis tibi gratulare ». Fatendum tamen, non idem esse captivare et distribuere. Secundus, captiva captivos tuos, sc. « Israelitas tuos olim captivos, nunc autem liberatos ». Ita *Bossuet* (in Bibl. Veneta). Tertius, captiva captivitatem tuam, sc. « eos, qui captivitate te olim premebant » (*Calm.*). Duo ultimi sensus aptissimi sunt et re coincidunt : quodsi enim captivi ducantur hostes, eo ipso liberantur Israelitae ab hostibus pridem oppressi. Tam certa est Debbora de victoria obtinenda, ut, ad *pugnam* provocatura, invitet ad *epinicion* et ad *captivos apprehendendos*.

v. 13 « *Salvatae sunt reliquiae populi, Dominus in fortibus dimicavit* ». Textus *Vulg.* a reliquis multum dissonat. Probabilius vertendum : tum praevalebunt reliquiae super illustres, populus Domini praevalebit mihi super fortes (*Cai.*). Sensum plus minus etiam Vulg. exprimit.

Primum contra LXX statuamus, vocem מני non ad hunc, sed ad sequentem versum esse trahendam, quod ex illa in eodem versu repetita colligi potest. Vox עם nequit cum *Kethib Vulg. Chald.* ad praecedentia trahi, secus enim לאדירים in statu constr. scribendum esset ; sed est cum *Keri* LXX (cf. *Rossi*) ad secundam versus partem trahenda; etiam *Syr.* coniunxit cum sequenti voce, vertens praepositionem *cum Domino.* Quae duo nomina esse iungenda, omnino suadet parallelismus v. 11. Formam ירד a ירד *descendere* repetunt LXX *Chald. Syr.* ; melius a רדה *praevalere* repetunt *Masor.* et alia lectio LXX. שריד *reliquiae* legunt *Hebr. LXX Symm.* ; שרית *salvatio* (cf. Ier. 15, 11 ; sed sensus vocis non est omnino certus) legunt *Chald. Syr. Aq.* Si priorem lectionem, quae etiam critice praeferenda est, retineas, planissimum, quem supra descripsimus, versus praebet sensum. — Textus *Vulg.* reapse h. l. ceteris videtur fuisse deterior. את, quod omnes exprimunt, ignorat. Commiscet duas variantes שריד et שרית, *salvatae sunt reliquiae.* Ignorat לאדירים et לי, quam alteram vocem dativum commodi interpretabere.

Tribuum laudes. — v. 14-18

Victoriam tandem celebratura vates v. 14-18 eas commemorat tribus, quae vel ad eam contulere (Ephraim, Beniamin, Machir, Zabulon, Issachar, Nephthali), vel a pugna abfuere (Ruben, Galaad, Dan, Aser).

v. 14 « *Ex Ephraim delevit eos in Amalec, et post eum ex Beniamin in populos tuos, o Amalec. De Machir principes descenderunt, et de Zabulon qui exercitum ducerent ad bellandum* ». « Obscura haec si qua alia sententia », exclamat *Bonfr.* Inter veteres, inde a *Chald.*, haec prioris partis obtinuit explanatio, ut duo hic tangantur in Amalecitas suscepta bella, praeteritum unum a Iosue Ephraimita gestum, futurum alterum a Saule Beniaminita gerendum. Verum, « si ab his (auctoribus) quaeras, quorsum ista hic tam abrupte de Amalecitis inserta, nam antecedentia et consequentia omnia alio spectant, et quid haec ad victoriam de Chananaeis et Iabin rege partam : tam muti sunt quam pisces, utpote quibus nihil est, quod respondeant, quae res sufficiens esse debet ad improbandam hanc explicationem ». Ipse verba intelligit de Israelitis fugientes Chananaeos persequentibus : « nusquam a persequendo destiterunt, sive cum perventum esset ad tribum Ephraim, sive cum perventum esset ad tribum Beniamin, semper a tergo iis institerunt, donec tandem ad fines terrae suae et Amalecitas pervenerunt ». Item *Lap.* Cui explanationi illud adversatur, ex natura rei et ex 4, 11. 17 Hebraeos insecutos esse fugientes hostes non meridiem (Ephraim, Beniamin, Amalecitae), sed septentrionem versus. Veterum sententiam nonnihil modificat *Calm.* : « Confert hic Debbora inter se relatam a Baraco victoriam cum superioribus praecedentium heroum, quasi diceret : Insignes quidem imperatores dederunt tribus Ephraim et Beniamin ; grandia facta Iosue et Aodi ubique resonant ; nec latet, quantam sibi nominis

famam subacta Galaaditide comparaverint sati e Machir principes; Zabulon studio scripturae vel, uti fert Vulg., insignibus ducibus editis claruit; sed par est decus tribubus Issachar et Nephthali hoc bello in Chananaeos partum ». Inducit igitur hic auctor oppositionem inter v. 14 et 15.

In exponendo hoc textu illud est attendendum, quatuor v. 14 membra, sive is versus v. 15 anticipet sive eidem opponatur (*Calm.*), unam exprimere ideam. Quare, cum altera pars in laude Manassae et Zabulon versetur, prior quoque pars laudem Ephraim et Beniamin potius, quam Amalecitarum vituperium intendat, oportet. Quibus praemissis iam primum membrum secundum *Masor.* ita sonat : *De Ephraim, radix eorum in Amalec.* Cum Ephraim ex Amalec certissime non ducat *originem*, erit sane *radix* cum *Ros.* de *domicilio* intelligenda. Verum, licet 12, 15 in tribu Ephraim legatur exstitisse « mons Amalec », Amalecitarum tamen fines vix non toti meridiem versus protendebantur. Perexigua igitur laus Ephraimitis inde accreverat, quod in monte illo Amalec radices egissent. Multo convenientius *Vulg.* LXX pro substantivo legebant piel : *Ex Ephraim eradicavit eos in Amalec*, ubi *eos* secundum contextum indubie ad Sisarae Chananaeos refertur, « fortes » illos, de quibus v. 13. Sed quid Amalecitis cum Sisara, et quomodo Chananaei dicuntur esse eradicati *in* Amalec ? Lectionem longe faciliorem exhibent *Theod.* et alia lectio LXX : *Ex Ephraim eradicavit eos in valle*, in valle sc. torrentis Cison, ubi 4, 13 contra Sisaram dimicatum est; facillime quippe עמק corrumpi potuit in עמלק. Cur autem nomini Ephraim praemittitur praepositio *ex* ? S. auctor iam in mente habet constructionem cum מן, altera versus parte continuandam, ideoque incipit *Ex Ephraim* — puta, descenderunt fortes, vel simile quid ; sed scripta prima voce constructionem deserit pergens : (Ephraim) *eradicavit eos in valle.*

Post te Beniamin in populis tuis : ita enim secundi membri pronomina legunt *Hebr. LXX Syr.*, ignorantes exclamationem *o Amalec*, quae vox aut ex priori membro censenda est huc esse delapsa, aut ex עממיך corruptione orta. Illud *te*, *tuis* aut ad Ephraim referes, sed quomodo Beniamin dicatur *in populis* esse Ephraim, non perspicitur ; aut melius ad Debboram vel Barac (*Le Hir*). Affirmatur igitur etiam Beniamin in exercitu fuisse Debborae. « Nullibi legimus », obiicit *Calm.*, « tribus Ephraim et Beniamin expeditionis huius Baraci adversus Chananaeos in partem venisse ». Reponas, h. l. illud legi. Insuper, quomodo eae tribus ab expeditione se eximere poterant, penes quas Debbora sedem fixerat 4, 5 et plurimum poterat ? — Ceterum ex hucusque dictis collige, v. 14 versui 15 non opponi, sed utrumque versum eas celebrare tribus, quae contra Sisaram dimicassent.

Planum est tertium membrum : *De Machir principes descenderunt*, sc. ad pugnam in valle Cison instituendam. Machir, primogenitus Manassae (Gen. 50, 22; Num. 32, 39; Ios. 17, 1 sqq.; 1 Par. 7, 14), pro tota triba prostat. Cum v. 17 pars tribus transiordanica narretur expeditione abstinuisse, erit h. l. cum *Lap.* pars tribus cis flumen intelligenda. — *Et de Zabulon, qui exercitum*

ducerent ad bellandum. Plana *Vulg.*, obscurus *Hebr.* : *et de Zabulon ducentes in virga scribae.* Si perpendas, 4, 6 Zabulon cum Nephthali ad bellum evocari, 5, 18 aeque laudari atque Nephthali, si structuram nostri v. 14 attendas, perspicies h. l. Zabuloni laudem tribui, et quidem laudi Machir affinem. Accedit, מחקק non principem solum, sed etiam virgam seu sceptrum significare : cf. Num. 21, 18 ubi parallele cum משענת; Ps. 107 (108), 9 ubi parallele (cf. Ps. 79, 9) cum מָעוז; Gen. 49, 10 ubi parallele cum nostro שבט adhibetur. Hinc voces מחקק et משכים בשבט h. l. sibi plenissime respondent, et hae alterae apte vertuntur *ducentes (exercitum,* cf. 4, 6 sq.*) cum virgis.* Sed quae istae virgae ? Si nihil adderetur, absque dubio intelligendae essent virgae seu sceptra ducum. Addit autem *Hebr.* vocem ספר. Non posse intelligi scribas, quo sensu inde ab Esdrae temporibus intelligebantur, patet; gratisque tribui Zabulon specialis quaedam scientiae sive sacrae sive profanae laus ex hoc textu affingitur. Scribarum item aulicorum (cf. 2 Reg. 8, 17 etc) institutum iudicibus recentius fuisse putaverim. Ex 4 Reg. 25, 19 tamen (cf. 2 Par. 26, 11) discimus fuisse in exercitu Hebraeorum *scribam* quemdam « principem exercitus, qui probabat tirones de populo terrae »; veri non est absimile, eiusmodi antiquioribus quoque temporibus esse adhibitos et, uti apud Aegyptios et Assyrios moris erat, virga seu sceptro esse insignitos. Eiusmodi h. l., deficiente planiore explicatione, intelligere licebit. Cf. *Bonfr.*, *Keil* et praesertim *Knabenbauer* in Nah. 3, 17.

Versus igitur sensum ita exprimimus : Ephraim, ipse delevit eos (Chananaeos) in valle; post te, o Debbora, Beniamin in exercitu tuo; de Machir principes descenderunt, et de Zabulon duces, qui milites exercent.

v. 15 « *Duces Issachar fuere cum Debbora* », — cum versionibus punctandum שָׂרֵי, loco שָׂרַי, postque illud scribitur ב, uti 2 Reg. 1, 21 הרי בגלבע (*Keil*) — : « *et Barac vestigia sunt secuti, qui quasi in praeceps ac barathrum se discrimini dedit* ». ויששכר כן ברק בעמק שלח ברגליו. *Et Issachar sicut Barac*, quam significationem כן dicendum erit aut ipsum induere, aut ex subintellecto ante primam vocem כ derivare : cf. Ps. 47 (48), 6; Os. 11, 2. *Bertheau, Keil* illud כן ad praecedens עם referunt : « Et duces Issachar sicut Debbora, et sicut Issachar ita etiam Barac ». Quae constructio enuntiat, ut ex sqq. patebit, ipsam etiam Debboram in pugnam ruisse, quod secus scriptura non affirmat. — *In valle cum suis peditibus se praecipitem dedit.* Ita aptissime ברגליו vertunt *Bonfr.*, *Mar.* Insipide *Bertheau, Keil* : « praeceps actus est *per suos pedes* », ita abripiebatur pugnandi ardore, ut pedes sponte quasi moverentur. Nonnihil aptius *Cler.*, *Ros.* : « praecipitem se dedit eum (sc. Baracum) secutus », cf. 4, 10; 8, 5, quod in *Vulg.* recidit. Illud sane in Baraci victoria Hebraeos vel maxime perculit, quod *pedites* superaverint *in valle* Sisarae *currus*. Hinc etiam בעמק primo loco ponitur,

neque tantopere laudantur, quod in *vallem* (ל) praecipites se dederint ex monte, quin potius quod, in vallem delapsi, non substiterint, sed praecipitem in *valle* (ב) cursum continuaverint. — Totam igitur sententiam ita reddes : Duces Issachar fuere cum Debbora, et Issachar Baraco iunctus in valle Cison praecipitem se dedit cum peditibus suis.

Reliqua v. 15 pars cum v. 16 intime cohaeret : « *Diviso contra se Ruben, magnanimorum reperta est contentio* ». v. 16 « *Quare habitas inter duos terminos, ut audias sibilos gregum ? Diviso contra se Ruben, magnanimorum reperta est contentio* ». Laudari Rubenitas putavit *Cai.* ob gregum opulentiam ; verius cum *Ps. Hier.*, *Walafr.*, *Rup.*, *Hugone* eosdem dices ob neglectam belli societatem reprehendi. Commode autem Num. 32 appellat *Cai.*, unde colligitur Rubenitas iam antiquitus gregibus abundasse, eorumque fines iis alendis fuisse aptissimos.

Hebr. in divisionibus Ruben. Divisionis sensus vocis פלגות utique est primarius eique a *Vulg. LXX Syr.* merito tribuitur, dum perperam alii ad sensus derivatos descendunt. Ita cum *Chald.* intelligit *Calm. familias*, quae utique quaedam tribus sunt divisio : sed terminus pro illis designandis scribi solitus est משפחות (*Ros.*), dum פלגה 2 Par. 35, 5 et 1 Esdr. 6, 18 solos sacerdotum vel levitarum ordines exprimit. *Ges.* et post eum *Bertheau, Keil* intellexere *rivos,* qui utique divisiones quaedam sunt aquarum, ut Rubenitae dicantur in regione rivis et canalibus abundante consedisse : at Iob. 20, 17 optime potest significatio *divisiones* retineri, licet re exprimantur rivi, neque eo unico textu cogimur, a significatione vocis primaria recedere. Quodsi, quid divisionibus h. l. intelligatur, exquiras, censent *Lyr.*, *Vatabl.* aliique, ideo dici Rubenitas divisos, quod Iordane interiecto ab aliis tribubus fuerint separati : verum id h. l. efferri tam parum est ex re, atque illud de familiis et rivis. Genuinum sensum indicavit *Vulg.* addita voce *contra se* : agitur sc. de animorum et consiliorum inter Rubenitas divisione, quod ex sqq. patebit.

Pergit *Hebr. : Magna sunt consilia* (cf. Is. 10, 1) *cordis.* Ubi advertit *Ges.*, חקקי v. 15 alludere ad חקרי v. 16, in sententia ceteroquin ad verbum cum v. 15 consonante ; nisi mavis defendere, lectionem primitus utrobique fuisse eandem, cum *Vulg. Syr.* nullum omnino discrimen lectionis exprimant. Sed eo certius חקקי alludit ad מחקקים v. 14, ut in Machir dicantur fuisse מחקקים *duces*, in Ruben sola חקקי *consilia.* Unde refutatur *Lap.* expositio : « Cum Rubenitae inter se disceptant, an bello Barac socios se iungere velint, an vero domi se continere, ac proinde nullas Baraco suppetias mittunt, magnanimi illi milites, qui se Baraco ad discrimen socios obtulerunt, id videntes mirati sunt ac inter se disceptarunt dixeruntque : Cur Rubenitae domi se continent ? » Vertebat hic auctor : Magnanimi (habent) consilia cordis ; *germ.* « sie denken sich das ihrige ». Quae sententia est omnino flaccida. Melius cum *Bertheau* : Dum Rubenitae in varias sententias abeunt, magna quidem consilia in medium proferunt, sed praeter consilia nihil agunt, nullam fratribus opem ferunt. Artificiosa est ironia, qua vituperantur Rubenitae verbis magnum quid atque vix non laudem sonantibus. — *Vulg.* pro חקקי לב mendose legebat חק קרב.

Quam vocem *Vulg. duos terminos* et *Chald. terminos* reddit (item uterque Gen. 49, 14), eandem *Vulg.* LXX Ps. 67 (68), 14 (LXX etiam Gen. 49, 14) vertunt *sortes,* κλήρων ; idemque facit *Aq.* h. l., *Symm.* μεταιχμίων, quae lectio alteri μετεχομένον

videtur praeferenda, *regionem conterminam* significat, ergo *terminos*. Unde variae hae versiones petantur, edocemur altera quadam lectione LXX χειλέων, *labiorum*, et a *Procop.* textum ita explicante : « Quid tandem optimum a Deo ducem nacti inter Chananaeos et *lingua* et gente alienos considetis ? » Derivabant sc. illi משפתים a שׂפה *labium* : termini quippe variarum regionum vel agrorum sunt veluti labia, et sortes a sortibus distinguunt. Sed *Vatabl.* et recentiores communius משפתים a שׁפת *recumbere* repetunt, ut sit locus, ubi greges recumbere soleant, i. e. *caulae*. Ita vertendum non solum h. l., sed etiam Gen. 49, 14 et Ps. 67, 14, quibus locis summa describitur hominis felicitas inter caulas recumbentis. Confirmaturque h. l. ea versio ex immediate sqq. *ut audias sibilos gregum*, « ut mavis greges tuos pascere eorumque balatus et pastorum sibilos audire, quam buccinae meae sonitum ; mavis quietem praedii, quam laborem et discrimen proelii » (*Lap.*). *Ut* intellige non finale, sed explicativum : occupatus audiendo. — Pro עדרים *greges* mendose legebat *Syr.* ערדים *onagros*. — Ceterum *sibilos* intellige non balatus, qui sibili neque sunt neque vocantur unquam, sed melodias a pastoribus tibiis elicitas ; ubi cum שריקות, LXX συρισμοῦ cf. derivatum σύριγξ, quod pastorum tibiam designat.

Ultimum tandem v. 16 membrum idem est cum ultimo v. 15 : nam חקרי ut חקקי *consilia* designat.

v. 17 « *Galaad trans Iordanem quiescebat, et Dan vacabat navibus, Aser habitabat in litore maris et in portubus morabatur* ». « Taxantur Galaaditae, Danitae et Aseritae, quod sua privata commoda sectantes in terra sua desidere maluerint » (*Lap.*), maxime quod ii longe propiores essent loco pugnae Rubenitis. Nota tamen ironiam : Rubenitae magnanima saltem consilia protulerant, alii ne haec quidem, sed incurii quieverant. *Hebr.* nervosius : *Et Dan quare in navibus degebat* ? Sine dubio Danitae in Ioppe, portu frequentatissimo, mercaturam exercebant. Non tamen, quod praecedentia et sequentia interrogatione exprimantur, licet etiam cum *Vatabl.*, quae de Galaad dicuntur, construere interrogatione : « Galaad quievitne citra Iordanem ? Non. Si, inquit, ille qui habitabat ultra Iordanem venit in auxilium, cur Dan prae metu opes suas transtulit ultra Iordanem ? » Certe Danitae opes non ultra Iordanem contulerunt, sed ad summum navibus commiserunt, vel potius, hoc enim textus habet, securi mercaturae et navigationi vacarunt. « Tribus *Aser* loci situ opportunissima erat ad opem ceteris tribubus conferendam, quippe quae regionem possideret Nephthali et Zabuloni coniunctam » (*Calm.*).

מפרציו est ἅπαξ λεγόμενον, secundum radicem *fissurae* (*Syr.*), ergo recte *Vulg. portubus*, nam portus veluti fissurae sunt litoris ; LXX διεξόδοις. Suffixum ad Aser potius quam ad pluralem ימים refertur : Aser maluit in *suis* portibus lucrum facere, quam in agro Issachar dimicare.

Vituperatis illis tribubus, quae opem Baraco non tulerunt, redit auctor ad earum tribuum laudem, quae plurimum ad victoriam contulerant,

Nephthali ex qua oriundus erat Barac, et Zabulon iam v. 14 celebrata. v. 18 « *Zabulon vero et Nephthali obtulerunt animas suas morti in regione Merome* ». *Hebr. Zabulon, populus parvipendens animam suam in mortem, et Nephthali super altitudines campi* ». Item reliqui. Vel ipse *Amama,* Vulg. infensior : « Bene », inquit, « coniunxit Vulgatus Zabulon et Nephthali ; idem enim de utraque tribu praedicatur ». Perperam autem idem auctor carpit Vulg., quod non satis expresserit vocem חרף, quae non *offerre* solum sed, ut iam *Cai.* monebat, *contemnere* seu *dehonestare* significet. Quae significatio, utvis voci competat, in nostra, uti in similibus expressionibus (cf. 9, 17 ; Is. 53, 12), non est ita premenda, ut affirmetur, tribus illas se ipsas non morti solum, sed etiam opprobrio obtulisse in pugna : nullum eos manebat opprobrium, qui lubentes prophetissae se iunxissent.

Lectio *in regione Merome* transpositione eo facilius ex על מרומי שדה potuit oriri, quod Ios. 11, 5 alter quidam Iabin, rex Asor, reapse « ad aquas Merom » fuerit devictus. Falsam esse lectionem, ostendit forma stat. constr. *Merome* retenta. Quae vero intelliguntur illae *altitudines campi* ? Locum pugnae interpretatur *Hugo* : verum is non fuit altitudo, sed vallis torrentis Cison. *Procop.* statuit, « Nephthali sua parte deserta in excelsa regionis confugisse », ibique tandem animum ad resistendum hausisse ; quod quidem demonstrari nequit. Optime *Cai.*, *Bonfr. altitudines campi* intelligunt planitiem in summo Thabor, ubi Zabulon et Nephthali aciem instruxere suasque vitas certamini obiecere.

Si tribus v. 14-18 enumeratas recenseas, invenies pugnae maximam laudem Zabuloni et Nephthali obtigisse ; Ephraim, Beniamin, Issachar et Manassaeos cisiordanicos etiam aliquam pugnantibus opem tulisse ; a Ruben, Dan, Aser et Manassaeis transiordanicis opem quidem non fuisse praestitam, at vero *exspectatam* ; a Iuda et Simeone *ne exspectatam quidem.* Harum tribuum nulla habetur mentio. Merito infert *Bertheau,* distinctionem inter *Iudam et Israelem* de facto iam Debborae aevo exstitisse. Eius aliqua ratio utique in eo cum *Keil* cerni potest, quod illae duae tribus cum Philisthaeis pugnis distinerentur. Cf. etiam *Ew.* II. 452.

Pugnae descriptio. — v. 19-21

Recensitis tribubus, quae aut pugnae interfuerint, aut ab ea abstinuerint, iam ipsam pugnam describit vates. Narratio *hebr.* absque copulis procedit, impetum hostium veluti depingens. v. 19 « *Venerunt reges* » Iabino foederati (*Rup.*), quales priori illi Iabino Ios. 11 se iunxerant, « *et pugnaverunt* », — sequens incisum *Hebr.* voce אז orditur ; cf. quae diximus ad v. 11 — « *pugnaverunt reges Chanaan in Thanach* » (cf. 1, 27), « *iuxta aquas Mageddo, et tamen nihil tulere praedantes* ». Aquae Mageddo sunt ipse Cison (*Rup.*). *Hebr. praedam argenti non*

tulerunt : quae verba *Calm.* perperam exponit de Israelitis nullum ab hostibus prostratis redemptionis pretium admittentibus. Exponenda sunt de Chananaeis. Ubi *Rabbi Tanchum* vocem בצע, cui significatio *praeda* certo competit, secundum radicis sensum primarium iubet verti *frustum* : Ne frustum quidem argenti tulerunt. Quod argentum *Procop.* refert ad *tributa*, quae illi collecturi advenerint ; *Bertheau* ad *praedam*, quam illi ab Israelitis se acturos speraverint. At quaenam praeda ab incolis montium longa oppressione in desperationem actis exspectari potest ? Melius sumas absolute : Pugnaverunt, nullo tamen successu, lucro, praeda.

v. 20 « *De coelo dimicatum est contra eos* ». Ita *Vulg. Chald.* verbum accipiunt impersonaliter. « *Stellae, manentes in (ordine et) cursu suo, adversus Sisaram pugnaverunt* ». *Hebr. Stellae de orbitis suis pugnaverunt etc*, i. e. « abque mutatione cursus sui » (*Cai.*), non « descendentes de orbitis suis » (*Bertheau*). Apte haec *Tir.* cum v. 14-18 coniungit : « Licet deessent haec humana subsidia, non defuerunt coelestia » ; coelum ipsum pro Hebraeis dimicavit. Quomodo stellae pugnaverunt ? Simplicissimam solutionem indicat *Cassel* : Barac *noctu* adortus est castra inimicorum, quod fecit Gedeon 7, 19 et Saul 1 Reg. 11, 11 aliique, *stellae* suo lumine Hebraeos adiuvere, dum incerta earumdem lux ad perturbationem Chananaeorum somno oppressorum non parum addidit : propter quem effectum in dictione poetica bene possunt stellae dici de orbitis suis pro Hebraeis pugnasse, idque tanto facilius, quod in omnium memoria esset factum Ios. 10, 12, quo sol et luna neglectis orbitis ad victoriam Israelis contulerant. Haec sententia confirmatur ex difficultatibus, quibus reliquae sententiae omnes laborant, et exinde, quod v. 21 etiam torrens Cison auxiliariis Hebraeorum accenseatur ob id solum, quod cadavera caesorum hostium hauserit.

Hugo igitur stellas interpretatur ipsum *Deum*. Item *Rhab.* : « De coelo dimicatum est contra eos, quia divino nutu hoc bellum dispositum est et coelesti virtute hostes sunt universi prostrati ». Quae expositio, nisi in superius traditam refundatur, dura est : licet enim Deus nomine *coeli* exprimi queat, at num etiam *stellarum*, et quidem in *orbitis* manentium ? Durum item est, cum *Ps. Hier.*, *Lyr.* aliisque stellas interpretari *angelos* : quid tandem angelis cum orbitis ? Ergo stellae intelligendae erunt veri nominis *stellae* coelestibus orbitis conclusae. Ubi rursum quaeritur, quomodo stellae pugnaverint ? Satis communis est sententia, id vehementi quadam *tempestate* factum esse, crepitantibus imbribus, grandinibus atque lapidibus : *Ios.*, *Procop.*, *Ps. Hier.*, *Rup.*, *Cai.*, *Ser.* etc. Verum tempestatem stellis adscribi, durum est, cum tempore tempestatis stellae nubibus contegantur, eaeque neque re neque specie ut causae tempestatis concipi queant. Et quid tempestati cum orbitis stellarum ? *Abul.* de

cometis seu meteoribus cogitavit. — Nos igitur sententiam supra statutam defendimus, quae nihil adstruit praeter nocturnam stellarum lucem, quae providente Deo Hebraeos adiuverit, hostes perturbaverit. Pulchra imago stellarum, quasi ex acie atque ex editiore loco pro Hebraeis pugnantium (*Ser.*); tantoque evidentior in his Dei providentia, quod hominum memoriae alte inhaereret factum solis et lunae, neglectis orbitis, Israelem quondam adiuvantium.

v. 21 « *Torrens Cison traxit cadavera eorum* », *Hebr. devolvit eos.* Torrens iste tempore quidem aestivo fere exsiccatur, alias autem plurimis turget aquis; etiam post proelium 16. April. 1799 a Gallis ibidem commissum plurima Turcarum cadavera abripuit. « *Torrens Cadumim, torrens Cison* ». קדומים nomen proprium interpretatur *Vulg.*, quod alii volunt esse aliud a Cisone flumen, ubi sc. ipsa Debbora dimicaverit, Baraco ad Cisonem pugnante, alii cum Cisone idem. Languide profecto in carmine tam poetico recensentur illa diversa unius fluminis nomina; si autem *torrens Cadumim* a torrente Cison diversus, cur tandem secunda vice adiiciuntur verba *torrens Cison*? — *Chald.* LXX verterunt *torrens antiquitatum* seu *antiquus*. Cur vero is torrens dicatur antiquus? Quia in eo, ait *Chald.*, facta sint signa et fortitudines Israeli ab antiquis. Merito tamen reponit *Bonfr.*, de iis Israelitarum ad Cisonem ante Debboram victoriis silere scripturam. Quia apud Cisonem, instat *Fürst*, antiquitus inter se dimicavere gentes, puta Aegyptii, Chananaei. Sed gentium bella, quibus cum populo Dei nihil sit commune, non consuevit scriptura canticis celebrare. *Vatabl.* dicit torrentem antiquum appellari, quod is fuerit « ad hoc a Deo ordinatus ab initio, ut in eo perirent Chananaei »; quo sensu nullus torrens est antiquior ceteris, nam in singulis aliquis periit. — Alii ad radicis significationem *praeveniendi*, *occurrendi* convertuntur; hinc *Rabbi Ionas* (ap. Ros.) Cisonem explicat « torrentem inimice occurrentem Chananaeis », *Cassel* « torrentem amice occurrentem Hebraeis ». Ubi certe praeferenda esset *Bonfr.* expositio « torrens praeventorum, occupatorum et ex insperato aquis obrutorum ». — Ad veram solutionem propius accessit *Ser.* *torrens orientalis*, eamque erues ex *Aq.* *καυσώνων*. Siquidem *καύσων* dicit *aestum* (Iob. 27, 21; Ier. 18, 17; Ez. 17, 10 etc), et a Vulg. recte vertitur *ventus urens*, ventus ab oriente i. e. a deserto arabico flans, alibi *scirocco* appellatus. Ergo secundum Aq. idem est קדום quod קדים, aut fortasse קדימים primitus legebatur vel potius קדמים, scriptione non plena. Pluralis ventum urentem *validissimum* designare videtur. Nota, Cisonem inter Thaborem et Thanach fluere ab oriente occidentem versus, Israelitas igitur eum ventum habuisse a tergo flantem, Chananaeos obtutum arena et pulvere praepedientem. Nota praeterea, cum ventum flare

coelo sereno, ergo per arenarum turbines visas esse stellas, quasi bellatorum aciem, in suis ordinibus immotas persistentes. « *Conculca anima mea robustos* ». Verba sunt vatis se ipsam ad conculcandos prostratos hostes invitantis. LXX *Conculcabit anima mea robusta ipsum*; quod *Ser.*, *Lap.* intelligunt de aquis torrentis a Debbora novo miraculo siccis pedibus calcando; sed hoc non habet textus.

Acta post pugnam. — v. 22-30

Descripta pugna iam ea, quae pugnam consecuta sunt, commemorantur. Et v. 22 quidem fugam describit. v. 22 « *Ungulae equorum ceciderunt, fugientibus impetu et per praeceps ruentibus fortissimis hostium* ». *Hebr. Tum percusserunt (terram) ungulae equorum, ab impetu, impetu fortium.* Praeceps fuga describitur.

הלם utique significat *percutere,* sed ad hanc significationem versiones minime revocari possunt. *Vulg. ceciderunt* a cadendi verbo repeti potest, et consonat *Syr.* : dubitaverim tamen, in ea fuga tot equorum ungulas decidisse, licet in quibusdam id sine dubio obtinuerit. Aliqua lectio LXX habet *subnervatae sunt*, *Theod. praecisae sunt*; et ad eum sensum revocari possunt *Chald. solutae sunt, LXX impeditae sunt* et *Vulg. ceciderunt* (a verbo caedendi). Hebraeos pedites equos curruum subnervasse (cf. 2 Reg. 8, 4), minime dubium est eaque potuit ratio fuisse Sisarae e curru desiliendi ad tutius fugiendum. Quid autem primitus lectum sit, definire non valemus. — Radix דהר, praeter nostrum textum, nonnisi Nah. 3, 2 recurrit.

Fugitivos insecuti Hebraei in varias distracti sunt partes. Quorum alii ad urbem vel pagum Meroz delapsi, ab eius incolis haud fuere adiuti; alii cum Baraco fugientem Sisaram venati, a Iahele confectum offendere. v. 23 « *Maledicite terrae Meroz, dixit angelus Domini; maledicite habitatoribus eius, quia non venerunt ad auxilium Domini, in adjutorium fortissimorum eius* ». Meroz aut pagus erat aut urbs, cum de eius agatur *habitatoribus* : aliud novimus nihil. Evidens autem est inter v. 23 et 24 oppositio, cum ille Meroz maledicat, hic Iahel benedicat : unde licebit inferre, incolas Meroz non solum potuisse Israelitis opem ferre, sed quadamtenus debuisse, quod vel Hebraei essent vel Hebraeis foederati. Quod ipsi foedus praestare detrectarunt, id Iahel, licet Chananaeis foedere iuncta, sponte praestitit. Detrectaverunt autem venire *ad auxilium Domini, ad auxilium Dei in fortibus* (*Hebr.*). Auxilium Domini intellige active, sc. salutem, quam Dominus per Debboram in Israele operabatur. Quod erat auxilium *in fortibus*, non *inter* fortes (*Bertheau*), quasi Deus inter ipsos Israelis fortes eisdemque immixtus pugnaverit; non *contra* fortes (*Chald.*); sed *per* fortes (*Malv.*), Deo fortibus Israelis tamquam salutis instrumentis utente. Coniicit *Bertheau* ex

oppositione ad v. 24, incolarum Meroz scelus illud fuisse, quod devictos Chananaeos in urbem receperint atque tuiti sint. Cum autem dicantur *non venisse* verius suppones aliquo actu abstinuisse, qui ab Hebraeis victoribus exspectaretur et postularetur, v. g. se non iunxisse persequentibus vel annonam illis denegasse, ubi apte suggerit *Ew.* II. 532 egisse idem fere, quod Iud. 8, 4-17 contra Gedeonem non impune alii commisisse narrantur. Ad quaestionem, quem effectum illa maledictio habuerit, respondet *Ser.* : « Nullus quidem memoriae proditus est; sed ex eo ipso aliquis colligi datur effectus, quod nimirum eorum memoria penitus abolita sit ». Suggerit *Cassel*, urbem, uti quondam Ierichuntem Ios. 6, esse destructam atque devotam.

Quis erat ille *angelus Domini*? Varios varii suggessere. Pro Barac vel pontifice nulla omnino ratio militat. Contra Debboram facit, quod כמלאך careat articulo (*Cai.*). *Sa, Mar., Malv., Tir.* eum censent fuisse angelum, per quem Debbora divinas inspirationes accipere consueverit; alii angelum aut illum aut alium (*Cai., Abul., Ser., Bonfr., Lap., Menoch.*). Secundum ea, quae ad 2, 1 scripsimus, censemus esse prophetam aliquem (*Hugo*).

v. 24 « *Benedicta inter mulieres Iahel, uxor Haber Cinaei* », — melius *prae mulieribus* (*Vatabl.*, cf. Luc. 1, 28); « Iahel enim fuit typus B. Virginis » (*Lap.*) — « *et benedicatur in tabernaculo suo* », *Hebr. prae mulieribus, in tabernaculo benedicatur.* Iungebat *Syr. prae mulieribus, quae in tabernaculo sunt*; unde *Bertheau* dicit, Iahelem laudari solum in comparatione mulierum in tentoriis degentium, laudem restringi ad mulieres eiusdem conditionis : sed talis restrictio a mente nostri cantici abest. Planius *Bonfr.* : « Benedicere ipsam sive sancta illi omnia apprecari Israelitae iubentur in tabernaculo, ut videlicet omnia illi fausta et felicia domi voveant, nihil sit quod domum, quod familiam interturbet, quandoquidem ipsa domi et in tabernaculo suo tam viriliter se gesserit ». In tabernaculo occidit Sisaram, in tabernaculo bonis omnibus fruitura.
v. 25 « *Aquam petenti lac dedit, et in phiala principum obtulit butyrum* », vel verius lac coagulatum, quod etiam Deut. 32, 14; Is. 7, 15 in parallelismo cum lacte חלב scribitur. ספל, solum h. l. et 6, 38, « vas patens et satis amplum » (*Bochart.* Hieroz. I. 548 sq.), pelvis seu conchae instar. Cur *principum*? Intellige vel phialam principem, i. e. praecipuam et honestissimam, phialam capacissimam, vel rectius utrumque sensum coniunge : principibus quippe et lectissimae simul et copiosissimae portiones cedebant, cf. 1 Reg. 9, 24. Iahel potum profert in vase honestiore, fortasse ut animi liberalis et obsequiosi professione Sisaram securum reddat et decipiat, vel etiam quia illis in adiunctis vix aliud agere poterat. v. 26 « *Sinistram manum misit ad clavum, et dexteram*

ad fabrorum malleos », malleum, הַלְמוּת enim est singularis. Dicitur autem malleus *operose operantium* (*Hebr.*), i. e. malleus mole et pondere insignis (*Keil*). « *Percussitque Sisaram, quaerens in capite vulneri locum, et tempus valide perforans* ». *Hebr. Et tudit (malleo) Sisaram, et confregit caput eius, et confregit et perforavit tempus eius.* Nota assonantiam inter מחק et מחץ. v. 27 « *Inter pedes eius ruit, defecit et mortuus est* ». *Hebr. contortus est, cecidit* — i. e. ab agitandis cruribus et trunco destitit — *et iacuit* quietus, morte utique oppressus. « *Volvebatur ante pedes eius, et iacebat exanimis et miserabilis* ». Liberius vertit *Vulg.; Hebr. Inter pedes eius volvebatur, cecidit; ubi volvebatur, ibi cecidit oppressus.* Contorquebat se sub muliere vir, oppressor gentis electae; deflorabatur a muliere invicti ducis fama; brevi membrorum contorsione facinus constitit, neque consurgendi concessus est locus. Quam de viro per mulierem reportatam victoriam celebrat mulier prophetissa, ut eam 4, 9 eadem praedixerat futuram.

Tribus tandem versibus celebrat Debbora eum, quem Iahelis facinus in Asoritas habuit effectum, non tamen in viros sed in *mulieres,* neque nuntiatae cladis et caedis effectum, qui utique in solitos ululatus desiisset, sed effectum *dilati reditus.* Fuerat, uti videtur, eo usque Sisarae idem et venire et vicisse; maturus e certaminibus reditus atque gloriosus. Nunc mutatae sortes. Ubi *mater,* malorum filii augur multisque annis inconstantiam rerum humanarum edocta, anxietate premitur; *uxores,* de cultu muliebri sollicitae neque mali quidquam praesagientes, praedam copiosiorem exspectant. Clade ne verbo quidem Asoritis nuntiata, tonitrus instar insonat v. 31, *interitum* ruinae Sisarae similem inimicis Domini universis imprecans. De hac cantici parte scribebat *R. Lowth* (De s. poesi Hebraeorum, Praelect. 13, Oxon. 1753), esse « exemplum, quo nullum unquam inveniri potest perfectius. In sententiarum poetica conformatione mira concinnitas; in dictione magna vis, nitor, accuratio; in repetitionibus summa elegantia; in ipsa repetitionum redundantia summa brevitas; postremo spei muliebris gravissima frustratio per subitam atque insperatam illam apostrophen : Sic pereant etc ». v. 28 « *Per fenestram respiciens ululabat mater eius, et de coenaculo* » — de cancellis, ita LXX *Chald. Theod.*, et ad Prov. 7, 6 etiam *Vulg.* : « fenestrae enim in Oriente, quae praesertim in aedibus sunt feminarum, cancellis undique clauduntur » (*Calm.*) — « *loquebatur : Cur moratur* », *Hebr. morando ruborem excitat,* « *regredi currus eius? quare tardaverunt pedes* », *Hebr. passus,* « *quadrigarum illius* »? *Currum* non inepte *Boettcher* l. c. interpretatur collective, ergo *currus,* ob parallelismum cum *quadrigis*; redux exspectatur Sisara cum universo apparatu bellico. v. 29 « *Una sapientior (ceteris) uxoribus*

eius, (haec socrui verba) respondit ». *Vulg. Syr.* priorem tantum versus partem legebant; *Vulg.*, uti alias in hoc Cantico, nonnihil liberius vertebat, additis secundum sensum vocibus *ceteris* et *haec socrui verba.*

Hebr. LXX Chald. pluralem legunt חכמות, *Vulg. Syr.* singularem חכמת : utraque lectio in unam recidit, si advertas primitus scriptionem defectivam esse adhibitam; verbum quoque vel ut plurale vel ut singulare punctari debet. Vertes igitur vel *Sapientes dominarum eius responderunt ei,* vel *Sapiens dominarum eius respondit ei*, quod *Vulg.* explicat *Una sapientior ceteris uxoribus eius etc.* — שרה *dominam* significat. Non posse h. l. intelligi veri nominis *dominas,* quae aut Sisarae aut eius matri imperaverint, per se patet. *Syr.* intelligebat matris *pedissequas* (cf. *gall.* « dames »), sed eae apud Hebraeos non dominarum sed servarum locum obtinebant. De *uxoribus* intelligitur 3 Reg. 11, 3 et Is. 49, 23, et quidem de uxoribus regiis seu nobilibus, qui sensus h. l. unice quadrare videtur. Obiiciunt suffixum, quod ad matrem, non ad Sisaram referatur : at de uxoribus matris qui sermo esse possit? Respondeo uxorem, si *uxoris* vocabulo exprimatur, utique ad solum maritum pronomine possessivo posse referri; si vero *dominae* vocabulo exprimatur, non esse cur eodem pronomine non etiam ad mariti matrem vel alios referri possit. — Venio iam ad alteram versus partem : *etiam ipsa reverti fecit verba sua sibi,* vel *verba eius ei,* vel *verba sua ei,* omnibus quippe hisce modis suffixum et pronomen illud femininum verti potest. *Reverti facere verba* idem est quod *respondere.* Hinc aliqui, אף interpretati sensu adversativo, vertunt : « Sed ipsa suis verbis (v. 28 dictis) ipsa respondet, se ipsam corrigit », non exspectat, ut ab uxore corrigatur (*Cassel*); vel : « Sed ipsa verba prius dicta repetit » (*Keil*, *Bertheau,*) in illis persistit. Quae interpretatio de se contextui satisfaceret; obest tamen, neque pro אף significationem adversativam, neque pro השיב sensum *repetendi* sufficienter demonstrari posse. אף est *etiam, immo.* Hinc *Vatabl.* : « quin etiam ipsa respondebat sibimetipsi i. e. solabatur sese »; vel, quod in idem recidit : respondebat *illi* iisdem v. 30 verbis. Qui sensus erit praeferendus. — Lectio *Vulg. Syr.* incisum omittentium, et lectio *Hebr. LXX Chald.* illud exhibentium critice sunt aequae probabilitatis; immo haec altera inde fortasse critice probabilior, quod rationem, qua incisum in textum irrepserit, explicare non valeamus. Exegetice lectio *Vulg. Syr.* utique commodior : in parte cantici prae ceteris sublimi atque concinna ab introducendo languido aliquo inciso abstinet.

v. 30 « *Forsitan nunc dividit spolia et pulcherrima feminarum eligitur ei* ». « Perspicua in textu nostro sententia, quae in Hebr. et versione LXX valde obscura est; sed Hier. perspicuitati studens sententiae sensum, non verba expressit » (*Bonfr.*).

Hebr. Nonne invenerunt, diviserunt praedam? הלא ימצאו יחלקו שלל. Consonat *Chald.*, vixque dissonat LXX. Sed *Syr.* videtur legisse הלא הלוך יחלק שלל, et *Vulg.* הלא חלוק יחלק שלל, quae lectio minime est spernenda. — *Hebr. uterus, duo uteri in caput viri.* Per *uterum* intelligi *feminam* iam perspexit *Hier.*, qui illud utique interpretatus est « synecdochice et poetice » (*Malv.*), dum illud intelligere praestabit « modo contemptibili » (*Munst.*). Hier. igitur intellexit *uterum uterorum,* quo sensu intelligitur « canticum canticorum », i. e. *pulcherrima feminarum* (*Bonfr.*), cui

tamen expositioni illud obest, legi non pluralem sed dualem. Felicius igitur *Vatabl.*, *Ser.*, *Bonfr.* vertunt « puella una, (vel) duae puellae ». Rursum illud *in caput viri Hier.* ad Sisaram retulit : *eligitur ei.* Sed deest articulus. Felicius *Chald. uni et uni*, i. e. singulis. Verte igitur : *Puella una aut duae singulis viris*, sc. tribuuntur in praedam. — *Calm.* pro רחם רחמתים corrigit רקם רקמתים : quae voces quod sequenti inciso legantur, sane non est sufficiens ratio correctionis.

« *Vestes diversorum colorum Sisarae traduntur in praedam, et supellex varia ad ornanda colla congeritur* ».

Quomodo versus incisa separentur, praemittimus :
Puella una aut duae singulis viris praeda;
Vestis diversorum colorum Sisarae praeda;
Vestis diversorum colorum variegata una, vel vestes diversorum colorum variegatae duae collo meo praeda.

Ubi nota ter (immo quater) in extremis incisis repetitum שלל *praeda*, quo illico confoditur *Bertheau* correctio loco ultimi שלל legentis שֵׁגַל, *collo uxoris*. Durum utique est לְצַוְּארֵי שָׁלָל, *collo praedae* : sed factis emendatio לְצַוָּארִי שָׁלָל, quam commendat cum quatuor שלל symmetria, tum parallelismus nostrae expressionis cum לראש גבר et לסיסרא : parallelismo quippe et symmetria hic versus insignis est. Uxor haec verba proloquens, postquam praedae meminit primum singulis viris, dein soli Sisarae tribuendae, tandem meminit etiam praedae, quam ipsa pro se exspectat, *pro collo suo* : mulieris sane manus hoc supremum suffixum cantico inseruit. — Expressionibus simplicibus רחם et רחמתים (*una puella, duae puellae*) respondent expressiones complexae צבעים רקמה et צבע רקמתים. Cum pro צבע sola demonstretur *tingendi* significatio, ergo eius vocis pluralis צבעים apte designat *unam vestem diversorum colorum*, unde apte etiam explicationis gratia adscribitur singularis רקמה *vestis variegata*, totaque expressio complexa vertitur *vestis diversicolor variegata una*. Quam expressionem auctor illico duali numero scripturus, solum alterum termini complexi membrum terminatione dualis distinxit, altero numero singulari descripto : צבע רקמתים; idque rursum genio linguae hebr. adamussim respondet.

Cantici conclusio. — v. 31.

v. 31 « *Sic pereant omnes inimici tui, Domine ; qui autem diligunt te, sicut sol in ortu suo splendet, ita rutilent* ». Reliqui *sicut ortus solis in robore suo.* Igitur *robur* interpretatur *Vulg. splendorem* : robur luminaris utique splendore constat. E contra *Mar. egressum solis in robore suo* intelligit meridiem ; *Calm.* solem matutinum diebus canicularibus. Verum intelligi solem matutinum generatim, infero ex vaticinio messianico 2 Reg. 23, 4, ubi eadem omnino imago recurrit. « Ut sol sereno mane exoriens radios suos potenter in omnem partem vibrat, et nemo ei resistere potest, aut ipsius radiis tenebras offundere, ita populus in omnem partem felicitatem suam et lucem proferat, nemine ei potente vel audente resistere » (*Bonfr.*). Imprecationem nostri ver-

sus repetit Ps. 82 (83), 10: « Fac illis sicut Madian et Sisarae, sicut Iabin in torrente Cison ». Iustis autem *Chald.* paraphrastes gloriam apprecatur « pro uno sicut trecenta quadraginta tria », i. e. sicut 7×7×7. — v. 32 « *Quievitque terra per quadraginta annos* ».

Pulchre v. 31 primam Actorum Iudicum aetatem concludit, quam descripturus Samuel iterato inculcaverat, non permanenti oeconomia, sed experimenti tantummodo de Israelitis sumendi gratia passum esse Deum gentiles quosdam intra terrae sanctae fines perseverare. En tibi insignem plane victoriam Dei ope reportatam, interitum inimicorum, fidelium triumphum illustri exemplo praemonstratum.

Eam, si lubet, inscripseris Acta domus Gedeonis. Etenim quae inde a cap. 9 adiiciuntur, eius domus fata complent : Abimelech Gedeonis filius, uti etiam Thola et Iair, in ea regione primatum gessere, cui praefuerat Gedeon. Initio actorum Gedeonis contexitur secundum oraculum 6, 7-10, correspondens primo 2, 1-5 et tertio 10, 10-16.

Gedeon. — Iud. 6-8

31. Narrationis synopsis.

Madianitis cum sociis terram s. quotannis vastantibus Israelitisque divinam opem implorantibus, angelus Gedeoni significat eius manu populum fore liberandum. Eadem nocte Gedeon superno monitu altari Baalis destructo altare aedificat Deo, nomen inde nactus Ierobaal. Madianitis appropinquantibus exercitum congregat atque ad suorum, uti videtur, erigendos animos duplex in vellere signum impetrat. Inde alacri animo cum suis progressus primum virorum viginti duo millia, dein plura alia millia domum dimittere a Deo monetur et cum trecentis inermibus hostes adoriri. Quo vero in Deum fiducia augeretur, iubetur noctu clam in hostium castra penetrare, ubi Madianitae cuiusdam narrato somnio de victoria obtinenda edocetur. Iam cum suorum tripartito agmine tubis canentium facesque agitantium Madianitarum castra ingreditur. Internecino hi terrore abrepti fugae se dant. Gedeon Israelitas circum incolentes evocat, maxime Ephraimitas, qui duorum principum Madianitarum capita Gedeoni trans Iordanem progresso afferunt, difficili tamen ope ab insolenti seditione cohibentur. Interea Gedeon flumine traiecto Madianitarum copias exterminat, eorum regibus Zebee et Salmana captis atque trucidatis, Israelitas vero quosdam, qui sibi de annona providere recusassent, severe plectit. Oblatum regnum declinat, ex praeda sibi concessa ephod fabricatur, quod suis postea idololatriae occasio fuit. Eius tandem familia, mors, sepultura recensentur.

32. Narrationis unitas. — Duo quibusdam placuit distinguere documenta variasque deprehendere contradictiones.

Primus *duo documenta* distinxisse videtur *Studer* (citatus ap. Wellh.), quem sequuntur *Reuss* p. 120 sqq. et *Wellh.* p. 232 sqq. Discernunt ii quidem unicae expeditionis narrationes duas, quarum altera inde ab 8, 4 « naturalis » seu historica, prior « religiosa » i. e. a theocratico auctore recusa. Quae utrum ab auctore tandem libri Iud. fuerint compactae, aut ab eo iam in antiquiore aliquo documento repertae fuerint copulatae, dirimere non audet Reuss. Revera autem duas distingui narrationes inde maxime efficiunt, quod 8, 1-3 nonnisi universa absoluta expeditione locum habere potuerit : quis enim de « vindemia » loquatur ante collectas uvas ? Ergo 8, 4 sqq. non sunt nisi altera plurimumque diversa narratio eventuum iam ante narratorum.

Ex narratione, inquiunt, « naturali », postposita « religiosa », si non exclusive, at certe potissimum eruenda historiae veritas. Ubi plurimas illico deprehendes contradictiones. Secundum « naturalem » narrationem ad bellum subeundum instigatur Gedeon 8, 19 desiderio ulciscendae fratrum necis; in narratione « religiosa » motivo naturali sufficitur motivum religiosum, repetitis revelationibus vir, qui nihil tale antea volvisset animo, ad pugnam evocatur. Ibi odio prosequitur Gedeon duos reges Madianitarum, hic Madianitas universim. Ibi soli Madianitae recensentur, hic 6, 33 et 7, 12 etiam Amalecitae et Orientales. Ibi trans, hic cis Iordanem dimicatur. Fortis ibi et audax apparet Gedeon, hic continuis miraculis incitatur, roboratur. Ibi 8, 18 est regiae speciei et nobilis domus, 6, 15 est infimae notae vir. Hostium reges 8, 5 vocantur Zebee et Salmana, 7, 25 vero Oreb et Zeb. Praevalet ibi nomen Ierobaal, hic nomen Gedeon. Hic miraculis et visionibus absolvuntur omnia, ibi eiusmodi deprehenditur nihil.

Contra quae statuimus primum, nullas inter duas istas, quae adstruuntur, narrationes deprehendi *contradictiones*.

Quod divinis alloquiis Gedeon ad pugnam fuerit evocatus, non excludit, eum etiam habuisse privatam aliquam rationem, cur Madianitis stomacharetur; iniurias ii intulerant omnibus, etiam Gedeoni; et quid mirum, Deum illum elegisse virum, qui crudeliorem ceteris ab hostibus passus esset iniuriam? Qui Madianitas universim odisset imperator, speciali sane odio eorum reges prosequebatur. Non erat necesse Amalecitas et Orientales ubique nominatim recenseri. Gedeon etiam in priore, quam distinguunt, narratione 7, 15 sqq. fortem se praebet et audacem. Cognatio quidem Abiezer minima erat tribus Manasse, sed Gedeonis pater Ioas in ea cognatione principem obtinebat locum; cuius filius 6, 27 facile decem praesto habuit servos, viris oppidi 6, 31 postulantibus impune est denegatus, clangens buccina 6, 34 mox universam domum Abiezer obsequentem habuit. — Nomina quod attinet, post 6, 32, ubi nominis Ierobaal origo describitur, nomen Gedeon in utraque narratione uniformiter usuvenit, sc. in priore 6, 34. 36; 7, 2. 4. 5. 7. 13. 15. 18. 19. 20. 24. 25, in altera 8, 4. 7. 11. 13. 21. 22. 23. 24. 27. 28. 30. 32. 33. Nomen Ierobaal solum semel tantum occurrit 8, 29, nomini Gedeon copulatum bis, sc. 7, 1 in priore narratione, ubi incipit narrari expeditio bellica, et 8, 35, ubi concluditur Gedeonis historia. Nonne per duas illas narrationes aequa proportione distribuuntur illa duo nomina? Unice vero usuvenit nomen Ierobaal in actis Abimelech 9, 1. 5. 16. 19. 24. 28. 57 videturque ter a Samuele in actis Gedeonis usurpatum, quo lector meminerit, eundem in actis Abimelech esse Ierobaal, qui in praecedente narratione fuerat Gedeon. — Etiam in priore narratione inde ab inito proelio 7, 15 cessant revelationes divinae, quae sc. a Deo ad eum solum finem tribuebantur, ut Gedeon incitaretur ad pugnam eo tempore iisque copiis, quae Deus statuisset, ineundam.

8, 4 sqq. narrantur eventus *a praecedentibus diversi*.

Id evincunt eorum aliqua, quae ab adversariis proferuntur ad duarum narrationum contradictiones demonstrandas. 8, 4 sqq. trans, priora cis Iordanem geruntur: ergo diversa sunt. His confecti Oreb et Zeb, illis Zebee et Salmana: atqui diversa nomina diversos viros indicant. Nulla tandem superest ratio duas illas narrationes confundendi.

Narrationem 8, 4-35 primitus fuisse a praecedentibus disiunctam sufficientibus argumentis non demonstratur.

Non infitiamur id absolute fieri potuisse. Sed quominus affirmemus, quod sufficientia nos deficiant argumenta, prohibemur. Et quidem, cum 7, 25 narrentur Ephraimitae in transiordanica Gedeonem adiisse idemque 8, 4 referatur in transiordanicam ipse traiecisse, lubentes fatemur post 7, 3 esse quemdam narrationis hiatum. At is, quin textum in frusta discerpamus, componi potest. 7, 24 sc. de missis ad Ephraimitas nuntiis locutus auctor 7, 25-8, 3 illico Ephraimitarum res absolvit, dein usus narrandi methodo Hebraeis perquam familiari resque a 7, 24 repetens, reliquam Gedeonis contra Madianitas expeditionem refert, ubi nos 8, 4 verbum scriberemus plus quam perfecto. Sunt et minora quaedam, quae suadent, unam primitus a cap. 6 ad 8 fuisse narrationem : usurpatum vix non semper nomen Gedeon, dum sequens historia Abimelech semper utitur nomine Ierobaal ; dein adhibitum 8, 26 pronomen שׁ, quale etiam in praecedentibus capitibus habetur.

33. Narrationis auctor. — Acta Gedeonis ab *auctore coaevo* videntur esse conscripta.

Scripsere sui temporis eventus Moyses, Iosue, Debbora iique, qui actus Barac et Aod descripsere ; Gedeonis tempore scribendi artem 8, 14 haud pauci callebant : num potest supponi domus Ioseph, ut erat primarum partium studiosa, Beniaminitis Aod, Nephthalitis Baraci gloriam concessisse, sui vero herois, qui illis nullo nomine fuisset inferior, acta describenda neglexisse ? Suum coaevum scriptorem nacta est Abimelechi historia, ergo a fortiori Gedeonis. Plura nonnisi ipse primum Gedeon accurate scire potuit, cf. 6, 11-27. 36-40 ; 7, 2-7. 9-14 : crediderim igitur ab aliquo eius secretorum conscio esse descripta. Adde, narrationem esse tam vividam tamque ad particularia descendentem, ut coaevum fere exigat auctorem. *Locorum* adiuncta distincte indicantur, iis tamen verbis quae, licet coaevis fuerint perspicua, serioribus quandoque aliquid habent obscuritatis : cf. 6, 11. 26. 33 ; 7, 1. 8. 11. 12. 23 sqq. ; 8, 11. Etiam *temporum* discrimina accurate notantur 6, 25 ; 7, 1. 9. 19 ; 8, 13. Tot variarum personarum *sermones*, nisi gratuito conficti esse supponantur, nonnisi mature post eventus conscripti praeservari potuere genuini. Tandem noster auctor, uti Debbora 5, 7, uti scriptor actorum Abimelechi 8, 26, utitur 6, 17 et 7, 12 שׁ contracto, qui loquendi usus a reliquis eius aevi scriptoribus exsulat, videtur autem illo aevo intra fines domus Ioseph et fortasse tribuum septentrionem versus proxime adiacentium obtinuisse.

34. Narrationis cum Pentateucho et libro Iosue nexus — et rebus et locutionibus constat.

Novit igitur Gedeon 6, 13 miracula libris anterioribus narrata (vocem נִפְלְאוֹת habes Ex. 34, 10 et Ios. 3, 5). Iahvae supra omnes deos gentium infinita affirmatur eminentia. Si Dominus nobiscum esset, non apprehenderent nos haec mala, argumentatur 6, 13 Gedeon, ubi *Bertheau* allusionem deprehendit ad Deut. 31, 17 : « ut dicas in illo die : Vere, quia non est Deus mecum, invenerunt me haec mala ». Libertatis populi Gedeon vindex non efficitur nisi post destructam aram Baal,

e Gedeone in Ierobaalem mutatus. Dicta eius et facta omnia insignem manifestant in Iahve, Deum Israel, fidem, quam extremo cap. 8 explicabimus. Nota verba 8, 23 (cf. Deut. 17, 15) : « Non dominabor vestri, nec dominabitur in vos filius meus, sed dominabitur vobis Dominus ». — Gedeonis missio Moysis et Iosuae missionem imitatur. « Scito, quod miserim te... Ego ero tecum », inquit Deus 6, 14. 16 ad Gedeonem. « Mittam te... Ego ero tecum », ait Deus Ex. 3, 10. 12 ad Moysen. « Sicut fui cum Moyse, ita ero tecum », idem Ios. 1, 5 ait ad Iosuen. Rursum 6, 18 angelum honoraturus Gedeon modum imitatur, quo patriarchae angelis honorem exhibuerant Gen. 18, 7 sq. ; 19, 3. Altare exstruens et appellans 6, 24 morem sectatur maiorum, Iacobi Gen. 35, 7 et Moysis Ex. 17, 15, etiam Noe Gen. 8, 20 etc. Alterum 6, 39 signum rogans verbis « Ne irascatur furor tuus contra me, si adhuc semel tentavero », vestigia terit Abrahae Gen. 18, 27. 30. 31 iterato pro Sodomitis intercedentis. Tandem 7, 9 Deus Gedeoni dicit : « Surge et descende in castra, quia tradidi eos in manu tua ». Quibus iisdem fere verbis Deut. 2, 24 iubet Deus Moysen : « Surgite et transite torrentem Arnon : ecce tradidi in manu tua Sehon etc » Ios. 1, 2 sqq. Iosuen : « Surge et transi Iordanem istum... tu enim sorte divides populo huic terram, pro qua iuravi patribus suis, ut traderem eam illis » ; et Ios. 8, 1 : « consurgens ascende in oppidum Hai : ecce tradidi in manu tua regem eius etc ». Angeli apparitio, altarium aedificatio, somnia 6, 25 et 7, 9 divinitus immissa, ignis 6, 21 oblationes consumens (cf. Lev. 9, 24), nonne haec omnia similes Pentateuchi eventus in memoriam revocant? Verba 6, 17 eadem leguntur Ex. 33, 13. Quoad terrorem 6, 22 sqq. ob conspectum angelum cf. Gen. 16, 14 ; 32, 30 ; Ex. 19, 21 ; 33, 11 ; Deut. 34, 10. Legem Deut. 20, 8 respicit Iud. 7, 3. Comparatio arenae numerosissimae 7, 12 sane ob promissionem Abrahae factam Gen. 22, 17 Hebraeis erat perquam familiaris. Fateor, horum plura non tam actorum Gedeonis scriptori esse tribuenda, quam ipsis actis. Erant haec eventibus Pentateucho libroque Iosue narratis perquam similia. At ipse etiam auctor modo, quo acta describit, se eorum librorum optime gnarum esse prodit.

COMMENTARIUS

a) Historiae Gedeonis introductio. — Iud. 6, 1-10

Arg. — Israelitae in idololatriam relapsi a Madianitis septennio affliguntur, ad Dominum conversi a propheta quodam corripiuntur. Haec partim utique Samuelis sunt. Cf. v. 1. 6. 7 eas, quibus ipse delectari consuevit, expressiones ; cf. prophetae orationem v. 8-10 cum altera 2, 1-3 et tertia 10, 11-14. Utrum 6, 2-5 acceperit Samuel ex eodem documento, unde sequentem deprompsit narrationem, an ex orali traditione collegerit, non liquet. Sane « antra » v. 2 eius adhuc tempore monstrabantur et vastationum, quales v. 3-5 describuntur, memoria diu ruricolarum mentibus atque tenaciter praeservatur.

Cap. VI v. 1 « *Fecerunt autem filii Israel malum in conspectu Domini, qui tradidit illos in manu Madian septem annis* ». Madianitae ex Abraham per Ceturam orti Gen. 25, 2, inter Arabiam, Palaestinam et Aegyptum mercaturam agebant Gen. 37, ib. v. 27 sq. etiam Ismaelitae appellati, Ex. 3, 1 ; 17, 6 et 18, 5 prope montem Horeb incolentes,

Num. 31, 1 Moabitis foederati et Hebraeis infensi. Hinc apparet, ad orientem Iordanis eorum fines quandoque sat longe septentrionem versus patuisse. v. 2 « *Et oppressi sunt valde ab eis* ». Copulam h. l. supplevere *Vulg. LXX Syr.*, asyndeton textus hebr. secus nonnihil durum nostro tamen auctori non est insuetum, cf. v. 19. « *Feceruntque sibi antra et speluncas in montibus, et munitissima ad repugnandum loca* ».

Reliqui *a facie Madian fecerunt sibi filii Israel secessus (?), qui sunt in montibus, et antra et loca inaccessa*. Quam vocem *secessus* vertimus, מנהרות, est ἅπαξ λεγόμενον incertae significationis. Alii a נהר « splendere » derivant, ergo foramen aliquod lucem admittens, *germ.* « Lichtloch » (*Kimchi*), alii a נהר « fluere », ergo locus aquis fluentibus excavatus, fauces montium (*Ges.*). Quod si quaeras, quomodo fauces *fecerint* Israelitae, adverte עשה non de excavandis solum illis secessibus intelligi, sed iisdem ad usum hominum instruendis et adornandis (*Keil*). Madianitae regionem patentem vastabant, Israelitis se cum suis rebus in fauces, antra et loca inaccessa recipientibus.

v. 3 « *Cumque sevisset Israel, ascendebat Madian et Amalec ceterique orientalium nationum* », *Hebr. filii orientis,* quos recte *Ios.* interpretatur Arabes, quod nomen latius est sumendum pro quibusque deserti Arabici nomadibus. *Amalecitae* ex Gen. 14, 7; Num. 13, 30; 1 Reg. 27, 8 habitabant ad meridiem terrae s., et usque ad Aegyptum (1 Reg. 15, 7) et intro peninsulam Sinaiticam (Ex. 17, 8), sed etiam intra terram s. (Iud. 12, 15). Quae *Hebr. Chald.* LXX addunt verba *et ascendebant super eum* ad sequentem aptius versum trahuntur. Cf. dicenda ad 19, 30. — v. 4 « *Et apud eos figentes tentoria, sicut erant in herbis cuncta, vastabant usque ad introitum Gazae* », « i. e. usque ad extremos fines terrae Chanaan » (*Malv.*) ; ubi notat *Bertheau*, cum in valle Iezrael (v. 33) castra posuerint, eos utique Iordanem prope Bethsan traiecisse, qua via aditus in terram s. facilior pateat. Ceterum *Hebr.* mere affirmat eos *corrupisse proventum terrae,* eosque non in herbis messes destruxisse, recte inde infert *Calm.*, quod v. 11 Gedeon dicatur hostilis incursionis tempore triticum in torculari excussisse. « *Nihilque omnino ad vitam pertinens relinquebant in Israel, non oves, non boves, non asinos* ».

Hebr. et oves et boves et asinos. מחיה primitus *vitae conservationem* significat Gen. 45, 5; 2 Par. 14, 13 (12) : hinc illud quo vita conservatur 1 Esdr. 9, 8 sq. Vertit *Chald. cibum ad sustentandam vitam,* LXX ὑπόστασιν ζωῆς. Ergo perperam *Bertheau* h. l. vertit *vivens* : « nullumque omnino vivens relinquebant, non oves etc ». Certe ll. cc. vox primarie non viventia significat. Sensus igitur est aut, quem *Vulg.* exprimit : nihil ad vitam pertinens, ne ovem quidem etc ; aut : non cibum, non ovem etc.

v. 5 « *Ipsi enim et universi greges eorum veniebant cum tabernaculis suis, et instar locustarum universa complebant, innumera multitudo hominum et camelorum, quidquid tetigerant devastantes* ». *Keri* ובאו sequuntur *Vulg. Chald. Syr.* et codices hebraei nonnulli bonae notae (*Rossi*); *Kethib* יבאו sequitur LXX, quod defendunt *Ros., Keil* vertentes: « et tabernacula venerunt tanto numero, quanto locustae ». At semper secus bellatores, non tentoria locustis comparari consuevere; et quidem tam quoad numerum, quam quoad effectum vastatae regionis (*Cassel*).

v. 6 « *Humiliatusque* », *Hebr. infirmatus* cf. 2 Reg. 3, 1, « *est Israel valde in conspectu Madian* ». v. 7 « *Et clamavit ad Dominum, postulans auxilium contra Madianitas* ». *Hebr. Chald.*: *Et factum est, quia clamabant filii Israel ad Dominum propter Madian, misit etc*; ita etiam vividius nexus orationis et exauditionis exprimitur. v. 8 « *Qui misit ad eos virum prophetam* ». Angelum putavit *Aug.*, hominem merito *Cai.*; neque enim angelus aut *viri* aut *prophetae* nomine appellari consuevit (*Ser.*). Verum quidem est, Gen. 32, 24 et Ios. 5, 13 angelum virum scribi, at quia viri forma apparens nonnisi aliquanto post angelus agnitus est. « *Et locutus est: Haec dicit Dominus Deus Israel: Ego vos feci conscendere de Aegypto, et eduxi vos de domo servitutis* », — expressionem habes Ex. 13, 3. 14; 20, 2; Deut. 8, 14; 13, 5. 10 (6. 11) — v. 9 « *et liberavi de manu Aegyptiorum et omnium inimicorum, qui affligebant vos* », quae expressio solemnis est nostro auctori, cf. 2, 18; 4, 3; 10, 12; « *eiecique eos ad introitum vestrum, et tradidi vobis terram eorum* ». Specialius hic intelligi Sisarae Chananaeos sentire videtur *Bonfr.*; non utique intellexit *Hier.*, qui secus *a facie vestra* non vertisset *ad introitum vestrum* (sc. in terram s.). Eiusmodi sententia, uti in locis parallelis, intelligenda est omnino generaliter. Insuper h. l. alluditur ad ea facta, quibus innititur sequens *et dixi*, decrevi, legem tuli. v. 10 « *Et dixi: Ego Dominus Deus vester: ne timeatis* » — « timore reverentiae et cultus » (*Mar.*), ergo « ne colatis » (*Lap.*) — « *deos Amorrhaeorum, in quorum terra habitatis* ». cf. Ios. 24, 15. Sicut Amorrhaei erant Chananaei, ita eorum dii iidem qui Chananaeorum. Vocantur h. l. et Ios. 24, 15 *dii Amorrhaeorum*, quod Amorrhaei Num. 13, 30; Deut. 1, 20 maxime incolerent montana haecque ab Hebraeis primum sint occupata. « *Et noluistis audire vocem meam* ».

De hac oratione cf. quae diximus n. 16. 17. 18. — Defendit *Hengst.* p. 81 orationem, quod *ad filios Israel* habita dicatur, habitam esse ad filios Israel universos adunatos in uno festorum, quibus ad tabernaculum confluebant. Verum potuit propheta regionem peragrans diversos diversis locis atque temporibus alloqui. Neque dicitur *omnes* Israelitas esse allocutus; fortasse eas solas tribus adiit, quae in idololatriam relapsae erant Madianitarumque incursionibus pate-

bant. Tamen deprehendere sibi videtur Hengst. in ea oratione aliquid « homiliae paschalis », ut festo Paschatis habita esse dicenda sit. Excutiebat enim tum Gedeon triticum, tempus autem messis triticeae immediate sequebatur festum Paschae. Quantum tempus inter prophetae orationem et angeli apparitionem intercesserit, nescimus. Potuit Gedeon metu praedatorum triticum solito prius neque perfecte maturum excutere; potuit messum abscondere primum, aliquanto post opportuniore tempore excutiendum. Urget Hengst., verba v. 13 : « Ubi sunt mirabilia eius, quae narraverunt patres nostri atque dixerunt : De Aegypto eduxit nos Dominus ? » affinitatem habere cum verbis Ex. 12, 26 sq. : « Et cum dixerint vobis filii vestri : Quae est ista religio ? dicetis eis : Victima transitus Domini est, quando transivit super domos filiorum Israel in Aegypto etc » ; cf. 13, 8. 14. 15. At haec quoque affinitas longius petitur.

b) GEDEON VOCATUR. — IUD. 6, 11-32

ARG. — Israelitae ad Deum v. 7 fuerant conversi, at non omnes. Ioas certe, Gedeonis pater, cum aliis Abiezritis Baalem colebat; colueritne ipse Gedeon, non constat. Convertenda primum liberatoris familia, ipse liberator transformandus in Ierobaalem, qui contra Baal et pro Iahve decertaret. Hinc primum v. 11-25 angelus Gedeonem edocet de salute per ipsum efficienda, postea Gedeon in somnio iussus aram Baal destruit et super aram Domino aedificatam holocaustum offert, iam vere Ierobaal i. e. Baalis debellator effectus.

v. 11 « *Venit autem angelus Domini* », quem v. 21 ostendit verum angelum fuisse, non hominem; « *et sedit sub quercu* » seu forte terebintho (LXX *Chald. Syr.*, et cf. quae diximus ad 1 Reg. 22, 6), « *quae erat in Ephra et pertinebat ad Ioas, patrem (familiae) Ezri* », seu verius Abiezritam. « Sedit aliquantisper, priusquam ad eum oculos adverteret Gedeon. Nam et hic operi suo intentus totus erat, et ille absque ullo pedum motusve strepitu sese illic, modesti placidique viatoris instar, ut ab itinere interquiesceret ac respiraret paululum collocarat. Postea vero, vel suo a labore paululum remittens vel huc illuc prospiciens, num forte hostium aliquis veniret, vidit illum sedentem Gedeon » (*Ser.*).

Ephrae situm accurate describere non valemus : videtur ea fuisse tribus Manasse, cuius erat Gedeon, neque ita longe a Sichem, quae in eius familiae actis usque nominatur. Lectionem LXX Ἐφραθά ne *Ios.* quidem secutus est. Additur *Ephra, quae pertinebat etc*, ut nostra Ephra ab altera tribus Beniamin Ios. 18, 23 distinguatur (*Cassel*) et ut Gedeonis origo describatur. — Quomodo *pater Ezri* Ioas ? Non ut Ezri fuerit filius ab eo genitus : « neque enim qui filium habuit nominatissimum Gedeonem, designaretur ab aliquo alio filio ignoto et nullius nominis » (*Bonfr.*). Sed אבי העזרי verti oportet *Abiezrita* (cf. v. 34 « domum Abiezer »), qui sc. ortus sit ex illo Abiezer (Ios. 17, 2; 1 Par. 7, 18) seu Iezer (Num. 26, 30), qui per Galaad ortum duxit ex Manasse.

« *Cumque Gedeon, filius eius, excuteret (atque purgaret) frumenta in torculari, ut fugeret Madian* », v. 12 « *apparuit ei angelus Domini, et ait : Dominus tecum, virorum fortissime* ». *Syr.* et *Aug.* : *Dominus fortis robore tecum* : sed verba « Dominus tecum » secus semper addito carent. « Subintelligunt aliqui *sit* », inquit *Bonfr.*, « ut vox sit optantis et salutatio : at verius subintelligas *est*, ut sit assertio. Sic enim intellexit Gedeon, ut ex sequenti responsione liquet ». Potuit uterque sensus intelligi ab angelo.

Notat *Munst.*, חבט significare excuti triticum baculo, dum דוש significet illud triturari ope iumentorum. « Prohibitus Gedeon, ne colligeret libere messes, excuteretque frumentum in agro, vel pedibus boum tereret pro more eius regionis, manipulos suos tulerat ad *torcular*, ut frumentum excuteret statimque cum frumento suo in specum montis aufugeret » (*Calm.*). Ergo recte *Ios.* eum ita « clam » et « prae metu » egisse affirmat. Recte etiam *Cai.* hiphil הניס vertit « ut faceret fugere », *germ.* « flüchten » (cf. Ex. 9, 20), licet versiones omnes reddiderint sensu kal.

v. 13 « *Dixitque ei Gedeon : Obsecro, mi domine, si Dominus nobiscum est, cur apprehenderunt nos haec omnia* ? ». Alloquium *mi domine* reverentiam exprimit. Pronomen *nos,* pronomini *tecum* respondens, ostendit mala reipublicae Gedeoni alte haesisse animo. « *Ubi sunt mirabilia eius* », reliqui *omnia* : auget affectum vox, ut, qui tanta pridem praestiterit, nihil iam praestet omnino. Vocem נפלאות habes etiam Ex. 34, 10 ; Ios. 3, 5 — « *quae narraverunt patres nostri atque dixerunt : De Aegypto eduxit nos Dominus? Nunc autem dereliquit nos Dominus et tradidit in manu Madian* ». Verba *fidem* exprimunt.

v. 14 « *Respexitque ad eum Dominus* ». LXX h. l. et v. 16 *angelus Domini*, sed non est hac correctione opus, quam ne *Ios.* quidem habet : « Vides, missum loqui nomine mittentis » (*Vatabl.*), angelum sc. personam Dei gerentem. — « *Et ait : Vade in hac fortitudine tua, et liberabis* », vel *libera*, « *Israel de manu Madian* ». *Bertheau* censet, pronomine *hac* indicari fortitudinem, non quam prius iam habuerit Gedeon, sed quam verba v. 12 ei contulerint : tamen ea verba haud videntur conferre aliquid ; dein si allusio haberetur ad v. 12, non esset cur voci חיל substitueretur כח. *Keil* allusionem ad v. 12 adstruit quoad voces *Dominus tecum*, ergo : vade in fortitudine, quam inde derivas, quod Dominus sit tecum. Re haec expositio recidit in alteram *Ser.* : « Vade in hac, quam et olim dedi et modo auxi atque amplificavi fortitudine tua ». « *Scito, quod miserim te* ». « Tacitae obiectioni, qua auctoritate ibo, respondet » (*Cai.*).

v. 15 « *Qui respondens ait : Obsecro, mi domine, in quo liberabo Israel* » ? « Non diffidentis sunt verba, sed de se modeste sentientis »

(*Theodoret.*). « *In quo*, h. e. qua via, qua ratione : cum, ut sequitur, mihi ad hoc facultas et copiae desint necessariae » (*Bonfr.*). « *Ecce familia mea infima est in Manasse, et ego minimus in domo patris mei* ». Ios. 7, 14 docemur, tribus constitisse familiis, familias domibus, cf. 1 Reg. 10, 19 sqq. Similes sensus exprimit Saul 1 Reg. 9, 21.

Gravem h. l. disputationem lineola una suscitat. Vocem quippe אדני punctavere h. l. *Vulg. LXX Syr.* cum patach, uti v. 13, *domine mi ; Masor. Chald.* adhibito kamez *Domine*, ut ad solum Deum referatur. Unde exoritur quaestio, fueritne Gedeon iam, quando verba v. 15 profabatur, praesentis Dei conscius. Nondum videtur fuisse v. 13 ; verba enim « si Dominus nobiscum est, cur apprehenderunt nos haec omnia ? » aliquid habent tristis facetiae, quod haud decet Dei alloquium. v. 15 fuisse quadamtenus conscium inde infero, quod secus verba v. 16 sensu carerent : quid enim iuvat asseveratio « ego ero tecum », nisi divina auctoritate prolata esse cognoscatur ? Neque potuit Gedeonem latere, simile quid secum agi ei, quod Moysi ad montem Horeb contigisset. Cui Deus Ex. 3, 10 « mittam te » dixerat, et v. 11 « ego ero tecum » : quae verba sane pertinebant ad ea « mirabilia, quae narraverunt patres ». Nullae insuper sunt, quas *Ros.* profert obiectiones. Quod enim ait, nullam in Gedeone cerni trepidationem, animi commotionem nullam, respondemus, scripturam h. l. nobis non sensa universa, sed verba tantum referre. Instat, Gedeonem mox v. 17 signum petere, quo Deum adesse cognoscat. Petierit sane, ut quod iam percepisset, certius omnique praecluso dubio intelligeret. Postulavit etiam Gedeon v. 36 sqq. duo signa, quando cum Deo se colloqui omnino perspexerat et ab eo, se Madianitas contriturum esse v. 16, diserte didicerat. Tandem negamus, v. 17 de signo esse sermonem. Addit *Ros.*, Gedeonem v. 22 primum intellexisse, se angelum vidisse. Negamus, id eum tum primum intellexisse, sed evanescente apparitione recordatus est malorum, quae popularis superstitio iis imminere affirmabat, qui angelum coram aspexissent. Hic nobis definiendum, quorsum praesentis Dei tum conscius fuerit Gedeon. Fuit, quatenus loquentem divina auctoritate divina promissa enuntiantem intelligeret. Nondum perspexerat, essetne is aut homo propheta aut angelus ; immo hominem supponebat, uti ex v. 22 colligimus.

v. 16 « *Dixitque ei Dominus : Ego ero tecum, et percuties Madian, quasi unum virum* ». *Vulg. Syr. ego ; Hebr. LXX Chald.* כי, ergo : (Certissime liberabis), nam ero tecum. « Non humanis viribus, familiaeve tuae multitudine, viriumque tuarum magnitudine, aut aetatis auctoritate haec res praecipue agenda est, sed mea praesentia, mea ope ac manu » (*Ser.*). « Tam facile vinces Madianitas, quam vinci solet unicus vir » (*Vatabl.*). Suspectam habet expressionem *W. Boehme* (Zeitschrift für die alttest. Wissenschaft, Giessen 1885 p. 256), quod כאיש אחד Iud. 20, 1. 8. 11 ter ad exprimendam *concordiam* adhibeatur. Respondeas, expressionis sensum alium esse secundum diversum contextum : ubi

plures cooperantur tamquam vir unus, exprimitur concordia ; ubi exercitus concidi affirmatur tamquam vir unus, intelligitur operis praestandi facilitas. Ceterum eodem prorsus sensu recurrit expressio Num. 14, 15. v. 17 « *Et ille : Si inveni, inquit, gratiam coram te, da mihi signum, quod tu sis, qui loqueris ad me* ». Interpretatio communior, et cui suffragantur *Masor. Vulg. Chald. Syr.*, ea est, expostulare sibi h. l. Gedeonem signum seu miraculum, quo cognoscat se non cum alio, quam cum ipso Deo, collocutum esse. Cui tamen interpretationi plura obstant. Neque enim perspicitur, quodnam sit illud signum. Sacrificium, inquies, v. 18 : at sacrificium non est signum. Supponamus eum, qui cum Gedeone colloquebatur, neque Deum fuisse neque angelum, passum tamen esse, ut Gedeon sacrificium coram offerret : quid tali sacrificio demonstraretur ? cuius illud rei signum esset ? Accedit, quod hoc praecise suggerere signum Gedeoni nefas erat : neque enim de sacrificio ei, qui loquebatur, offerendo cogitare fas erat, quamdiu vel minimum remanebat dubium, Deusne is esset aut certe angelus a Deo submissus. Nec proderit tibi, מנחה cum quibusdam non de sacrificio sed de aliqua ciborum oblatione exponere : quaero enim, quid signi Gedeon nactus esset, si eum, qui loquebatur, cibis oblatis se reficientem aspexisset ? Et, quae praemittuntur, verba « si inveni gratiam coram te » inania plane sunt, nisi, qui loquitur, supponatur minime iam dubius esse, sibi cum Deo angelove esse sermonem. Textum igitur intimius scrutantes cum *Ser.* advertimus, sententiam alio modo construi posse et a LXX esse constructam : Si inveni gratiam coram te, et si concedas mihi signum etc, non recedas hinc, donec revertar etc. Qua versione efficitur, ut signum istud non iam in sacrificio seu refectione consistat. Et *Ser.* quidem signum seu miraculum reponit in portentosa de Madianitis victoria Gedeoni promissa. Est et alia eaque planior explanatio. *Hebr.* habet ועשית לי אות שאתה מדבר עמי ; supponas illud אות primitus fuisse scriptum scriptione non plena, vel literam ו mendose irrepsisse, et erit vertendum : Si inveni gratiam coram te et si facturus es mihi illud, quod locutus es mecum, ne recedas hinc etc. Pro favore, quem Deus sibi exhibuit et exhibendum promisit, supplicatur Gedeon, ut sacrificium de manu sua acceptare dignetur.

LXX καὶ ποιήσεις μοι σήμερον πᾶν ὅ τι ἐλάλησας μετ' ἐμοῦ : ubi σήμερον corruptum est ex σημεῖον, quae est alia lectio, et πᾶν additum est. Ergo textus recidit in reliquos textus.

v. 18 « *Nec recedas hinc, donec revertar ad te, portans sacrificium* » — *Hebr. Chald. Syr. meum* — « *et offerens tibi. Qui respondit : Ego*

praestolabor adventum tuum ». Vox מנחה anceps est : de *sacrificio* intellexere *Vulg., LXX, Aug., Theodoret., Abul., Dion. Carth., Lyr., Sa, Mar., Est., Tir.* ; de *dono* seu *epulo Chald., Syr., Procop., Cai., Ser., Bonfr., Menoch., Lap., Calm., Sacy, Clair, Vigouroux.*

Plura argumenta non ita firma afferuntur, ut ostendatur non agi de sacrificio. Dicunt non fuisse sacrificio locum ignorante adhuc Gedeone, sibi cum Deo vel angelo esse sermonem : at id falso supponi, supra demonstravimus. Dicunt, sacrificaturum fuisse angelo : at errorem innocentem, si quis fuerit, v. 20 sq. ipse correxit angelus. Urgent, מנחה non exprimere sacrificium carnium, Gedeonem non fuisse sacerdotem Aarone genitum, rem non agi ritu mosaico. Verum מנחה, ut *donum* significat, sacrificium carnium designare saltem *potest*, idque tanto magis, si de sacrificio non secundum, sed praeter ritum mosaicum oblato h. l. agatur. De iis autem sacrificiis diximus ad 1 Reg. 7, in fine. — Sed sunt alia, quae non agi de sacrificio suadent. Sane, etiam in sacrificio praeter ritum mosaicum offerendo, debuit Gedeon de lignis et igne providere. Modus parandae oblationis utique epulum potius sapit quam sacrificium, maxime quod de iure in olla afferendo habetur. מנחה, licet sacrificium etiam carnium designare possit et reapse designet Gen. 4, 4 et 1 Reg. 2, 17, certe tamen pluribus locis adhibetur de donis hominibus offerendis : ita Gen. 32, 13 (14) Iacob fratri Esau, 43, 15 Iosepho filio mittit munera מנחה ; eadem Iud. 3, 15 Aod affert Egloni. Quodsi obiiciat *Dillmann* (citatus a Boehme p. 254), fuisse haec potius genus quoddam tributi, quam cibos hospiti oblatos, dicas cibos h. l. oblatos eodem, atque illis locis, iure concipi posse ut genus quoddam tributi ; seu verius dicas, ex hoc textu cum illis textibus collatis effici, מנחה de se donum significare, non necessario tributum. — Argumentum tandem princeps excludens sacrificium illud est, quod a *Procop.* et *Cai.* proponitur, voluisse utique Gedeonem honorare angelum ea ratione, qua angeli ab insignibus V. T. viris honoratos pridem fuisse oppido norat, i. e. oblato epulo.

v. 19 « *Ingressus est itaque Gedeon et coxit hoedum et de farinae modio* » — *epha* potius vertendum *tribus modiis*, cf. Ruth 2, 17 et quae diximus ad 1 Reg. 1, 24 — « *azymos panes* », « ut celerius perficeret » (*Cai.*), non enim erat tempus fermentandi ; « *carnesque ponens in canistro* », in quod secus Gen. 40, 17 ; Ex. 29, 3. 32 panes poni consuevere, sed aliud vas non videtur adfuisse, ceterumque Arabes etiamnum panibus pro catinis uti consuevere, ut nequaquam fuerit indecorum, carnem pani impositam deferre in canistro, « *et ius carnium mittens in ollam, tulit omnia sub quercu et obtulit ei* ». Si unus gomor mannae, quae erat decima pars ephi, in singula capita abunde sufficiebat (Ex. 16), certe ephi farinae in azymos panes absumptus non potuit ab uno homine epulo consumi (*Bonfr.*). Neque tamen decreverat Gedeon cum angelo epulari, aut abeunti panes obtrudere : non ita apud

Hebraeos aut excipiebantur aut dimittebantur hospites ; honorabatur hospes copia cibi propositi.

Cruciatur *iure* isto *W. Boehme* p. 254. « Utquid istud ius seorsim in ollam missum affertur ? Eratne illi eximius vigor saporve ? Neutrum crediderim ». At unde id nosti, paedagogorum acutissime ? Sunt iura vigoris plena, quae sanos roborent, reficiant aegros ; sunt iura sapida, quibus aegre carueris carnibus bovinis aut hoedinis affusis. « Crediderim potius quemdam, qui nostram recuderit narrationem, carnibus panibusque addendum existimasse aliquod נסך i. e. libationem ; quod autem regio describeretur vastata funditus atque exhausta, quodve traditionem nonnisi levius immutare luberet, vino pro libamento in textum introducendo abstinuisse, iure vero affuso indicasse, noluisse Gedeonem legitimam negligere libationem ». Ego horum omnium crediderim nihil. Fecisse aliquid Gedeonem a sacrificiorum ritu alienum concesserim potius, quam ut vel textum resartum gratuito asseram, vel resartorem tam stupide egisse adstruam. Aequa textui infertur iniuria, iure illum perfundas an vino. Num veri tam absimile videtur, aliquas vini amphoras in illa v. 2 « antra » fuisse comportata ? Tandem tota cavillatio innititur ei, quam modo refutavimus, opinioni agi de sacrificio.

v. 20 « *Cui dixit angelus Domini : Tolle carnes et azymos panes, et pone supra petram illam, et ius desuper funde* ». *Procop.* putat, effusum esse ius, « quod ob naturam aquosam et liquidam usui haud esset futurum » in sacrificio igne absumendo. Longe verius *Ser.* : « iuris superfusio », inquit, « augebat miraculi magnitudinem, ut 3 Reg. 18, 34 », ubi primum iussit Elias copiosam aquam holocausto infundi, igne de coelo illico absumendo.

v. 20 expungendum esse censet *W. Boehme* p. 253 sq. ob sequentes rationes : 1) dum v. 21. 22 quater scribitur « angelus Domini », h. l. habetur « angelus Dei » ; 2) pro צור v. 21 habetur h. l. סלע ; 3) suspicionem movet הלז, quod adverbium secus a libro Iud. exsulat. Ad 1) respondeas contra *Hebr.* LXX legere h. l. *Vulg. Chald. Syr.* « angelus Domini », ergo saltem dubia lectio et cum lectione difficultas. Ad 2) impune permutantur voces סלע et צור : quodsi illa tantum maioris molis rupem designare queat, eiusmodi igitur molis rupem supponas, cuius in aliqua parte arbor radices egerit. Ad 3) advertas, nostro narratori reapse quosdam loquendi modos esse proprios, quibus usum vocis הלז si lubet accensebis. Eius vocis in actis Gedeonis repetendae alia non fuit occasio. Samuelem aliosve, quorum scriptis utebatur Samuel, auctores eadem voce abstinuisse, quid tandem efficit ?

« *Cumque fecisset ita* », v. 21 « *extendit angelus Domini summitatem virgae, quam tenebat in manu* », viatorem imitatus (*Cai.*), « *et tetigit carnes et panes azymos : ascenditque ignis de petra et carnes azymosque panes consumpsit* ». Recogita portenta in virga Moysis effecta. Angelus igitur epulum consecrat in sacrificium, ipse sacerdotis officio fungens (*Theodoret.*). « *Angelus autem Domini evanuit ex oculis eius* ». Merito *Bertheau* exinde, quod simul orta flamma et evanescens

angelus recenseantur, infert utrumque eventum simul accidisse et, ad instar 13, 20, angelum in flamma ad coelum ascendisse.

קצה anceps est ; quod *Vulg.* *(summitatem)* et *Chald.* *Syr.* (ריש) intellexere de extremitate virgae superiore, potest vero etiam de extremitate inferiore intelligi. Levi virgae contactu crediderim angelum ignem elicuisse, non uti vult *Lap.* : « Ignem produxit ex valida collisione petrae per virgam cuspide ferrea armatam ». — הלך מעיניו, *recessit ex oculis eius.* Quae verba non necessario edicunt, angelum *subito* evanuisse (*Cler.*). Unde *Bonfr.*, *Ser.*, *Menoch.* verba v. 23 dicunt fuisse angeli, qui quidem audiretur, sed non iam videretur ; *Bertheau* fuisse Dei, non angeli ; *Keil* fuisse interna inspiratione, *Calm.* fuisse sequenti nocte (v. 25) in visione percepta. Praeplacet cum *Cai.*, *Lap.* expressionem hebr. eo interpretari, ut angelus *ire coeperit*, hincque « discedens » (*Sa*) seu « abiens » (*Malv.*) et, si placet, adhuc visibilis, verba v. 23 elocutus sit.

v. 22 « *Vidensque Gedeon* » ex modo, quo ille in flamma sacrificii coelum versus elevabatur, « *quod esset angelus Domini* », non homo propheta, « *ait : Heu, mi Domine Deus, quia vidi angelum Domini facie ad faciem!* » Credebant Iudaei ei, qui angelum oculis conspexisset, illico esse moriendum 13, 21 sq. ; Gen. 32, 30 ; 16, 14. Quae opinio ad alteram revocanda esse videtur, de Deo non impune aspiciendo. Haec autem in verbo Dei solidum habet fundamentum Ex. 33, 20 : « Non enim videbit me homo et vivet » (cf. 20, 19).

Varie construunt כי על כן. *Vatabl.*, *Lap.*, *Mar.*, *Malv.* : quia vidi angelum etc, (ideo mihi iam moriendum est). *Calm.* : (ut morerer), ideo videre permissus sum angelum. *Bertheau*, *Keil* eas voces unico sensu « propterea enim » adhiberi scribunt, ergo : propterea enim ut heu clamarem, mihi concessum est videre angelum. Illas tamen voces cum *Vulg.* LXX etiam verti posse « quia », ostendit Gen. 18, 5 ; 38, 26 ; Num. 10, 31 ; 14, 43 ; 2 Reg. 18, 20. Ergo : Heu mihi ! (mihi iam moriendum est), quia vidi etc.

v. 23 « *Dixitque ei Dominus : Pax tecum, ne timeas, non morieris* ». v. 24 « *Aedificavit ergo ibi Gedeon altare Domino vocavitque illud Domini Pax, usque in praesentem diem* ». Aedificaverat altare Moyses Ex. 17, 15 et vocaverat illud « Dominus Exaltatio mea » ; aedificatum altare Gen. 35, 7 vocaverat Iacob « Domus Dei ». Solemne patriarchis, maxime Abrahae, in locis acceptorum beneficiorum aedificare altaria, quibus utique nomina indidere, utvis ea ad nos non devenerint : Gen. 8, 20 ; 12, 7 sq. ; 13, 18 ; 26, 25 ; 33, 20. Ergo patriarcharum secutus exempla Gedeon : quo iure, statim videbimus. — « *Cumque adhuc esset in Ephra, quae est familiae Ezri* » — Haec verba *Vulg.* ad sqq. trahit, sed verius reliqui textus ad praecedentia : consonant *Masor.*, et deberet secus incisum ordiri a ו. Ergo : *Usque in praesentem diem adhuc illud* (altare) *exstat in Ephra Abiezritarum* ; ubi cf. dicta ad v. 11. Quae

verba utique a collectore libri Samuele fuere addita, qui consuevit ea recensere monumenta, nomina, proverbia, quae narratorum aliquam habent confirmationem : cf. 1 Reg. 5, 5; 6, 16 sqq.; 7, 12; 10, 12 etc. Immo eundem primum nostri versus incisum inseruisse coniecerim atque cum eo, uti credimus, connexum 8, 27.

Quaeritur, sitne hoc altare v. 24 idem atque illud, quod v. 26 sq. exstructum refertur. Idem defendunt *Vulg.*, *Lyr.*, *Cai.*, *Ser.*, *Bonfr.* aliique; diversum *Abul.*, *Clair.* Incredibile illis apparet, locis perquam propinquis, qui ambo intra terminos essent Ioas patris Gedeon, duo exstructa esse altaria. Praeterea, inquit *Ser.*, « videmus saepenumero in scripturis breviter aliquam rem tangi, quae postea explicatur disertius ac uberius. Ita hic breviter attingitur v. 24 erexisse Gedeonem aram : quo autem loco, potestate ac modo id fecerit, subiungitur deinceps enucleatius ». Ad quae respondeo, licet is narrandi modus scripturae sit maxime proprius, tamen h. l. non videri adstruendum, quod diversus altarium locus sat distincte describatur. Illud erat petra quaedam, quae proxime aberat v. 20 cum a quercu v. 11, tum a purgandi frumenti loco; hoc erat v. 26 in loco aliquo excelso et ex v. 28 late patenti exstruendum. Num in tali loco censendus est Gedeon frumentum excussisse, qui furtive atque festine prae metu Madianitarum rem ageret? Num idem qui v. 20 locus tanta ambagine v. 26 designandus erat?

Ergone duobus tam propinquis locis duo exstructa altaria? Omnino. Sed attende seriem eventuum. Ubi petrae, in qua consumptae carnes, recurrebat mentio, subiecit v. 24 Samuel animadversionem de altari ibidem exstructo. At non ipso tempore exstructum. Quodsi eo, quo apparuerat angelus, *die* exstruebatur, nonnisi maxima civium admiratione exstrui potuit : at eam textus non commemorat, sensus obvius v. 28 est, tum demum incolas aliquid animadvertisse atque mirari coepisse. An forte sequenti *nocte* v. 25? At ea Gedeon destruendo idoli altari et exstruendo altero v. 26 altari abunde occupabatur, neque duo una nocte Deo aedificasse altaria censendus est. Ergo neque eo die neque sequenti nocte construxit altare v. 24, sed aliquanto serius. Altare, cui a pace Domini nomen, exstruxit, quando devictis tandem Madianitis pace revera et requie (8, 28) frui coeperant Hebraei. Exstruxit igitur, quo fere tempore 8, 27 *ephod* illud confici curavit, quod in eadem civitate sua Ephra atque sane in praedio suo posuit, quodque « factum est Gedeoni et omni domui eius in ruinam ». Sanctiorem existimavit locum, unde ipse angelum in coelum ascendentem *conspexisset*, eo quem ipse Deus suo cultui *designasset*. Imperfectae id fidei erat. At, obiicies, nonne quod supra ostendebatur, patriarcharum vestigia in eo altari exstruendo premebat Gedeon? Reponam, etiam altaria a patriarchis exstructa

postea, aedificato templo, haud raro populo facta esse in ruinam. Reponam, altaria illa aedificasse patriarchas instinctu divino, at non prope altaria a Deo exstrui iussa proprio marte alia quaedam erexisse. Reponam, in his Gedeonem patriarcharum fortasse acta, at non spiritum esse sectatum. Altare ab ipso Deo erigi iussum neglexit, cuius nullum ad posteros nomen descendisse, cui nulla pretiosior supellex tributa videtur : altare suum, atque memoriae honoris a se accepti pariter atque divinae gloriae veluti consecratum, unum nobilitavit, ditavit.

Iam facto v. 24 posteriori tempori assignato, vide quam facile se excipiant eventus 6, 11-32 narrati. Apparens angelus Gedeonem populi liberatorem designat, verbum confirmat carne et aliis portento super petram consumptis. De altari in ea petra exstruendo non est sermo, sicuti neque in facto omnino analogo Manue cap. 13. Oportet utique altare exstrui : verum *ante* destructum Baalis altare in agro Ioas altare Iahve exstrui nequaquam potest. Istud ergo primum destrui iubet Deus in sequentis noctis somnio, simul locum indicans sibi exstruendi altaris a loco apparitionis angeli paulum diversum.

Discipulis quandoque magistrorum errores exaggerantibus clariusque manifestantibus, liceat h. l. exemplo *W. Boehme,* qui Wellh. aliorumque terit vestigia, qua ratione quamque futilibus argumentis rationalistae textum s. discerpere consueverint, ostendere. Igitur laudatus auctor Iud. 6, 11-24 explicaturus v. 21-24 genuinos quidem esse concedit. v. 20 expungit ob rationes ib. a nobis refutatas. Cum v. 20 ruit, quod v. 19 de carnibus et iure dicitur; vox ויגש est « superflua ». Verba v. 18 « portans מנחה et offerens tibi » spuria sunt ob eius nominis significationem, quam ib. discussimus. Illud de « signo » v. 17, quod intelligi nequeat, reiicitur. v. 16 alicuius est auctoris, qui s. narrationem retractaverit (« rührt von einem Bearbeiter her »); cum quo versu ruit etiam v. 15. Altera v. 14 pars est repetitio quaedam v. 13, cum utrobique habeatur הלא, itemque verba « de (in) manu Madian » : v. 12 genuinus est; verba autem v. 11 « et pertinebat ad Ioas, patrem familiae Ezri » « fortasse sunt auctoris cuiusdam, qui v. 25 de Ioas narraturus erat »; dum verba « in torculari, ut fugeret Madian » stilo diversum produnt scriptorem (« sind einem in staerkeren Farben schildernden Bearbeiter zuzuschreiben »). Iam accipe conspectum pericopae a W. Boehme dissectae.

Retinenda	Expungenda
v. 11 « Venit autem angelus Domini et sedit sub quercu, quae erat in Ephra...	et pertinebat ad Ioas, patrem familiae Ezri.
Cumque Gedeon filius eius excuteret atque purgaret frumenta...............	in torculari, ut fugeret Madian »,
v. 12 « apparuit ei angelus Domini et ait : Dominus tecum, virorum fortissime ». v. 13 « Dixitque ei Gedeon : Obsecro,	

Retinenda	Expungenda
mi domine, si Dominus nobiscum est, cur apprehenderunt nos haec omnia ?....	ubi sunt mirabilia eius, quae narraverunt patres nostri atque dixerunt : De Aegypto eduxit nos Dominus? Nunc autem dereliquit nos Dominus et tradidit in manu Madian ». v. 14 « Respexitque ad eum Dominus,
et ait : Vade in hac fortitudine tua, et liberabis Israel.....................	de manu Madian, scito quod miserim te ». v. 15 « Qui respondens ait : Obsecro, mi domine, in quo liberabo Israel? Ecce familia mea infima est in Manasse, et ego minimus in domo patris mei ». v. 16 « Dixitque ei Dominus : Ego ero tecum, et percuties Madian quasi unum virum ».
v. 17 « Et ille : Si inveni, inquit, gratiam coram te,.........................	da mihi signum quod tu sis, qui loqueris ad me »,
v. 18 « ne recedas hinc, donec revertar ad te..............................	portans sacrificium et offerens tibi.
Qui respondit : Ego praestolabor adventum tuum ». v. 19 « Ingressus est itaque Gedeon et coxit hoedum et de farinae modio azymos panes ;..........	carnesque ponens in canistro et ius carnium mittens in ollam,
tulit omnia sub quercu.................	et obtulit ei ». v. 20 « Cui dixit angelus Domini : Tolle carnes et azymos panes, et pone supra petram illam, et ius desuper funde. Cumque fecisset ita »,
v. 21-24 sunt genuini.	

Postquam igitur narrationis duas tertias arbitrio eliminavit, placide exclamat Boehme : « Qui supersunt pauci sunt versus, sed singularem prae se ferentes cum Pentateuchi Iehovista affinitatem! » Praescinde nasum et aures, et habebis fere Pompeium.

v. 25 « *Nocte illa dixit Dominus ad eum : Tolle taurum patris tui, et alterum taurum annorum septem, destruesque aram Baal, quae est patris tui, et nemus, quod circa aram est, succide* », arborem, quae « prope aut iuxta » eam est (*Drus.*) : Ascherae saepissime singulae arbores erant. « Hanc aram fuisse aliquo modo publicam et usu communem, satis indicat v. 28 sqq., cum omnes eius cives cura dolorque arae excisae coqueret. Ea tamen dicitur fuisse patris Gedeon, sive quod eam ipse in loco alioqui publico suis impensis erexisset, sive, quod magis » (et unice) « placet, quod ipsam in fundo suo excitasset » (*Bonfr.*). « Voluit Deus ita Gedeonem huic bello praefici, ut, licet idololatriae paternae, ut verisimile est, nunquam consensisset, suam tamen expeditio-

nem bellicam, cui a Deo praeficiebatur, non auspicaretur, nisi praemisso heroico facinore, quo videlicet aram Baal destrueret » (*Bonfr.*). Ceterum textus cum v. 26. 28 collatus difficultatem habet, estque probabilius non de duobus, sed de unico in illo tauro agi.

Expressio *nocte illa* suggerit, divinum alloquium per *somnium* obtinuisse (*Cai.*, *Bonfr.*). At quaenam nox intelligitur? Cum laudatis auctoribus censent *Vatabl.*, *Bertheau*, *Keil*, intelligi noctem eventum v. 11-23 consequentem; dum *Calm.* indidem colligit, ipsum eventum v. 11-23 noctu locum habuisse, ac dein eadem nocte, quae modo narrantur. Quodsi admittatur, obiicit *Bertheau*, necesse fore etiam v. 11-23 narrata somnio tribuere. Demus etiam, somnio commodius explicari expressiones « Dominus » et « angelus Domini » constanter invicem excipientes, modus, quo evanuerit angelus, non ita clare enuntiatus : at referri v. 11-23 somnium, ne verbulo quidem innuitur, neque sola vox *nocte illa* v. 25 ad eiusmodi somnium adstruendum sufficit. Peccat igitur conclusio Bertheau.

Priorem taurum exprimit *Hebr.* פר השור, quod verti potest vel *iuvencus bovis*, *Chald. iuvencus filius bovis*, ut species designetur (*Cai.*), agi sc. non de bubalo sed de bove ; vel rectius *iuvencus bos* ad designandam aetatem (*Drus.*, *Ges.*), i. e. iuvencus qui bos iam sit, non vitulus.

Cur *alterius tauri* mentio habeatur, disquiritur, quem solum v. 26. 28 immolatum referunt, tacito priore. De altero non dicitur cuius fuerit, prioris tacetur aetas. Prima igitur solutio est fuisse *duos* boves (*Bonfr.*, *Mar.*, *Tir.*, *Gord.*) ; unius autem solius postea haberi mentionem, inde explicat *Bonfr.*, « sive quia is praecipue a Deo intentus, sive quia ex secundi oblatione intelligi satis potest fuisse praemissam prioris oblationem ». Alterum autem taurum ad totam urbem pertinuisse fingunt *Arias*, *Tir.*; ad solum Ioas *Gord.* Quod prioris aetas taceatur, hinc, uti videtur, *Chald. septem annos* non de aetate intellexit : *septem annis saginatum*, quem *Theodoret.* putat saginatum fuisse, ut Deo, *Sa*, ut idolis sacrificaretur. Sed haec omnino praeter textum. Aliud commentum profert *Bertheau.* Quod sc. tam taurus quam ara dicantur *fuisse patris* Gedeonis, coniicit aliquem taurorum in destruenda ara fuisse usum, et in lignis ad novum altare deportandis; post quod pium officium idem auctor censet solum alterum taurum fuisse immolatum, quod prior Baali consecratus fuerit ideoque non potuerit immolari. — Secunda igitur solutio est *Cai.*, *unicum* in textu exprimi taurum, copulam autem intelligi expositive : Tolle taurum patris tui, i. e. taurum secundum annorum septem. Quae solutio omnibus difficultatibus contra priorem solutionem motis satisfacit, novam tamen suggerit difficultatem, cur hic unicus taurus dicatur *secundus*. Quod enim *Cai.* ait, dici secundum « a prosperitate taurum, qui alebatur pro sacrificio prosperitatis iuxta superstitiones ethnicorum », absurdum est : licet enim latinum « secundus » idem quandoque sonet atque « prosper », at non hebr. שני. Unde *Malv.* censet « in armento ordine secundum » fuisse, *Calm.* cum priore iugo iungi consuevisse, *Vatabl.* fuisse « secundae notae, non ita magnum, nec conferendum cum primo ». Quae

omnia longius petuntur. *Ew.* II. 540 conatus est השני statum constructum explicare : « sume taurum patris tui, et quidem taurum annorum, septem annorum ». Sensus ridiculus, grammaticae iniuriosus. — Tertia tandem solutio errorem in textu admittit eumque perantiquum, quod in omnes penetraverit versiones. Post scriptum פר השור אשר לאביך repetitae fuere voces פר השור, quibus ad aliquem sensum emungendum praefigi oportuit copulam ו ; inde alterum שור mutatum in שני, literis perquam similibus. At quomodo eadem corruptio שני etiam in v. 26. 28 irrepsit ?

Nos igitur sententiae Cai. accedimus, sed aliam vocis rationem reddendam esse censemus. Compertum est apud omnes lege praescriptas fuisse victimas iuvenes, teneras, octiduo utique maiores Lev. 22, 27. Anniculae videntur habitae fuisse excellentissimae, cf. Lev. 9, 3 ; 12, 6 ; 23, 12. 18 ; Num. 6, 14 ; Ex. 12, 5 ; Mich. 6, 6. Describit victimam Num. 19, 2 : « vaccam rufam aetatis integrae, in qua nulla sit macula nec portaverit iugum ». Neque legi mosaicae id proprium erat, ut tenerae praeferrentur victimae, sed ipsam id sacrificii naturam consequebatur, et ante et praeter eam legem observabatur. Maxime adultae, quas reliqua scriptura habet victimas, sunt triennes, quas offerre iubebatur Abraham Gen. 15, 9. Quibus praemissis illico patet, Gedeonem, si ipsi victima eligenda fuisset permissa, non taurum septennem fuisse electurum, sed alium teneriorem. Erat sane in patris grege taurus alter, septenni illo iunior, fortasse anniculus, sacrificioque ex communi hominum opinione longe aptior, qui in ordine sacrificandorum recte appellari poterat *primus*.

Ad hunc aetate proxime accedebat septennis noster, ideo appellatus *secundus*. Si quaeris, cur hunc teneriore neglecto expostulaverit Deus, cum *Menoch.* respondebo praelatum esse eum taurum, « qui aetate tantus sit, quanta erat Madianitica servitus, quae septem annos tenuerat ». Septennis taurus redemptio erat septennis servitutis. Copula autem vel mendose irrepsit, vel explicanda est ut ו explicativum.

v. 26 « *Et aedificabis altare Domino Deo tuo in summitate petrae huius, super quam ante sacrificium posuisti : tollesque taurum secundum et offeres holocaustum super struem lignorum, quae de nemore succideris* ».

מעוז *petram* vertit *Vulg.* ; *Chald. Syr.* secundum etymologiam *locum munitum* ; *Aq.* ἰσχύος; *Symm.* ἰσχυροῦ : intelligitur sane una ex illis munitionibus montanis, de quibus v. 2. — Ubi *Vulg.* scribit *super quam ante sacrificium posuisti*, *Hebr.* habet במערכה. Vox ab ערך *ordinare* derivata, 1 Reg. 4, 2. 16 ; 17, 22. 48 exercituum *aciem* significat ; h. l. et Ex. 39, 36 (37) dubiae est significationis. Ait quidem *Cai.*, « facile esse intelligere, quid significetur dicendo *in ordinationem* : mandatur enim, ut aedificetur altare secundum ordinationem legis Moysis ». At tantum abest, ut id facile sit intellectu, ut potius de ea voce interpretanda vix non sit desperandum. Interpretes plures ea voce existimant locum aedificandae arae accuratius describi : *Vatabl.* « in loco plano » seu, quod idem est, *Calm.* « in area » ; *Munst.* « in loco conveniente » ; *Cler.* « in vallo » ; *Cassel* « in margine » ; *Bonfr.* « rebus omnibus

apte dispositis ». Vulgatam explicat *Mar.*: « in qua petra prius sacrificium ordinasti ». *Bertheau*, *Keil* advertunt ערך Gen. 22, 9 ; Lev. 1, 7 ; 3 Reg. 18, 33 adhiberi de lignis in altari struendis, ב verbo בנה iunctum edicere materiam, e qua quid aedificetur 3 Reg. 15, 22 : hinc במערכה vertunt « ex materia praeparata », lapidibus sc. ex ara Baal, et lignis ex Aschera derivatis. Quorum interpretamentorum nullum satisfacit.

v. 27 « *Assumptis ergo Gedeon decem viris de servis suis fecit, sicut praeceperat ei Dominus* ». Opulentior videtur fuisse Ioas atque in urbe Ephra princeps, cui numero plures essent servi. « *Timens autem domum patris sui et homines illius civitatis, per diem noluit id facere, sed omnia nocte complevit* ». Putant *Ser.*, *Bonfr.* id factum esse eadem nocte, qua v. 25 Gedeon divinum iussum acceperit ; verum sua probabilitate non caret opinio *Keil*, id factum esse nocte proxime sequenti, cum verba *per diem noluit id facere* reapse suggerant, aliquam intercessisse cunctationem. v. 28 « *Cumque surrexissent viri oppidi eius mane, viderunt destructam aram Baal, lucumque succisum, et taurum alterum impositum super altare, quod tunc aedificatum erat* ». Recte *Bonfr.* censet, lignis iam fuisse ignem admotum, taurum tamen nondum perfecte crematum : nam v. 26 iubebatur Gedeon non solum altare exstruere, sed etiam taurum immolare, cuius immolati post v. 28 mentio non habetur. v. 29 « *Dixeruntque ad invicem : Quis hoc fecit ? Cumque perquirerent auctorem facti, dictum est : Gedeon, filius Ioas, fecit haec omnia* ». *Hebr. et quaesierunt et indagati sunt et dixerunt* : ultimum verbum *Vulg.* merito intellexit impersonaliter, in quod recidit LXX *dicerunt*.

v. 30 « *Et dixerunt ad Ioas : Produc filium tuum (huc)* », — intellige locum iudicii et cf. Gen. 38, 24 ; 3 Reg. 21, 10 ; Dan. 13, 45 ; etiam Iud. 20, 13 et 15, 12 — « *ut moriatur, quia destruxit aram Baal et succidit nemus* ». Recte ex his, ut ex sqq., infert *Calm.*, « summam fuisse penes Ioas in urbe auctoritatem », censetque *Bertheau*, eundem pro tribunali sedentem, quae sequuntur, elocutum esse.

v. 31 « *Quibus ille respondit* » — reliqui *et respondit Ioas omnibus, qui insurgebant in eum* — : « *Numquid ultores estis Baal, ut pugnetis pro eo?* » Reliqui : *Numquid vos causam Baal agetis* (cf. Iob. 13, 8), *aut vos salvabitis eum*, « probabitis esse Deum » (*Cler.*)? Vis sententiae est in duplici אתם. Primum igitur iudicis argumentum hoc est : « Non spectat ad eos vindicare Baal » (*Cai.*). « Cum vestra opinione Baal ex iis sit, qui illatis sibi iniuriis tanguntur, qui ad ultionem suam prosequendam nulla caret re aut ope seu voluntate, cur igitur invidetis illi gloriam seu voluptatem ultionis expletae » (*Calm.*) ? Vel forte sic : Baal non est Deus Israel, ergo non ad vos Israelitas spectat eius ulcisci iniurias. Incipit quippe iam idololatra Ioas resipiscere.

« *Qui adversarius est eius, moriatur antequam lux crastina veniat* ». Ut *Vulg.* ad reliquorum sensum revocetur, *eius* referendum erit ad Gedeon, non ad Baal, ergo : Qui Gedeoni manus violentas infert, eum ego mortis damnabo. Vel dicendum erit, eum, qui se ad causam Baalis vindicandam obtrudat, eo ipso fieri *adversarium* Baal. Quod ignorantes *Mar.*, *Gord.* nostrum incisum « dialogismum » interpretati sunt, ut verba *qui adversarius etc* non a Ioas, sed a populo fuerint pronuntiata. — Reliqui eadem utuntur expressione, atque supra : *Qui causam egerit eius* sc. Baalis, *moriatur*. « Imprecatur mortem actori criminis » (*Cai.*). Ubi vox *moriatur* antithesin efficit eiusdem vocis v. 30 scriptae. Unde porro infero, eandem intelligi uti ib., de morte non a Baal infligenda : « Si est Baal Deus, interficiat illum, qui altare suum destruxit, hac nocte, antequam illucescat » (*Munst.*); multo minus a Deo infligenda : « (argumentatur) a metu supplicii divini » (*Malv.*); sed a se ipso iudice infligenda : « Si quis vestrum ultionem Baalis aggreditur, ego neci illum tradam » (*Calm.*). Quorsum autem *usque mane* (*Hebr.*) ? Quorum verborum sensus non est « non ante diem crastinum » (*Vatabl.*), quorsum enim ea restrictio ? neque « usque cras » (*Keil*) : qui *hodie* causam Baal agendam susceperit, attentata nece eius, qui altare subvertit, erit morti obnoxius; concedamus Baali tempus *usque cras*, quo suam ipse causam vindicet ; — is enim sensus violentior; sed « citissime » (*Cai.*) vel « antequam lux crastina veniat » (*Vulg.*). Verba seriam iudicis voluntatem, et vix non minas exprimunt. « *Si Deus est, vindicet se de eo* », vel potius *agat causam suam ipse* (*Hebr.*), « *qui suffodit aram eius* », *Hebr. quia suffodit aram eius* et ita eius vindictam provocavit. Ex v. 34 concludere fas est, totam certe domum Abiezer, his verbis Ioas permotam, Baalis cultum deseruisse. Quae verba certe non fuere « affectu condolentis dicta et reverenter reservantis causam vindictae ipsi Baal, ac si apertius promisisset, quod Baal faciet vindictam celerrime » (*Cai.*); sed verba aliquid utique habent irrisionis (*Munst.*).

v. 32 « *Ex illo die vocatus est Gedeon Ierobaal, eo quod dixisset Ioas : Ulciscatur se de eo Baal, qui suffodit aram eius.* » Nomen hoc in summam Gedeoni laudem transiit, ubi constitit, nihil ipsum a Baale detrimenti tulisse. Videtur aliis locis alio potissimum nomine appellatus esse Gedeon, ut apud suos Ephrae (cap. 6-8) potius Gedeon, apud Sichimitas (cap. 9) Ierobaal audiret. Coniectura *Wellh.* p. 249 viri nomen primitus fuisse Ierobaal idque viro nomen in laudem Dei tributum, qui communi tum cum idolis nomine בעל fuerit appellatus, gratuito statuitur.

c) Exercitus paratur. — Iud. 6, 33-7, 15.

Arg. — Comparato iam duce superest eidem exercitus adiungendus, exercitus inquam duce Ierobaale dignus, non numeris praepotens neque armis, sed inconcussa in Deum miraculorum patratorem fide. Hinc magna, quae confluxerat, hominum multitudo praeprimis duplici velleris signo confirmatur. At Deus pusillum multorum animum probe perspiciens, primum ex legis praecepto iubet timidos quosque recedere, quo numerus a triginta duobus millibus ad decem millia reducitur. Quorum trecentos eligit, non animi, non roboris, non ullius naturalis virtutis habita ratione; hos trecentos inermes solis tubis, facibus, lagenis instrui iubet. Pugnam iamiam inituri dux atque exercitus Dei oraculo ex Madianitae cuiusdam ore accepto confirmantur atque de obtinenda victoria certi fiunt.

Vocatum a Deo v. 11-24 Gedeonem oportuerat primum v. 25-32 ipsum cum tota cognatione ab idololatriae macula redimi. Quo facto nihil iam prohibebat, quominus ipse Israelitas a Madianitarum oppressione liberaret. v. 33 « *Igitur omnis Madian et Amalec et orientales populi congregati sunt simul et, transeuntes — Iordanem* » merito supplet *Vulg.* —, « *castrametati sunt in valle Iezrael* », ubi etiam Debbora dimicaverat. v. 34 « *Spiritus autem Domini induit Gedeon* ». Actus fuerat spiritu divino Othoniel 3, 10, agebatur Debbora. Expressio influxum divini spiritus designat modo valentiorem (2 Par. 24, 20; Luc. 24, 49), modo leniorem (1 Par. 12, 18). Quod is tropus bis in libris Par. legatur, non efficit ab uno auctore aut eodem fere tempore scriptos esse Iud. et Par. libros. « Replevit, totum possedit ad eum modum, quo vestis totum intra se claudit hominem » (*Bonfr.*). « *Qui clangens buccina convocavit domum Abiezer, ut sequeretur se* », *Hebr. et congregati sunt post eum,* cf. quae diximus ad 1 Reg. 13, 4; 14, 20. v. 35 « *Misitque nuntios in universum Manassen* » cisiordanicum, cuius pars erat domus Abiezer, nam transiordanici non videntur huic bello interfuisse (*Bertheau*), « *qui et ipse secutus est eum; et alios nuntios in Aser et Zabulon et Nephthali, qui occurrerunt ei* ».

Hebr. ascenderunt obviam eis, sc. Gedeoni et Manassaeis. *Ascenditur* obviam potiori; vel dicas primum quidem in vallem Iezrael descendisse, sed inde mox in montem Manasse ascendisse. LXX *Syr. ascendit* (sed alia lectio ἀνέβησαν) : sensus omnino idem, ascenderunt siquidem illae tribus per modum unius cogitatae, non Gedeon.

v. 36 « *Dixitque Gedeon ad Deum : Si salvum facis per manum*

meam Israel, sicut locutus es », v. 37 *ecce ego (Hebr.)* « *ponam hoc vellus lanae in area : si ros in solo vellere fuerit, et in omni terra siccitas, sciam, quod per manum meam, sicut locutus es, liberabis Israel* ». v. 38 « *Factumque est ita. Et de nocte consurgens, expresso vellere, concham* » (cf. 5, 25) « *rore implevit* ». *Vellus*, uti etiam LXX πόκον, accipe secundum significationem nativam, ut sit lana a pelle praecisa : « neque enim intelligi debet hic lana pelli adhaerens, hoc enim vellus proprie non significat, etsi forte a nonnullis vel synecdochice vel catachrestice ita vox illa usurpata videatur; sed detonsa lana vellus proprie dici solet » (*Bonfr.*). Cf. Deut. 18, 4; Iob 31, 20 et etiam Ps. 71 (72), 6; Am. 7, 1. — Cur vero iam secundum velleris signum expostulat Gedeon ? « Forte opponebant aliqui », ait *Cai.*, « quod casu acciderat primum signum ». Et *Bertheau* advertit, lanam vel tum humorem imbibere et servare, quando reliqua sicca permaneant. Planius dices, in utroque signo petendo actum fuisse Gedeonem « instinctu Dei » (*Suarez*, de Relig. tom. 1 tract. 3 lib. 1 cap. 2 n. 10; *Lessius*, de Virt. card. lib. II cap. 45 dub. 1), quo certior haberetur fidei confirmatio.

v. 39 « *Dixitque rursus ad Deum : Ne irascatur furor tuus contra me* » (cf. Gen. 18, 27. 30. 31), « *si adhuc semel tentavero signum quaerens in vellere. Oro, ut solum vellus siccum sit, et omnis terra rore madens* ». v. 40 « *Fecitque Deus nocte illa, ut postulaverat, et fuit siccitas in solo vellere, et ros in omni terra* ».

Sed iam, quem ad finem ea signa petierit Gedeon, inquirendum. Ubi aliqui censent *peccasse* illum, Deum tentando. Dubitat quidem *Aug.* (*M.* 34. 813), affirmat autem *S. Thom.* (II II^ae^ Q. 97 art. 2 ad 3) : « Gedeon ex debilitate fidei signum petiisse videtur, et ideo a peccato non excusatur ». Similiter *Rup.*, *Abul.*, *Cassel.* In idem quoque recidit *Cler.* : « Non sunt haec quidem prorsus dubitantis aut diffidentis, sed animi infirmitate aliquatenus vacillantis »; et *Keil*, rem non tam cordis infidelitati, quam debilitati carnis adscribens. At peccatum adstruere nequaquam cogimur. Quid tandem signa iuvissent eum, qui signo ab angelo effecto fidem non adhibuisset? quinam dubitationi in Gedeone locus post convocatum tuba exercitum? Hebr. 11, 32 Gedeonis fides celebratur, Iud. 6, 34 dicitur spiritu divino indutus. — Meminit *Drus.* sententiae, « haec accidisse in *visione prophetica*, quod multi opinantur »; quos multos equidem invenire non potui. Aliqua utique, in visione aliqua seu verius somnio, fidei titubatio in viro ceteroqui firmissimae fidei dari potest, simulque eiusmodi somnium Gedeoni animos addere potuit, audacius tamen supponitur.

A peccato Gedeonem absolvunt *Or.* (*M.* 12. 983 sqq.), *Ambr.* (De Sp. S. I Prol., *M.* 16. 705), *Beda*, *Isid.*, *Rhab.*, *Cai.*, *Lyr.*, *Ser.*, *Bonfr.*, *Suar.*, *Lessius* aliique. Quorum aliqui (*Lessius*, *Bonfr.* etc) in *divino instinctu* sistunt, quo motus fuerit Gedeon ad ea signa petenda; sed adhuc eius instinctus rationes motivae

inquirendae, oportet enim illum fuisse rationalem. Audi *Bonfr.* : « Si multi hac ratione Abrahamum a peccato liberant, quod accepto oraculo de numerosa sua posteritate et Chananaeae possessione Gen. 15, ubi et notatur credidisse Abraham Deo et reputatum esse illi ad iustitiam, idem tamen paulo post signum petierit, quo intelligeret semini suo eam terram esse dandam : Unde, inquit, scire possum, quod possessurus sim eam? — si Ezechias 4 Reg. 20, accepto oraculo prophetico ab Isaia propheta de reddenda sibi sanitate, paulo post tamen divino impulsu signum huius rei a Deo petit his verbis : Quod erit signum, quia Dominus me sanabit, et quia ascensurus sum die tertia templum Domini? et ad eius optionem ei in signum exhibetur, ut sol decem lineis retrocedat; — si Achaz Is. 7 reprehenditur, quod iussus a Deo signum petere (nam Deus id volebat), petere tamen noluerit, idque ea specie ne videretur Deum tentare, quidni etiam Gedeonem a peccato liberemus, si Dei voluntatem et inspirationem secutus signa haec a Deo postulaverit? Porro Deo iustae causae deesse non potuerunt, cur id fieri voluerit, sive causae eaedem fuerint, quas etiam Gedeon vel spectavit vel spectare potuit, cuiusmodi esset vel Gedeonis vel sociorum eius confirmatio, sive, quod maxime probo, *mysterium*, quod hic omnes agnoscunt, ratione cuius imprimis Deus haec signa fieri voluerit et Gedeoni, ut postularet, inspiraverit ».

Quibus tamen rationibus ex instinctu divino mysterioque petitis aliam tamquam potiorem superaddere placet, quae est *Cai.* atque ita a *Lap.* exponitur : « Videtur ergo Gedeon ex magna in Deum fiducia animoque laetitia gestiente, iam enim spiritus Domini eum induerat, ad Dei gloriam haec duo signa petiisse, non tam ad suam quam *ad suorum commilitonum*, quos ad se et proelium hocce suum iussu Dei convocabat, *fidem et spem erigendam*, ut sc. ipsos sensim ad se confluentes his signis divinis confirmaret et in certam victoriae spem accenderet, unde et coacto iam exercitu signum hoc petiit ». Socios autem Gedeonis, ut in fide roborarentur, indiguisse, pluribus ostendunt sequentia. Conceperant illi quidem animos, quando Baalis aram impune everti conspexerant. Alacres atque confertis numeris tubam vocantem sunt secuti, Iahven contra Baalem dimicaturum esse confidebant. Simul tamen suis viribus, suo duci tam generoso, suo agmini tam valide instructo nimium fidebant 7, 2 : « ne glorietur contra me Israel et dicat : Meis viribus liberatus sum ». Quare velleris signis illos edocet Deus, a divino omnia auxilio pendere, idque illis non satis attendentibus 7, 1-7 eisdem demonstrat, nihil omnino ab humanis pendere mediis, paucis iisdemque inermibus militibus posse Deum ingentes fundere exercitus. Propter populum haec omnia acta fuere potius, quam propter ducem.

Subiicienda aliqua de velleris Gedeonis *significatione typica.*

Studiosius inquirunt *Lap.* aliique, quare ea prae aliis signa elegerit *Gedeon.* Verum Gedeonem putaverim practicis magis quam mysticis momentis ea in re esse motum, atque signa elegisse in iis rebus perficienda, quae ruricolae prae manibus erant. Quaerendum ergo potius, cur *Deus* illa selegerit signa atque Gedeoni suggesserit. Atque primum demonstranda aliqua significatio iis, qui

tum agebantur, eventibus congrua, quod signa, quo exactius illis responderent, eo futura essent efficaciora ad roborandam fidem. Illa igitur signa petenti liberaliter concessa argumentum utique erant *potentiae et benignitatis Dei*, quibus fiducia omnis superstruitur. Dein, quod aqua et imprimis ros divinae gratiae sint imagines, vellus rore imbutum, dum omnis circum terra sicca permaneret, exprimebat *Dei auxilium populo Hebraeo prae gentibus concessum*. Quae vero tum alterius signi ratio, quo rore careret vellus, maderent reliqua omnia? Vellus imago erat populi Hebraei, non aevi Gedeonici tantum, sed omnium temporum. Unde vere duplex signum explicat *Theodoret.* : « Quae verba innuunt, Israelitas olim quidem gratia potitos esse, sicut vellus rore; postea vero universam hominum naturam adeptam esse spiritualia dona, quibus tamquam rore vellus Israel privatus est». Et *Aug.* (M. 44. 400) : « Et tunc ergo ista gratia unius mediatoris Dei et hominum, hominis Christi Iesu, erat in populo Dei; sed tamquam in vellere pluvia, quam non debitam sed voluntariam segregat Deus haereditati suae, inerat latens. Nunc autem, velut siccato illo vellere, h. e. iudaico populo reprobato, in omnibus gentibus tamquam in area cernitur patens ». Cf. item *Or.* (M. 12. 983 sqq.), *Aug.* (M. 34. 813 sq. ; Enarr. in Ps. 45 et 71, M. 36. 521. 907), *Ps. Aug.* (De Mirab. S. Scr. II. 6, M. 35, 2177), *Ambr.* (De Viduis cap. 3 et De Sp. S. lib. I, M. 16. 240. 705), *Hier.* (Epist. 58, M. 22. 581), *Procop.*, *Isid.*, *Ps. Beda.*, *Rhab.*, *Rup.* — Porro, cum Dei gratia praeprimis *incarnatione Verbi Dei* consistat, recte *Ambr.* affirmat, « pluviam illam *Verbi* rorem esse divini ». Qui ros cum in utero Virginis fuerit primum abundantissime et perfectissime receptus, rursum vellus recipiens imago est *B. Virginis* concipientis Verbum Dei. Ita *P. Chrysol.* (Serm. 143, M. 52. 583) : « Coelestis ergo imber virgineum in vellus placido se fudit illapsu, et tota divinitatis unda bibulo se naturae carnis celavit in vellere ». Cf. *Bern.* (Super Missus est Hom. 2 et In Nativ. B. V. M, M. 183. 64. 441).

Cum quibus ex Patribus petitis conferas, teste vel ipso *Reuss* p. 121 ridiculam, illam *Ew.* rationalistae II. 542, I. 29 explicationem. Bonus imperator, inquit, zelo fervere et humescere debet vel tum, quando reliqui desidia laborant; debet esse quietus ac veluti siccus vel tum, quando reliqui impatientia diffluunt. Hinc natum proverbium, Gedeonem ducem vellus circa pectus gerere, quod humesceret, dum omnia circum sicca essent, siccum esset, dum humescerent reliqua. Ex proverbio tandem nata duplicis miraculi narratio.

Cum in narratione de vellere Gedeonis v. 36. 39. 40 Deus nomine אלהים veniat, dum secus vix non semper יהוה usurpetur, aliqua de nominibus divinis cap. 6-9 subiicimus. *Chald.* ubique אלהים mutavit in יהוה, eius ergo testimonium non potest invocari. Igitur reliquo cap. 6 ubique scribitur יהוה, nam v. 20 est dubiae lectionis, immo *Vulg. Syr.* habentibus יהוה ea fere lectio probabilior exstat. Cap. 7 semper habet יהוה, nisi quod v. 14 Madianita loquens adhibeat אלהים. 8, 3 *Vulg.* LXX habent יהוה. Cur ergo 6, 36. 39. 40 adhibetur אלהים ? Diversi admittendi documenti nulla sufficiens ratio. v. 31 pronuntiabatur Baal non esse אלהים, quod idem secundum contextum erat atque Iahven אלהים profiteri. Hinc eadem in sequentibus retenta vox. Dein illa duo in vellere facta miracula fortasse id etiam primarie intendebant, ut Manassaei in fide confirmarentur, Deum Israel unicum verum esse אלהים. — Dicunt

cap. 9 in actis Abimelech semper usurpari אלהים. Numinis mentio quinquies occurrit, v. 7. 9. 13 in fabula a Ioatham Sichimitis idololatris proposita, ubi eodem quo 7, 14 iure יהוה supprimitur. Restant v. 23, ubi discordat *Vulg.*, et v. 56. Utroque hoc textu אלהים scribi aliquam habet admirationem et aliquam affert confirmationem aliorum argumentorum demonstrantium, cap. 9 ex fonte a praecedentibus diverso esse petitum, non tamen per se solum efficit argumentum.

Cap. VII v. 1 « *Igitur Ierobaal, qui et Gedeon, de nocte consurgens* » — *Hebr. mature consurgens,* fortasse illico post acceptum alterum velleris signum —, « *et omnis populus cum eo venit ad fontem, qui vocatur Harad* », de cetero ignotum, nomen fortasse habentem ab urbe Harodi 2 Reg. 23, 25 (*Malv.*); « *erant autem castra Madian in valle ad septentrionalem plagam collis excelsi* ». *Hebr. erant ei*, ut pateat situm castrorum describi a situ fontis, *super quem* i. e. in colle, e quo fons prodibat, *consederant* (*Hebr.*) Gedeon et socii. Item *Hebr.* verba *in valle* scribit in fine sententiae, ut intelligantur voces *ad septentrionalem plagam etc* describere situm non vallis per se notae Iezrael, sed castrorum. מורה vertit *Vulg. excelsi*, et utique correctius *Chald. prominentis,* a ירה; sed LXX *Syr.* retinent nomen proprium, ergo *collis Morah*, quin tamen videatur intelligi idem locus atque Gen. 12, 6; Deut. 11, 30, quippe qui propius absit a Sichem. Ceterum *Hebr.* habet *a parte septentrionis, a parte collis Morah, in valle*, itidemque construunt LXX *Chald.*, ut non dicatur vallis esse a septentrione ipsius collis, quod quidam opinati montem Gelboe interpretati sunt. Castra Madian erant et in valle Iezrael, et a septentrione castrorum Hebraeorum, et simul erant prope illum collem.

v. 2 « *Dixitque Dominus ad Gedeon : Multus tecum est populus, nec tradetur Madian in manus eius* », — *Hebr. numerosior est, quam ut tradam* : et tamen 32,000 (v. 3) opponebantur 135,000 (8, 10), singuli Hebraei quatuor vel quinque Madianitis. — « *ne glorietur contra me Israel* », « gloriam sc. mihi debitam sibi adscribendo » (*Bonfr.*), « *et dicat : Meis viribus liberatus sum* ». v. 3. *Hebr. Et nunc,* « *loquere ad populum et cunctis audientibus praedica : Qui formidolosus et timidus* » — חרד : ab hac voce h. l. usurpata derivari nomen « fontis Harad » v. 1, audacius suggerunt aliqui — « *est, revertatur. Recesseruntque de monte Galaad et reversi sunt de populo viginti duo millia virorum, et tantum decem millia remanserunt* ». Quod edictum consonat cum lege Deut. 20, 8 lata : « Loquentur ad populum : Quis est homo formidolosus et corde pavido? Vadat et revertatur in domum suam, ne pavere faciat corda fratrum suorum, sicut ipse timore perterritus est ». Observabatur ea lex etiam 1 Mach. 3, 56.

Hebr. separat sententias uti *Vulg.*; sed *LXX Chald. Syr.* : *revertatur et recedat de monte Galaad.* Aut pro ויצפר legebant יצפר, aut imperfectum cum ו conversivo interpretati sunt sensu futuri seu imperativi. — Difficultatem facit *mons Galaad*, quem trans Iordanem fuisse novimus. *Cler.*, *Houb.*, *Bertheau* pro גלעד corrigunt גלבע, ergo « mons Gelboe » (cf. etiam *Kaulen* p. 184) : sed correctioni nullus suffragatur textus. *Abul.*, *Lap.*, *Calm.* adstruunt montem aliquem Galaad cisiordanicum, ceteroqui ignotum. Nota, ex Ios. 17, 1 Galaad per Machir ortum esse ex Manasse, alium praeter Machir, quantum novimus, Manassem filium non habuisse, ex Num. 26, 30 Abiezer esse filium Galaad, ergo de facto etiam filium Machir. Iam licet Num. 32, 39 sq. Machir sedes assignentur trans Iordanem, tamen Iud. 5, 14 Manassaei cisiordanici Machir audiunt. Videntur igitur nomina Machir et Galaad iudicum aevo adhuc veluti incerta fluctuasse, ut tam cisiordanici quam transiordanici modo Machir modo Galaad appellarentur. Quare optime potuit tractus montanus, quem cis flumen Manassaei obtinebant, etiam mons Galaad appellari.

v. 4 « *Dixitque Dominus ad Gedeon : Adhuc populus multus est; duc eos ad aquas* », fontis Harad vel alias, « *et ibi probabo illos* », — « significat vox hebraea excoquere et quasi per ignem examinare ad eum modum, quo aurum per ignem probatur » (*Bonfr.*) — « *et de quo dixero tibi, ut tecum vadat, ipse pergat; quem ire prohibuero, revertatur* ». v. 5 « *Cumque descendisset populus ad aquas, dixit Dominus ad Gedeon : Qui lingua lambuerint aquas* », de cava manu haustas (v. 6), « *sicut solent canes lambere, separabis eos seorsum; qui autem curvatis genibus biberint, (in altera parte erunt)* ». Ultimum incisum merito supplent *Vulg. Syr.* Illud de *canibus* solum additur ad magis elucidandum, quid *lambendo* intelligatur. Iam disquirentes, quare illi retenti, hi dimissi fuerint, ab hypothesi proficiscuntur auctores, quam his enuntiat *Bonfr.* : « Nota, in hisce retinendis, illis reiiciendis observatum fuisse quemdam in potando habitum situmque, *qui alicuius rei in animo latentis, seu virtutis seu vitii, indicium esset* ». *Ios.* igitur eos, qui aquam lamberent, id egisse *prae timore* iudicat, quod non auderent se demittere, sed trepidi hostes circumspicerent; voluisse autem Deum per timidos milites magnam illam parere victoriam. Cui merito reponit *Bonfr.*, timidos iam fuisse v. 3 exclusos; insuper talis timor indicium erat deficientis fidei, at non per homines parvae fidei consuevit Deus portenta efficere. *Theodoret.* autumat illos in genua non procubuisse *ex socordia*, voluisse autem Deum per socordes prosternere fortes. *Cassel*, Iudaeum *Raschi* secutus, censet eos, qui postea dimissi sunt, curvasse genua ideo, quod consuevissent coram *idolis* genua flectere (!), indignos qui pro Domino decertare permitterentur. *Bertheau* censet eos, qui aquam lamberint, reapse fuisse ceteris *fortiores* ; ita quippe arsisse desiderio pugnandi, ut ne pro momento quidem temporis arma relinquere et genu demittere voluerint : « quo indicio », exclamat, « dux quisque

fortiores a minus fortibus secernet ». Cui respondet *Keil*, nulli unquam duci in mentem venisse, eiusmodi indicio experimentum sumere fortitudinis militum. *Lyr.*, *Cler.* censent, eosdem illos fuisse minus sitibundos et fatigatos, ideoque audaci facinori *aptiores*. *Ser.*, *Bonfr.*, *Lap.*, *Menoch.*, *Tir.*, *Calm.* arbitrantur, eos, qui in genua procubuerint, tamquam *intemperantiores* esse reiectos. Quae tamen explicationes omnes coacti aliquid et arbitrarii admixtum habent. Equidem putaverim hypothesin, quam supra descriptam habes, esse reiiciendam. Nihil neque virtutis neque vitii in iis, qui aquam lamberunt, quo retinerentur ,fuit; nihil in iis, qui genua curvarunt, quo dimitterentur. Sed usus est Deus indicio de se penitus inani et inutili, quo ostenderet, totam victoriam non humanae, sed divinae virtuti acceptam referri oportere. Quis enim dux, delectum copiarum habiturus, non seligit studiose fortiores, robustiores, veteranos? At Gedeon iubetur futili penitus indicio delectum instituere, quo magis ipse et socii doceantur, non humanis praesidiis, sed Dei omnipotentia rem agi.

v. 6 « *Fuit itaque numerus eorum, qui manu ad os proiiciente lambuerant aquas, trecenti viri* », quorum singuli quadringenis quinquagenis obiiciebantur Madianitis; « *omnis autem reliqua multitudo flexo poplite biberat* ». v. 7 « *Et ait Dominus ad Gedeon : In trecentis viris, qui lambuerunt aquas, liberabo vos et tradam in manu tua Madian; omnis autem reliqua multitudo* », novem millia septingenti viri, « *revertatur in locum suum* », i. e. domum. « Quamquam et illud verisimile sit, illos reiectos et in domum suam abire iussos non procul ea nocte recessisse, et illa ipsa nocte, turbatis iam Madianitarum castris exiguis illis Gedeonis copiis, multos in certamen reversos et cum aliis, qui de novo accesserunt, persecutos esse Madianitas, eosque in illorum numero censeri, qui infra v. 23 dicuntur fuisse persecuti Madian » (*Bonfr.*). v. 8 « *Sumptis itaque pro numero cibariis et tubis, omnem reliquam multitudinem* », *Hebr.* *omnem virum Israelitam*, « *abire praecepit ad tabernacula sua* » Gedeon, — *Chald. in urbem suam*, *Syr. in haereditatem suam* (בחלקיה) *et in tentoria sua* : utique non intelligebant tabernacula castrensia — « *et ipse cum trecentis viris se certamini dedit* ». Secundum 3 Reg. 9, 9; Iob 2, 3; 27, 6; Prov. 3, 18; Is. 64, 6 vertendum : et ipse trecentis viris adhaesit, eos secum retinuit. His extollitur Gedeonis fides, cum trecentis indicio aquarum sibi assignatis alacriter ad pugnam procedentis : sensum igitur feliciter *Vulg.* expressit. *Tubae* commemorantur sane, quod eae in proelio fuerint adhibendae v. 16; dicunt, ob eandem rationem commemorari *cibaria*, quod ea sc. iis continerentur lagenis, de quibus ib.; sed ratio non est omnino cogens. Putat *Bonfr.*, sumpsisse illos viros secum cibaria aliquot dierum. « *Castra autem Madian erant subter in valle* ».

Textus hebr. defectu laborat : ויקחו את צדה העם בידם. Subiectum utique sunt trecenti viri Gedeonis. Verum si העם a praecedente צדה dependeat (*Vulg. LXX Chald.*), debebit hoc utique scribi in statu constructo. Sed ita exsurgit sensus minus commodus : Sumpserunt cibaria populi et tubas eorum. Quod erit interpretandum de tubis totius populi, quo sc. trecentorum singuli singulas nanciscantur tubas ; sed tum cibaria quoque erunt intelligenda totius populi, ut trecenti illi decem millium asportaverint annonam. — Aliam correctionem affert *Syr.*, העם scribens initio sententiae : Sumpserunt populus cibaria et eorum tubas — sensus de se planus. Dices, mirum esse *populum* h. l. vocari trecentos, cum eadem vox v. 7 reliquam multitudinem expresserit : at subiectis mutandis indulgent Hebraei. Durius tamen in hac textus restitutione צדה caret articulo. — Alia correctio est, ut pro צדה העם scribatur צדתיהם « cibaria eorum », seu potius « sua », sc. quae ipsis cum tubis assignavit Gedeon. Textus error sane antiquissimus, quippe qui versiones omnes praecesserit ; cuius difficultatem perspexisse auctorem *Vulg.*, ostendit translatio *pro numero*.

v. 9. Omnibus tandem secundum divinum placitum ad pugnam comparatis, nocte i. e. somnio (*Cai.*) Deus Gedeonem, ut expeditionem aggrediatur, monet. « *Eadem nocte dixit Dominus ad eum : Surge et descende in castra, quia tradidi eos in manu tua* ». Id adiecta v. 10 voce *solus* interpretata est *Vulg.* eo sensu, ut Gedeon iam nunc explorandi causa in castra solus irrepere iubeatur ; at *descendere* sine addito illico v. 11 de universo exercitu descendente adhibetur, et *tradere in manus* secus v. 2. 7. 14. 15 de clade ab exercitu infligenda praedicatur. Ergo verius *Vatabl.* : « Descende, ut sc. oppugnes castra et ea adoriaris ». v. 10 « *Sin autem (solus)* » — seu verius cum exercitu, nam propter oppositionem inter v. 10 et v. 9 לרדת eodem sensu sumendum est atque praecedens רד, i. e. de descensu imperatoris exercitu stipati, — « *ire formidas, descendat tecum Phara, puer tuus* ». *Hebr. descende tu et Phara etc.* « Voluit Deus Gedeonis animum erigere intellecta hostium trepidatione... Solet solitudo in qualibet re periculosa et tenebris pavorem augere; unius vero socii accessio vel totam vel magnam partem formidinis depellit » (*Bonfr.*). Ab ipso Deo invitatus primum descendens Gedeon non peccavit diffidentia. Phara autem, futurus alter testis trepidationis hostium, animos etiam maiores additurus erat Gedeonis turmae. Advertit *Keil,* descensum in castra hostilem v. 9 exprimi praepositione ב, descensum explorationis causa susceptum v. 10 praepositione אל. Dices : Si non sine formidine descensurus erat Gedeon trecentis stipatus sociis, quomodo idem supponitur absque formidine descensurus cum unico socio ? Respondeas, aliud esse palam ad certamen cum hoste numerosiore prodire, aliud vel cum unico socio furtim in castra hostilia irrepere : et nota Hebraeos tum non veste, non armis, non insignibus ullis a Madianitis fuisse distinctos. v. 11 « *Et cum audieris, quid loquantur* », « i. e. quonam sint animo » (*Vatabl.*),

« *tunc confortabuntur manus tuae, et (securior) ad hostium castra descendes* ». Voces non solum descensum cum copiis futurum praenuntiant, sed simul praecipiunt praemissa exploratione. « *Descendit ergo ipse et Phara, puer eius, in partem castrorum, ubi erant armatorum vigiliae* ».

אל קצה החמשים אשר במחנה. — החמשים etiam habetur Ex. 13, 18 ; Ios. 1, 14 ; 4, 12 et a *Vulg. Chald. Syr.* vertitur *armati*, item a traductore LXX libri Iosue. Ergo *ad extremitatem (Hebr.), initium (LXX Syr.), latus* seu *regionem (Chald.) armatorum, qui erant in castris*. In castris quippe Madianitarum erant greges, mulieres cum parvulis, mancipia (1 Reg. 30, 17), bellatores : ad eam partem castrorum descendit Gedeon, ubi bellatores erant et *vigilias* (*Vulg.*) agebant, quam partem ex v. 17 patet fuisse Hebraeorum manui proxime obiectam (*Vatabl.*). Quaeri potest, unde locis citatis voci חמשים significatio *armati* tribuatur. Neglecta *Masor.* punctatione eam putaverim revocari ad significationem *quinquaginta*, ad quam etiam LXX *Syr.* h. l. (cf. LXX ad Ex. 13, 18) recurrere : Hebraeorum sc., Philisthaeorum aliarumque gentium copiae in turmas millenorum, centenorum, quinquagenorum distribuebantur; cf. 1 Reg. 8, 12 ; 29, 2 ; 4 Reg. 1, 9 ; Is, 3, 3, dum pastores, mulieres etc gregatim incederent. Hinc *quinquagenarii* in veri nominis militum appellationem transiit, et החמשים locis parallelis citatis idem est, quod *turmatim*. Cf. *Calm.*

v. 12 « *Madian autem et Amalec et omnes Orientales populi fusi iacebant in valle, ut locustarum multitudo ; cameli quoque innumerabiles erant, sicut arena, quae iacet in littore maris* ». Comparatio arenae frequens : Gen. 22, 17 ; 32, 12 (13) ; Ios. 11, 4 ; 1 Reg. 13, 5 etc. Castrorum ambitus describitur, occasione eius, quod modo de *armatis* dicebatur. Idem praeparat narrationem somnii v. 13 : « *Cumque venisset Gedeon, narrabat aliquis somnium proximo suo, (et in hunc modum referebat, quod viderat) : Vidi somnium, et videbatur mihi quasi subcinericius panis ex hordeo volvi (et) in castra Madian (descendere)* ». Ἅπαξ λεγόμενον צלול vel צליל sec. versiones alias omnes, etiam *Ios.*, tortam panis seu placentam significat, licet de significatione radicis non constet. « *Cumque pervenisset ad tabernaculum, percussit illud atque subvertit, et terrae funditus coaequavit* ». *Hebr. percussit illud et cecidit et subvertit illud sursum, et ceciderat tabernaculum.* Primum *cecidit* omittit *Syr.*, quod tamen minime esse otiosum ostendit temporum diversitas ; ultimum verbum totum quasi eventum resumit : et ecce prostratum iacebat tabernaculum (*Keil*). Illo tabernaculo exprimi « universitatem tentoriorum » censet *Cai.*, sed perperam. Tentorium regis intelligit *Ios.*, neque ita multum officit, quatuor fuisse Madianitarum reges (7, 25 et 8, 5). Sed notandum, in suppressionibus nocturnis menti semper obiici periculum aliquod *proprium*, quo angatur somnians et ad extremum terrorem provocetur : hinc tabernaculum intellige ipsius militis narrantis.

Somnium istud a Deo immissum censent *Ser.*, *Bonfr.*, *Lap.* : fuit in causa, in timore sc. Gedeonis, quo omnes iam Madianitae afficiebantur. Audierant illi triginta duorum millium exercitum contra se colligi, quem numerum fortasse in immensum rumor exaggeraverat, diminutumque ipsi v. 3. 8 ignorabant. Audierant ducem hostium esse Gedeonem, qui Baalis aram impune evertisset, Iahve inspirationibus regeretur. Iahven, quasi de somno iam excitatum, praepotens montium numen (cf. 3 Reg. 20, 23) pertimescebant. Quos terrores mutuis foverant colloquiis. Tandem Madianita ille somno se dedit, in somniis nonnisi Gedeonem et Hebraeos perspiciebat. Naturalis is erat effectus timoris providente numine praevie incussi. « At », obiicit *Bonfr.*, « Deus nec voluit nec velle potuit, ut vano fallacique somnio Gedeon fidem haberet ». Non agebatur de fide habenda somnio ; sed ex somnio intelligenda erat somnii causa, timor somniantis ; et ex somnii expositione timor alterius Madianitae, ut ita disceret Gedeon, universa timore repleta esse castra. — Somnii genesim secundum *Scholz* II. 286 ita explicabis. Nomadae *tentorium* bonorum omnium summa erat, agricolam imaginabatur colendo et pinsendo *pani* unice addictum, eum despectui habebat, ei solum concesserat *hordeum* tritico abrepto ; hinc in somnio sibi effingit Israelitas imagine panis hordeacei, ruinam tentorio inferentis.

v. 14 « *Respondit is, cui loquebatur : Non est hoc aliud, nisi gladius Gedeonis, filii Ioas, viri Israelitae : tradidit enim Dominus in manus eius Madian et omnia castra eius* ». v. 15 « *Cumque audisset Gedeon somnium et interpretationem eius, adoravit* ». Potuit is adorationis seu prostrationis actus esse internus tantum, quod fortasse sentiebat *Chald.* vertens *Et laudavit.* « *Et reversus est ad castra Israel et ait : Surgite, tradidit enim Dominus in manus nostras* » — *Hebr. Chald. Syr. vestras* — « *castra Madian* ».

d) PROELIUM CUM MADIANITIS COMMITTITUR. — IUD. 7, 16-23

ARG. — Israelitae tribus cuneis hostium castra ingressi tubis canunt, lagenas complodunt, faces agitant, tesseram proclamant. Hostes occupat terror lateque fugientes invicem confodiunt.

v. 16 « *Divisitque trecentos viros in tres partes, et dedit tubas in manibus eorum* », — *Hebr. omnium* : haud otiosa vox, ut integra bellatorum turma non aliis praeter tubas armis instructa describatur — « *lagenasque vacuas ac lampades* », i. e. faces, « *in medio lagenarum* ». Lagenae illae seu hydriae aquam vel etiam farinam capiebant, humeris portabantur Gen. 24, 14 sqq. ; 3 Reg. 17, 12 sqq. ; 18, 34 ; Eccle. 12, 6. « Ad hoc vacuae hae hydriae assumptae sunt, tum ut in iis lampades abscondi possent, quibus subito apparentibus terror ingens hostibus incuteretur ; tum ut inter eas confringendas maior strepitus ederetur, quae res non parum ad terrorem istum hostibus inferendum conferret »

(*Bonfr.*). v. 17 « *Et dixit ad eos : Quod me facere videritis* », audieritis, quolibet tandem modo perceperitis, « *hoc facite : ingrediar partem* », extremitatem cf. v. 11, « *castrorum, et quod fecero, sectamini* ». v. 18 « *Quando personuerit tuba in manu mea, vos quoque per castrorum circuitum clangite* ». *Hebr.* nervosius : *Et clangam tuba ego et omnes, qui mecum sunt,* meae turmae homines (cf. v. 16); *et clangetis tuba etiam vos per totum castrorum circuitum.* Aliquod in his Pentateuchi vestigium deprehendit *Haevern.* p. 499, aliquem sc. Gedeonem effectum clangoris tubarum exspectasse secundum Num. 10, 9 : « Si exieritis ad bellum de terra vestra contra hostes, qui dimicant adversum vos, clangetis ululantibus tubis, et erit recordatio vestri coram Domino Deo vestro, ut eruamini de manibus inimicorum vestrorum ». Dein tubarum nocturnus clangor perturbaturus erat hostes. « *Et conclamate : Domino et Gedeoni* ». *Keri Chald. Syr. : gladius Domini et Gedeonis.* Verum id additamenti h. l. genuinum esse non videtur : ratio illius addendi ex v. 14. 20 prostabat, ratio eiusdem omittendi nulla. Tesseram bellicam oportebat esse brevissimam (*Ros.*). Sensum tesserae quod attinet, *Sa, Mar.* supplent « victoria », alii praelucente v. 14. 20 « gladius ». Verum tesserae ad instar nostrae efformatae exprimere solent, quarum partium quis sit, ergo : Domini sumus et Gedeonis. « Quod autem Gedeon nomen suum divino nomini adiunxerit, cum tamen Deus hanc victoriam sibi soli adscribi vellet (v. 2), non fuit insolentis animi et arrogantis; id enim veri simile est Dei imperio factum, idque eo fine, ut maior hostibus terror incuteretur. Iam enim inaudierant de exercitu a Gedeone contra se coacto, et iam nonnihil trepidare coeperant. Ut igitur scirent, a quo nunc impeterentur, et hac ratione maiore terrore corriperentur, conveniebat Gedeonem nominari » (*Bonfr.*). Ceterum hoc textu confirmatur, quod 6, 32 contra Wellh. monebamus, nomen viro primitus inditum fuisse Gedeon, non Ierobaal. Secus hoc alterum suae inseruisset tesserae, neque facile Samuel aliusve scriptor tesseram pluribus notam immutasset.

v. 19 « *Ingressusque est Gedeon et trecenti viri, qui erant cum eo* », — reliqui textus omnes *centum viri* : ergo v. 16 Gedeon suos in tres diviserat centurias — « *in partem* », *seu extremitatem* cf. v. 11, « *castrorum, incipientibus vigiliis noctis mediae, et custodibus suscitatis coeperunt buccinis clangere et complodere inter se lagenas* ».

Ergo *tres* Hebraei antiquiores numerabant noctis *vigilias*, quarum prior Thren. 2, 16 commemoratur, ultima Ex. 14, 24 et 1 Reg. 11, 11. Posterioribus temporibus Romanorum quatuor vigilias imitati sunt, Matth. 14, 25; Marc. 6, 48. Quod ignorans *Bonfr.* putavit acta haec esse « sub medium noctis, a quo tertiae castrorum vigiliae initium sumere solent, quae vigilia in Hebraeo dicitur custodia media, quia a media nocte

initium ducebat ». — *Hebr. tantum seu virdum excitaverunt custodes*, quod explicat *Cai.* : « Non attentaverunt aliquid facere adversus Madian, sed dumtaxat excitare custodes, procul dubio facto adventus ». At flaccida expositio; nec solos custodes excitavere, sed reliquos omnes. Unde alii, quod Hebraeis infrequens non est, subiectum h. l. mutari censent, et subiectum scribunt custodes primae vigiliae. Hinc *Bonfr.* iudicat, selectum utique esse « tempus opportunum, secunda vigilia recedente et tertia necdum in gradu et statione sua constituta », dum *Keil* adstruit, secundae vigiliae custodes suas vix stationes occupasse et omnia tuta reperisse, unde totus exercitus omni periculi metu solutus dormierit.

v. 20 *Hebr.* simpliciter incipit : *Et clanguerunt tres turmae tubis et confregerunt etc.* Narratur, quid tres centuriae Gedeonem imitatae egerint. « *Cumque per gyrum castrorum in tribus personarent locis et hydrias confregissent, tenuerunt sinistris manibus lampades et dexteris sonantes tubas, clamaveruntque : Gladius Domini et Gedeonis* ».

Ser. : « Fuit autem Gedeonis hoc insigne stratagema, totum prudenter excogitatum ad hostes subito ingentique metu perterrendum et exanimandum. *Nocturnum* erat *tempus*, quod suapte sponte terrorem cumulat; et *nocturni temporis medium*, quo augeri formido solet. *Subita* et inopinata erat *invasio*, et ingentem Israelitarum *multitudinem*, animorum *alacritatem* summam, pugnae *cupidinem* maximam, irruptionis vim ac *impetum* formidabilem prae se ferebant omnia. Tantus videlicet tubarum undique personantium clangor, tantus concussarum complosarumque undique lagenarum fragor, tanta collucentium undique ignium species, tantus conclamantium undique sonitus ac paene tonitru. Nam cum subito praeter omnem omnium opinionem, in summa totorum castrorum quiete altissimoque somno ista inciperent, in trepida omnium expergefactione ac perturbatione perseverarent, nullumque disquirendi, explorandi recteque iudicandi, quid ageretur, quot adessent, ubi vel quomodo resistendum esset, spatium relinquerent, mire conterriti fractique Madianitae omnes fuerunt ».

v. 21 « *Stantes singuli in loco suo* » — ita תחתיו vertunt etiam *Chald. Syr.*, et cf. Ex. 16, 29 — « *per circuitum castrorum hostilium* ». Stabant immobiles, « ut hos lampadophoros crederent Madianitae tantummodo aliis pugnantibus facem accendere » (*Bonfr.*). « *Omnia itaque castra turbata sunt et vociferantes (ululantesque) fugerunt* ». Reliqui : *et cucurrerunt universa castra et vociferata sunt et fugerunt. Keri* וינוסו *fugerunt* omnes tuentur versiones contra *Kethib* ויניסו *fuga salvaverunt.* Obiicit *Bertheau,* ita idem edici, quod iam voce וירץ *cucurrerunt* edicebatur; eiusmodi repetitiones Hebraeis non infrequentes; sed neque idem edicitur, etenim וירץ recte cum *Vatabl.* interpretabere « coepit trepidare ac discurrere huc illuc ». Primum de concursatione intra castra sermo est, dein de fuga ex castris. v. 22 « *Et nihilominus insistebant trecenti viri buccinis personantes* ». Simpliciter *Hebr. et*

clanguerunt trecenti tubis. Non agitur de tubis *secunda vice* personantibus (*Bertheau*), ut tum tandem Madianitae gladiis contra invicem saevire coeperint; sed factum v. 20 narratum resumitur, ut eius effectus plenius describatur. « *Immisitque* » — et posuit, convertit — « *Dominus gladium* » *uniuscuiusque contra proximum suum* — sequentem copulam melius omittes cum *Vulg. LXX Syr.* — « *in omnibus castris* », ubique castrorum, « (*et mutua se caede truncabant*) ». Quo tempore diversarum nationum milites vestitu aut armis haud distinguebantur, in nocturnis terroribus amici ab inimicis discerni non poterant, cf. 1 Reg. 14, 20; 2 Par. 20, 23. — v. 23 « *Fugientes usque ad Bethsetta* » — *Saredam versus* reliqui omnes h. l. adiiciunt — « *et crepidinem* », seu potius « confines », « *Abel Mehula in* », i. e. ultra « *Tebbath* ».

Bethsetta et *Tebbath* ignotae. Illam *Guérin* (Samarie I. 301 sqq.) coniicit eandem esse, quae nunc Chouttah (alias Schatta) audit, in via a Iezrael in Bethsan sitam; dum p. 276 sqq. *Abel Mehulam* suggerit esse Kharbet Hammam el Maleh (alias Chirbet Malih), fere medio spatio interiectam inter Tubas (Thebes) et Iordanem. Ad Abel Mehula cf. 3 Reg. 4, 12 (Hebr.) : « Bana, filius Ahilud, regebat Thaanac et Mageddo et universum pagum Bethsan, qua est a parte Sarthana (צרתנה) infra Iezrael, a Bethsan usque Abel Mehula ex adverso Iecmaan ». Ergo Abel Mehula erat ex adverso Iecmaan (1 Par. 6, 68; appellatae Cibsaim Ios. 21, 22), civitatis levitarum in tribu Ephraim. *Sareda* (absque ה locali 3 Reg. 11, 26, patria Ieroboam) 2 Par. 4, 17 describitur haud longe abfuisse a Soccoth, urbe transiordanica prope locum, ubi Iaboc immittitur in Iordanem (Gen. 33, 17; cf. 32, 22. 30), tribui Gad assignata Ios. 13, 27. Sed eadem illa urbs 3 Reg. 7, 46 Sarthan (צרתן) audit, estque fortasse eadem cum Sarthana Ios. 3, 16 prope locum sita, ubi Israelitae Iordanem traiecerant duce Iosue. Sufficienter iam perspicimus, qua via Madianitae fugerint : a planitie sc. Iezrael Bethsan versus, et hinc Iordanis depressionem secuti ad vada, quae non ita longe aberant a Iaboc flumine meridiem versus. Idem confirmat v. 24.

e) Fugientes insequuntur Israelitae. — Iud. 7, 23-8, 27

Ephraimitarum acta. — *Iud.* 7, 23-8, 3

Arg. — Evocati Israelitae circum incolentes, imprimis Ephraimitae, vada Iordanis occupant duorumque principum Madianitarum capita Gedeoni trans Iordanem deferunt. Stomachantes, primas sibi expeditionis partes non fuisse delatas, benigno sermone compescit Gedeon.

« *Conclamantes autem viri Israel de Nephthali et Aser et omni Manasse persequebantur Madian* ». Hae tribus cum Zabulon, cuius nomen h. l. non exprimitur, 6, 35 ad Gedeonis confluxerant exercitum, 7, 6 ab eo fuerant dimissae, sed nondum longius abscesserant. Cf. dicta ad v. 6.

— v. 24 « *Misitque Gedeon nuntios in omnem montem Ephraim, dicens : Descendite in occursum Madian, et occupate aquas usque Bethbera atque Iordanem* », i. e. aquas inde a Sareda vel Abel Mehula vel Tebbath usque Bethbera (*Calm.*), locum ignotum, quem tamen licet supponere haud longe abfuisse a Iordanis in Mare Mortuum ingressu : is enim erat tractus fluminis, qui suapte natura Ephraimitis defendendus obtingebat. *Aquae* h. l. re idem sunt atque *vada* (*Chald.*). Voces *atque Iordanem* cum *Tremell., Cler.* expone sensu explicativo : « nempe Iordanem ». *Ios.* videtur intellexisse alios quosdam rivos in Iordanem se immittentes : sed secus (cf. 3, 28; 12, 5) semper de solis Iordanis vadis occupandis sermo est. Neque absonum est, verba « nempe Iordanem » aliquod esse epexegema versionibus omnibus antiquius, quo tempore iam Bethberae situs ignoraretur adiectum. « *Clamavitque omnis Ephraim, et praeoccupavit aquas atque Iordanem usque Bethbera* ». Primitus h. l. *Vulg.*, uti *Hebr. LXX. Chald.*, legebat *usque Bethbera atque Iordanem.* v. 25 « *Apprehensosque duos viros* » *principes* « *Madian, Oreb et Zeb* », — Corvum et Lupum : tribus, quae rapinis vivunt, consuevere suis rapacium animalium indere nomina — « *interfecit Oreb in Petra Oreb* » (Is. 10, 26), « *Zeb vero in torculari Zeb* ». Haec duo loca a duobus proeliis nomen accepere, in quibus duo principes Madianitae devicti obiere. Quorum proeliorum ideo vel maxime fit mentio, ut in ipsis locorum nominibus lectori perenne ostendatur eorum, quae narrantur, monumentum : eo enim argumenti genere (cf. 6, 24) noster delectatur auctor. יקב non est tam ipsum *torcular,* quam cupa in quam expressus uvarum succus e torculari decurrit, quae erant excavatae et complanatae; unde *Chald.* vertit *planitiem.* Nota, nomine torcularis seu cupae potuisse etiam designari locum aliquem, planum et collibus circumdatum, in quo proelium habitum sit; idque eo magis, quod s. scriptura figurative nonnunquam loquatur de hostibus devictis tamquam in torculari conculcatis. « *Et persecuti sunt Madian, capita Oreb et Zeb portantes ad Gedeon, trans fluenta Iordanis* ».

מעבר modo significat *de trans* (Ios. 24, 3; Soph. 3, 10; Iob 1, 19.), modo *trans.* Sed, quidquid sit de sensu vocis מעבר, expressio מעבר לירדן in libris antiquioribus semper significat *trans Iordanem* : cf. Num. 22, 1; 32, 19. 32; 34, 15; 35, 14; Ios. 13, 32; 14, 3; 17, 5; 18, 7; 20, 8; et aequiparatur expressionibus מעבר הירון Ios. 22, 7; עבר הירדן Deut. 4, 49; Ios. 13, 27, et בעבר הירדן Gen. 50, 10; Deut. 1, 1. 5; 3, 8. 20. 25; 4, 41. 46. 47; 11, 30; Ios. 1, 14. 15; 2, 10; 5, 1; 7, 7; 9, 1. 10; 12, 1. 7; 13, 8; 22, 4; 24, 8. Ergo h. l. cum *Vulg. Syr.* vertendum *trans*; non cum LXX *de trans.* Putabat *Ser.*, hoc *trans* intelligi de trophaeis ex transiordanica, quo iam penetraverint Ephraimitae, in cisiordanicam regionem deportatis, quod nonnisi 8, 4 Gedeon flumen traiecisse narretur : at 8, 4 tempore plus quam perfecto construendum est, uti iam *Cai.* perspexerat. Minus accurate loquitur *Bertheau* disquirens, sitne il-

lud *trans* scriptum e mente Gedeonis an Ephraimitarum : scriptum est, uti alias, e mente scriptoris et lectoris Palaestinensis ; nec nisi quo tempore ipsi adhuc Israelitae sub Moyse vel Iosue in orientali fluminis plaga versabantur, quandoque regio ad occasum fluminis transiordanica audit : cf. Deut. 3, 25 ; 11, 30 ; Ios. 5, 1 etc ; et *Cornely* II. 1. 93.

Cap. VIII. Tres sequentes versus intime cum narratione praecedente connectuntur. v. 1 « *Dixeruntque ad eum viri Ephraim : Quid est hoc, quod facere (voluisti), ut nos non vocares, cum ad pugnam pergeres contra Madian* ? » Ad eiusmodi querelas proni prae ceteris erant Ephraimitae, cf. 12, 1. Quos censet *Calm.* iniuria a Gedeone non esse vocatos : tamen neque ab aliis iudicibus tribus omnes vocabantur. « *Iurgantes fortiter (et prope vim inferentes)* ». Simpliciter *Hebr. Et iurgabant cum eo violenter* (cf. 1 Reg. 2, 16). v. 2 « *Quibus ille respondit : Quid enim tale facere (potui), quale vos fecistis* ? » Quaestionem propositam declinans Gedeon modeste sua gesta cum illorum gestis confert, illa deprimit, haec extollit. Quid querimini, quod vos non vocaverim ad societatem facinoris, vestro facinore longe inferioris ? « *Nonne melior est racemus Ephraim vindemiis Abiezer* ? » « Racematio est ea racemorum collectio, qui perpauci post vindemiam remanere vel per incuriam vel per nimiam festinationem ac foliorum densitatem solent » (*Ser.*). « Proverbium » eam sententiam dicit *Lap.* Iam quid vindemia, quid racematione intelligatur, praecedens atque sequens prodit sententia. Igitur vindemia est Gedeonis trecentorumque sociorum nocturnus tumultus ; post quos Ephraim veluti racemos legens iustis proeliis hostes fudit, duobus principibus interemptis. Quod factum effectu excellentius fuit ipsa Gedeonis victoria. « Maiorem gloriam reportabitis ex hoc certamine vos, qui advenistis confecto bello, quam ego, qui illud incepi » (*Vatabl.*). Minus apte sensum circumscribit *Chald. : Nonne meliores sunt debiles Ephraim fortibus Abiezer ?* Iam qualis illa racematio fuerit, describitur. v. 3 « *In manus vestras Dominus tradidit principes Madian, Oreb et Zeb : quid tale facere potui, quale vos fecistis ? Quod cum locutus esset, requievit spiritus eorum, quo tumebant contra eum* ».

Gedeonis acta. — Iud. 8, 4-17

Arg. — Viri Soccoth et Phanuel annonam Gedeoni praebere recusant, quod Zebee et Salmana, Madianitarum reges, nondum in eius sint potestate. Reges Gedeon opprimit et capit, Soccoth et Phanuel destruit.

Praeoccupaverat narratio, quaecunque ad Ephraimitas spectabant ; nunc plus quam perfecto exprimenda revertitur ad ea, quae evenerant,

quo tempore ipse Gedeon hostes insecutus Iordanem traiiciebat. v. 4 « *Cumque venisset Gedeon ad Iordanem, transivit eum cum trecentis viris, qui secum erant; et prae lassitudine fugientes persequi non poterant* ». Constructio secundum *Hebr.* : *Cumque venisset Gedeon ad Iordanem, transiens etc, lassi et persequentes, dixit etc.* Quae duo participia *Keil* explicat « lassi a persequendo », *Vatabl.* « lassi, et tamen persequentes ». Potest etiam mera participiorum iuxtapositio defendi, ut duae assignentur rationes, ob quas annona fuerit petita : lassitudo itineris confecti et continuanda hostium insecutio. Utroque argumento sollicitandi erant Israelitae transiordanici, quo ferrent suppetias fratribus : v. 5 « *Dixitque ad viros Soccoth* » : — ibi Gen. 33, 17 (cf. 32, 2. 30; 33, 18) Iacob, de Mesopotamia per Mahanaim et Phanuel pergens montem Seir versus ac deinde Sichimam versus iter flexurus, tabernacula posuerat; urbs tribus Gad, in australi plaga fluminis Iaboc sita Ios. 13, 27 ; Ps. 59 (60), 8 enumerat Soccoth et Sichem, ad designandum agrum et trans et cisiordanicum, ergo videntur civitates e regione fuisse neque ita multum distantes inter se. Ex textibus s. scripturae omnino efficitur Soccoth in ripa fluminis orientali fuisse : quodsi igitur recentiores aliqui (*Baedeker-Socin*, *Guérin* etc) in ipsa occidentali ripa, medio fere itinere inter Bethsan et Iabocum, describunt locum quemdam Sakut, is alius a nostro Soccoth sit oportet. Et ita sentit ipse *Guérin*, Samarie I. 270 sqq. — « *Date, obsecro, panes populo* » — *Hebr. tortas panis,* et *Syr.* satis apte explicat *singulas singulis* —, « *qui mecum est, quia valde defecerunt, ut possimus persequi Zebee et Salmana, reges Madian* ». Recte notat *Bonfr.*, etiam Num. 31, 8 quinque reges Madian enumerari, unde non sit mirandum, nostram etiam narrationem plures recensere. *Hebr. et ego persequens etc* : duo motiva v. 4 indicata resumuntur, quod sint exhausti viribus, et in persequendo communi hoste occupati.

v. 6 « *Responderunt principes Soccoth* » : — plurali verbum scribunt versiones omnes; aut ו excidit aut, quod planius, ultima consonans ornanda signo kibbuz — « *Forsitan palmae manuum Zebee et Salmana in manu tua sunt* », manus revinctae neque iam armis gestandis pares. *Chald.* omissa metaphora *Numquid utinam nunc Zebee et Salmana in manibus tuis sunt* ? Leges dictas, quasi iam inimicum subactum tenens, « *et idcirco (postulas, ut) demus exercitui tuo panes* ». Madianitas vel fugientes formidant, reversuros minime dubitant ; tantopere omni fide divina destituuntur, ut vel irrideant Gedeoni. Id in incolis Soccoth itemque Phanuel (v. 8) tanto luctuosius, quod uterque locus patriarchae Iacob memoria consecratus (cf. etiam Gen. 32, 32) fuerit, ideoque vividior ib. fides et fiducia merito exspectaretur.

v. 7 « *Quibus ille ait : Cum ergo tradiderit Dominus Zebee et Salmana in manus meas, conteram carnes vestras cum spinis tribulisque deserti* ». Sensus illius *ergo* videtur esse hic : Vobis futuram meam victoriam et ius petendae annonae in quaestionem vocantibus, sententiam *ergo* ferat Deus ipso eventu : si mihi victoriam largiatur, vos poenam sustineatis. Verum unde Gedeoni *ius* annonae postulandae et recusantibus extrema quaeque minandi ? Respondet *Calm.*, « ex bellicis legibus ius esse non postulandi modo, sed vi rapiendi adigendique, ut necessaria exercitui sufficiantur ; quin et recusantes vi cogere in his rerum articulis illae permittunt ». Sed num eaedem ius etiam tribuunt, in reditu bellicae expeditionis atque omni iam discrimine remoto vis aliis inferendae ? Ergo alia addenda ratio. Gedeon repetitis Dei revelationibus, quae portento nocturnae victoriae confirmatae fuerant, indubie designatus fuerat dux expeditionis ab Israelitis contra Madianitas ineundae : quem Israelitae quilibet omni ope in hac expeditione adiuvare obligabantur. Cf. *Bonfr.*

Omnes alii h. l. *cum spinis deserti tribulisque*, eundemque verborum ordinem v. 16 servant praeter *Syr.* omnes. Ἅπαξ λεγόμενον ברקן *spinas* vertunt *Aq.* et *Syr.*, qui eadem voce קורטבא etiam utitur Is. 34, 13 ; Matth. 7, 16 ; Hebr. 6, 8, quibus locis indubie de *spinis* est sermo. Sed voce ancipiti utitur *Vulg. tribulis* (licet verborum ordo h. l. spinas intelligi suggerat), *Chald.* ברקניא, *Symm.* τριβόλοις ; quae voces vel *tribulos* significant seu spinas, vel *tribula* i. e. currus acutis lapidibus seu laminis ferreis instructos. Immo, quod vox chald., quae eadem sit cum hebraea, anceps sit, licebit concludere hebraeam quoque ancipitem esse ; quodsi admittatur, absque dubio ea h. l. vox *tribula*, non *tribulos* designare censenda erit, ut ex adiecto verbo *conteram* seu *triturabo* colligitur. Cf. 2 Reg. 12, 31.

v. 8 « *Et inde conscendens venit in Phanuel* » (Gen. 32, 30), locum prope flumen Iaboc situm (ib. v. 22 sqq.), « *locutusque est ad viros loci illius similia. Cui et illi responderunt, sicut responderant viri Soccoth* ». v. 9 « *Dixit itaque et eis : Cum reversus fuero victor in pace, destruam turrim hanc* » ; quam ad suam rerumque suarum defensionem exstruxerant, et in qua se a Gedeone plane protectos arbitrabantur.

v. 10 « *Zebee autem et Salmana (requiescebant) cum omni exercitu suo* » — *in Carcar* legunt h. l. reliqui omnes. « *Quindecim enim millia viri remanserant ex omnibus turmis orientalium populorum* », *Hebr. de universo exercitu filiorum Orientis*, « *caesis centum viginti millibus bellatorum educentium gladium* ». « Hinc coniici potest, quam ingens fuerit multitudo orientalium discurrentium, erant enim inter eos tot millia bellatorum » (*Cai.*). v. 11 « *Ascendensque Gedeon per viam eorum, qui in tabernaculis morabantur* », — recte *Chald. per viam castro-*

rum Arabum habitantium etc, per viam, quae ducit ad castra nomadum, ideoque ab his utique etiam frequentatur — « *ad orientalem partem Nobe et Iegbaa, percussit castra hostium, qui securi erant, (et nihil adversi suspicabantur)* ». Merito suggerit *Bonfr.*, adortum esse Gedeonem hostes noctu, quo tempore, quam parvum secum haberet exercitum, perspicere illi non potuerint. Ceterum inde a Iordane vix dubium, quin plures alii trecentis illis se iunxerint.

Nomen *Carcar* putaverim cum *Bonfr.* e *Vulg.* excidisse, quae dein vocem *requiescebant* claritatis gratia supplevit. Est aliqua civitas Carcar prope Emath, cuius meminerunt inscriptiones regum Assyriorum (cf. *E. Schrader* : Keilinschriften u. das A. T.) ; ea h. l. intelligi nequit. *Hier.* in *Eusebii* Locis Hebr. translatis : « Carcar, ubi filii erant Zebee et Salmana, quos interfecit Gedeon, et est usque hodie castellum cognomento Carcaria, unius diei itinere a Petra distans ». Plures post *Ges.* defendebant, hanc Carcariam intelligi non posse, quod longius meridiem versus abesset. Potuit tandem et alia aliqua Carcar esse, nobis ceteroqui ignota. *Nobe* ex Num. 32, 42; 1 Par. 2, 23, prius Chanath vocata, erat Manassaeorum transiordanicorum civitas, quae ceteris longius desertum versus porrigebatur, eiusmodi quippe loci Num. 32, 41 sq. describuntur; creditur eadem esse, quae nunc Kanawath audit, in via quae Damasco tendit Bostram Trachonitidis. *Iegbaa* Num. 32, 35 tribui Gad assignatur. Iamvero noster textus non edicit, Gedeonem Nôben et Iegbaam profectum esse, licet Iegbaae fortasse fuerit, multoque minus edicit, prope alterutram earum urbium dimicasse; sed incessisse via nomadum, quae *ad orientem* earum urbium, a septentrione meridiem versus decurrat : viam sc. nomadum, Hebraeis parum notam, describit per illas duas solas urbes Hebraeorum, quae illam non quidem attingebant, attamen sat prope ad illam accedebant. Potuit ea via facile esse eadem, qua nunc Damasco Meccam itinerantes utuntur. Ea via Madianitas adortus est Gedeon, qua ille minime adventurus exspectabatur, dum isti se potius a parte tribus Iuda adortum iri timerent. Longius quidem iter, sed prae aliis etiam Iudaeorum heroibus audacior Gedeon et in Deo fidentior. Melius tandem, his suppositis, intelligitur ironia virorum Soccoth, qui Gedeoni profitenti se velle Madianitas persequi et assequi, respondebant : Nondum illos tenes, longius tibi ad Madianitidem iter.

v. 12 « *Fugeruntque Zebee et Salmana, quos persequens Gedeon comprehendit, turbato omni exercitu eorum* ». *Gedeon* h. l. ignorant reliqui, sed v. 13 scribunt *Gedeon, filius Ioas* : non inepte ibi eius viri nomen et origo recensentur, ad quem summa victoriae pertinebat.

v. 13 « *Revertensque de bello ante solis ortum* », v. 14 « *apprehendit puerum de viris Soccoth, interrogavitque eum nomina principum et seniorum Soccoth, et descripsit septuaginta septem viros* ». *Hebr. interrogavitque eum descripsitque ei*, i. e. vel puer descripsit Gedeoni, vel

Gedeon sibi, vel puer mediate dictans Gedeoni. Non est igitur, cur cum *Cassel* eius pueri sapientiam commendes, qui scribere didicerit. Praeterea nomine *pueri* iuvenes etiam et viros designari, quis ignoret ?

Ante solis ortum, non eadem, qua ceperat reges, nocte ; sed aliqua nocte, quo doceamur, qui Gedeon Soccothitas appropinquans latere potuerit. Sed aliter מלמעלה החרס intellexere reliqui. Et priorem quidem vocem corruptam legebat *Chald.*, alteram interpretatus est *solem*. Quae significatio vocis indubia est ; neque obstat, eam nonnisi raro et in posterioribus libris voci affigi, cum narrator actorum Gedeonis certe stylo usus sit quadamtenus peculiari (cf. pronomen ש 6, 17 ; 7, 12 ; 8, 26, quod ceterum nonnisi recentiorum est scriptorum), neque repugnet in eius iam tum dialecto quaedam usuvenisse, quae apud reliquos nonnisi serius scribi coeperunt. LXX ἀπὸ ἐπάνωθεν τῆς παρατάξεως Ἀρές, ubi τῆς παρατάξεως ex praecedentibus repetitum irrepsit. *Theod.* ἀπὸ ἀναβάσεως Ἀρές (vel ὄρους). *Symm.* ἀπὸ ἀναβάσεως τῶν ὀρῶν, legens הרים pro חרס. *Aq.* ἀπὸ ἀναβάσεως τοῦ δρυμοῦ, legens חרש. *Syr. ab ascensu Cheres*. Ergo LXX *Syr.* intellexerunt *locum* aliquem : *de ascensu Hacheres*. Reapse sensum *ascensus, clivi, collis* habet vox מעלה, quomodovis punctetur. Nota tamen, מעלות 4 Reg. 20, 9 sqq. designare ascensiones seu gradus solis in horologio, ergo non plane arbitrarie vocem Hier. ad solem retulisse. Aliunde locus Hacheres h. l. solum nominatur. Rem in dubio relinquimus.

v. 15 « *Venitque ad* » *viros* « *Soccoth et dixit eis : En, Zebee et Salmana, super quibus exprobrastis mihi dicentes : Forsitan manus Zebee et Salmana in manibus tuis sunt, et idcirco (postulas, ut) demus viris, qui lassi sunt (et defecerunt), panes* ». v. 16 « *Tulit ergo seniores civitatis et spinas deserti ac tribulos* », — de ordine verborum diximus ad v. 7 — « *et contrivit cum eis (atque comminuit) viros Soccoth* », principes sc. et seniores, a quibus solis v. 6 iniuria fuerat affectus. v. 17 « *Turrim quoque Phanuel subvertit, occisis habitatoribus civitatis* ».

Kethib וידע *et scire fecit,* experimento erudivit viros Soccoth. *Keri* וירע *confregit*, *Vulg. contrivit*, *Chald. confregit*, *Syr. cruciavit*, *LXX trituravit* vel *disrupit*. *Ser.* pro וידע censuit legendum וידש : « quia verisimile videtur eodem hic scriptorem verbo uti, quo in minis usus erat antea v. 7 ; at ibi erat usus verbo דוש, non ידע ». Consentitque *Kaulen* p. 184. « Confirmant id noster interpres, qui eodem conterendi verbo utrobique transfert, et LXX, quibus idem etiam utrobique verbum ἀλοᾶν i. e. *triturare* ». Et consentit *Bertheau*. Sed hae rationes non sunt sufficientes, omniaque explicantur, si statuamus versiones, dum nostrum reddebant keri, simul tamen v. 7 in memoria habuisse. — Ceterum etiam kethib, quamvis nulla ei versio suffragetur, in textu aliquid, quo commendetur, habet. Distinguit is sc. *viros Soccoth* et *seniores Soccoth* : ergo tormento seniorum Soccoth erudivit viros Soccoth, eos docuit reverentiam iudici a Deo suscitato exhibendam (*Ew.* II. 547).

Expeditioni finis impositus. — *Iud.* 8, 18-27

Arg. — Zebee et Salmana homicidii convicti interimuntur. Oblatum regnum Gedeon declinat, inaures impetrat atque ex illis suo Ephraensi

sanctuario ephod comparat; quod postea superstitionis et ruinae fit occasio.

v. 18 « *Dixitque ad Zebee et Salmana : Quales fuerunt viri, quos occidistis in Thabor ?* » Cum hi reges in Carcar non fuerint interfecti, neque prope Phanuel interfecti narrentur, et interfuerit eorum neci Iether, filius Gedeonis iunior, qui non videtur patris in expeditione fuisse socius, hinc probabile apparet, quod habet *Ios.*, Ephrae post reditum reges esse morti traditos. Species aliqua iudicii adhibebatur. Viri, de quibus agitur, sane non iusto proelio, sed iniqua interierant oppressione. « *Qui responderunt : Similes tui, et unus (ex eis) quasi filius regis* ». « Responderunt illi cum tacita quadam laudatione ac veluti adulatione : Tui, o Gedeon, similes fuerunt et tamquam regum filii. Quasi dicerent : Praeclara tua est forma, corpus regium, species digna imperio » (*Ser.*). Ceterum regiam quamdam maiestatem ore prae se tulisse Gedeonem, ostendit v. 22. Iudicum nullus illo, quantum perspicere valemus, nobilior, in agendo fortior, in iudicando moderatior, in fide firmior.

איפה secus *ubi* : sed recte *Vulg.* vertere *quales*, ostendit responsum; neque de viris interfectis, ubi sint, quaeritur. — *Ex eis* claritatis gratia addidit *Vulg.*, *unus* omittunt LXX *Syr.* Cur ille *unus* frater prae ceteris laudetur, non perspicitur, uti neque cur is dicatur *sicut aspectus filiorum regis*, numero plurali. Neque אחד sensum habere potest *quilibet* (*Ser.*, *Sa*). Facillime אחד ex repetita voce תאר oriri potuit, nam literae ת et ח antiquitus forma erant simillimae.

v. 19 « *Quibus ille respondit : Fratres mei fuerunt, filii matris meae. Vivit Dominus, quia, si servassetis eos, non vos occiderem* ». Furore non abripitur Gedeon sed, licet ob iniustum illatum bellum iure illos reges interimere potuerit, aliam quaerit causam ignominia plenam, cuius illos summo cum probro condemnet. Homicidium in homicida Israelita morte luendum lege erat Lev. 24, 17 : quanto iustius in homicida Madianita ? — Quomodo autem Gedeon profiteri poterat, se Madianitas reges servaturum fuisse, cum Num. 25, 17 Madianitae interimendi praecipiantur ? Vere respondent *Ser.*, *Menoch.*, eam legem pro eo solo, quo ferebatur, tempore valuisse. Addit *Malv.*, servaturum fuisse Gedeonem reges, quo fratrum, si superstites servati essent, procuraret libertatem. v. 20 « *Dixitque Iether primogenito suo : Surge et interfice eos* ». Filium iubet ad maiorem illorum regum ignominiam (cf. v. 21), et ut disceret filius in hostes populi gladium stringere sibique sua manu aliquam laudis partem in hac victoria vindicaret (*Ser.*). « *Qui non eduxit gladium; timebat enim, quia adhuc puer erat* ». Tamen, quod Gedeon puerum designaverit, ostendit eum illis interficiendis non omnino fuisse imparem : at non ita fide excellebat Iether, ut parvulus adultos

aggrederetur, sicut pater eius cum trecentis immensum fuerat aggressus exercitum. Qui pronus nunc ad pusillanimitatem, pronum postea etiam fortasse se praebuit ad superstitionem, cf. v. 27. — v. 21 « *Dixeruntque Zebee et Salmana : Tu surge et irrue in nos, quia iuxta aetatem robur est hominis* ». *Hebr. sicut homo, ita robur eius.* « *Surrexit Gedeon et interfecit Zebee et Salmana, et tulit (ornamenta ac) bullas* », — unicam vocem השהרנים habet *Hebr.*, quam et etymologia et versiones (LXX *Syr.* : cf. etiam Is. 3, 18, ubi *Vulg. lunulas*) *lunulas* verti iubent, aureas sc. vel argenteas — « *quibus colla (regalium) camelorum decorari solent* ».

Post tot fortiter atque religiose gesta in eo quoque laudandus Gedeon quod oblatam sibi regiam dignitatem declinaverit. v. 22 « *Dixeruntque (omnes) viri Israel ad Gedeon : Dominare nostri tu, et filius tuus, et filius filii tui, quia liberasti nos de manu Madian* ». Recte *Calm.* : « Gestum est hoc, postquam Israelitae omnes, qui in expeditionem Madianiticam venerant, collecti fuerunt ad Gedeonem, tum ut gratias agerent, cum ut dividerent hostis exuvias. Illum poposcerunt in regem et copiae eius et quicunque in partem eius expeditionis venerant, i. e. tribus Ephraim, Manasse, Aser, Nephthali et Zabulon, et facile etiam Issachar. Nec Iuda, nec Beniamin, nec Dan, neque Simeon, nec tribus transiordanicae eo convenisse videntur ». Hinc merito etiam notat *Bonfr.*, « non fuisse Israelitas a culpa immunes, quod istiusmodi principatum Gedeoni detulerint Deo non consulto ». Excusari tamen in hac re tanto facilius posse videntur, quod oblatum Gedeoni regnum non ita aegre tulisse videatur ipse Deus, atque postmodum 1 Reg. 8 Samueli extortum. Iuste tandem *Bonfr.*, *Menoch.* respuunt sententiam *Ser.*, *Lap.*, oblatum esse regnum Gedeoni et filio et nepoti soli, exclusa nepotis posteritate : quin potius eadem subintelligitur. Neque v. 23 Gedeon, eandem dignitatem pro se et filio declinans, pro nepote censendus est non declinasse, « sed in radice praeciditur ramus, in stirpe herba vellitur » (*Ser.*).

Gratis adstruit *Ios.*, voluisse h. l. Gedeonem *iudicis* officio se abdicare, sed illud retinere coactum esse. Nihil abdicatur : id, quod obtruditur, recusatur. Agi de *regno* ei deferendo perspexit *Chald.*, verbo משל de se sat claro substituens alterum etiam magis explicitum מלך. *Lap.* : « Dominare, sc. mero et pleno iure quasi rex ». Ubi exsurgit quaestio, quaenam fuerit regiam inter et iudiciariam potestatem differentia. Unum nostro textu effertur discrimen, quod regia potestas fuerit *haereditaria*. Adde alterum, quod regnum, uti a Deo primitus intendebatur et Deut. 17 fuerat promissum, futurum erat *universale* duodecim tribuum, dum iudex vix ullus tribubus omnibus praeerat. Praeterea iudices, quod potestatem in alios non essent transmissuri, neque stabilibus institutis

securitati reipublicae providerunt, quod fecit Saul cohortem sibi circumdans praetorianam 1 Reg. 13, 2, et David variis institutis publicis officiis. Addunt *Ser.*, *Bonfr.* aliique, minus *absolutum* fuisse iudicis imperium, quod omnia ei ex synedrii placitis essent agenda : cuius assertionis nullum equidem vidi argumentum. Cf. quae diximus n. 5.

v. 23 « *Quibus ille ait : Non dominabor vestri, nec dominabitur in vos filius meus, sed dominabitur vobis Dominus* ». Cave, cum quibusdam defendas, per iudices quidem dominatum esse Israelitis Deum, non item per reges. Regnum Deut. 17 a Deo promittebatur et quidem, quod ex Iud. 2 patet, tamquam institutum nobilius atque perfectius. Iudicum quippe administratio intime connectitur cum gentibus in terra s. aliquamdiu perseverare permissis, cum oppressionibus identidem Israelitis ob idololatriam inflictis, cf. 2, 23 : « Dimisit ergo Dominus omnes nationes has, et cito subvertere noluit ». Dominabatur Israeli Deus per iudices a se suscitatos, dominabatur per reges sponte concessos ; quamdiu regem ipse non designasset, idem erat regem creare atque divino se dominatui subducere.

v. 24 « *Dixitque ad eos : Unam petitionem postulo a vobis : Date mihi* » — reliqui addunt *singuli* — « *inaures ex praeda vestra. Inaures enim aureas Ismaelitae habere consueverant* ». Iam defendebat *Ser.*, singulos a singulis annulos esse postulatos; sed recte advertit *Calm.*, posse etiam cum *Vulg.* singularem collective intelligi.

נזם *annulum* significat, qui modo auribus, modo naribus inserebatur : Gen. 24, 47 ; 35, 4 ; Prov. 11, 22 ; Is. 3, 21. — *Hebr. quoniam annuli aurei ipsis, quoniam Ismaelitae ipsi.* Asseritur Ismaelitis mos fuisse gerendorum annulorum aureorum : utrique voci insistitur, unde utique sequitur (*Bertheau*), sat opulentos fuisse Ismaelitas. — *Ismaelitae* non soli intelliguntur « filii orientis » (*Cler.*), sed simul etiam Madianitae et Amalecitae (*Calm.*). Iidem Gen. 37, 25. 27 Ismaelitae, qui v. 28. 36 Madianitae audiunt.

v. 25 « *Qui responderunt : Libentissime dabimus. Expandentesque super terram pallium, proiecerunt in eo inaures de praeda* ». Praefigitur *pallio* particula את, ergo illud pallium, quod hoc ipso usu factum est determinatum ; sed LXX uno vav omisso legebat *expandensque* sc. Gedeon *super terram pallium*, utique suum. v. 26 « *Et fuit pondus postulatarum inaurium mille septingenti auri sicli* » seu Kg. 27, 829. — *Sicli* in *Hebr.* non exprimuntur, sed subintelliguntur, cum talentorum summa foret aequo immanior (*Ser.*). « *Absque ornamentis* », i. e. lunulis cf. v. 21, « *et monilibus, et veste purpurea, quibus reges Madian uti soliti erant, et praeter torques aureas camelorum* », *Hebr. et praeter torques, quae in collis erant camelorum*, utique pretiosos.

נטיפות iam *Rabbini* derivabant a נטף « guttatim defluere », hinc *guttae*, interpretanturque aliqui *inaures* guttae formam imitantes. Sed *Vulg.* LXX h. l. et Is. 3, 19 *torques*, item *Syr.* h. l. ; ad quem sensum etiam *Chald. corona*, i. e. aliquid in orbem contortum, revocari potest, quae eadem vox Cant. 4, 9 *torquem* exprimit. — ענק etiam Cant. 4, 9 ; Prov. 1, 9 *torquem* significat. — *Bertheau, Keil* censent, quae hic enumerantur, Gedeoni non esse data, ut sensus sit : Quae Gedeoni obvenere, mille septingentos auri siclos effecere, non computatis aliis bene multis, quae in alios fuere divisa. Textus, uti iacet, non edicit, ad quem ornamenta haec etc pertinuerint, sed mere statuit pretium annulorum seorsim sumptorum. Ex contextu tamen utique effici videtur, haec omnia Gedeoni etiam obvenisse (*Ser., Bonfr., Menoch., Calm.*). Etenim *ornamenta* seu *lunulas* ipse v. 21 narrabatur tulisse, utique sibi. *Vestes* regias vix alii tributas esse crediderim, quam exercitus duci, maxime quo tempore ei regnum offerretur. Incisum *quibus reges Madian uti soliti erant* non necessario ad solas *vestes purpureas* refertur, sed facile etiam ad *lunulas* et *monilia* : ergo *monilia* quoque Gedeoni cessisse videntur. *Torques* camelorum aut eaedem erant, e quibus *lunulae* dependebant, aut cum *Ros.* ab aliis quam regiis camelis absumptae dici possunt.

v. 27 « *Fecitque ex eo Gedeon ephod, et posuit illud in civitate sua Ephra* ». Ephod aliud erat summi pontificis pretiosum (cf. Ex. 28), ex auro, bysso, purpura etc confectum, cuius pars erat rationale lapidibus pretiosis insigne ; aliud erat « ephod lineum », quod sacerdotes et levitae, immo David coram arca gestabant 1 Reg. 2, 18 ; 22, 18 ; 2 Reg. 6, 14. Ephod intelligi pontificale sequentes suadent rationes. Volebat sane insigne aliquod conficere Gedeon anathema, quale non fuisset merum ephod lineum. Quod illud postea evaserit « fornicationis » religiosae occasio, suadet eius primarium aliquem in cultu Dei fuisse locum. Adde auri pondus in illo conficiendo insumptum. *Fecitque illud Gedeon in ephod (Hebr.) : illud* intellige aut pondus auri mille septingentorum siclorum, aut praeterea (*Ser.*) alia etiam, quae v. 26 enumerabantur. Quae res vel ipsae illi ephod insertae sunt, vel inservierunt comparandis iis, quae ad ephod conficiendum requirerentur, bysso, lapidibus pretiosis etc (*Aug.*). Tamen non est necesse cum *Reuss* p. 121 totum illud auri pondus supponere in unicum ephod fuisse impensum, sed quantum requirebatur ; reliquum fortasse aurum in aliam pretiosam supellectilem insumptum est, qua altare illud Iahve Schalom 6, 24 fuit nobilitatum.

Ergo *ephod* non est vertendum *simulacrum* (*Syr., Arabs*). Ergo sub nomine *ephod* perperam censet *Aug.* includi integrum aliquod et omni necessaria supellectili instructum *tabernaculum*, ad instar eius quod erat in Silo. Nihil eiusmodi affirmat scriptura. Quam vocem ויצג LXX vertit ἔστησεν, *Vulg. posuit*, ea 6, 37 de vellere expandendo adhibebatur : ergo perperam ex eo verbo infert *Aug.* illud, quod h. l. *ephod* appellatur, « ita fuisse solidum et validum, ut statui posset, h. e. positum stare ». Perperam quoque *Bertheau* ad exemplum Michae

recurrit : nam Iud. 17, 5 praeter ephod explicita mentio habetur sculptilis, teraphim etc, quae h. l. non commemorantur. Ephod *vestem* designare demonstrat *Smith* p. 505 sqq., examinatis singulis quibusque textibus.

Parum probabile censet *Wellh.* p. 250, Gedeonem pro victoria tam insigni Dei beneficio accepta illico non alias solvisse gratias, quam ut idololatriae scelus committeret. Et *Reuss* p. 121 ideo confectum esse hoc ephod autumat, ut instituto Ephrae oraculo ditaretur Gedeon, quo numerosam v. 30 sustentaret familiam. Aeque ab avaritia et impietate abfuit egregius vir. Confecit illud ephod non superstitionis agendae causa, sed ut illud veri Dei cultui inserviret ad altare Iahve Schalom 6, 24.

« *Fornicatusque est omnis Israel in eo* » — i. e. *post illud*, quo etiam sensu v. 33 dicitur Israel fornicatus esse *post Baalim* ; cum reliquis textibus omnibus addenda h. l. vox *ibi* —, « *et factum est Gedeoni et omni domui eius in ruinam* ». Cum *Rabbinis, Theodoret., Ser., Bonfr., Lap., Calm.* censemus, aliquod ipsius Gedeonis peccatum ex hoc textu non demonstrari. Etenim v. 28 dicitur terra quievisse tota reliqua Gedeonis vita; v. 29 sqq. narratur Gedeon ad multam senectutem vixisse plurimosque genuisse filios, quae in V. T. vitae religiose actae praemia recenseri consuevere; v. 33 nonnisi eo demortuo Israelitae in idololatriam relapsi esse narrantur; v. 35 uti Hebr. 11, 32 absolute Gedeon laudatur. Quodsi vero cum quibusdam dicas, egisse ante mortem poenitentiam, merito retorquet *Bonfr.* : « si de hoc facto poenituisset, debuisset peccati causam et materiam tollere », ephod sc. illud ab Ephra removere. Accedit, ipsum nostrum textum peccatum Gedeonis nequaquam exprimere : non dicitur is ipse fornicatus esse post illud ephod, aut fornicantes, si qui essent, pro viribus non cohibuisse. *Ruinae* autem seu *scandali* vox, licet quandoque re cum *peccato* coincidat (cf. Ex. 23, 33 ; 34, 12 ; Deut. 7, 16 ; Ios. 23, 13), nequaquam idem cum illo est (cf. Ex. 10, 7), potest quippe esse ruina seu scandalum excluso peccato, cf. *Smith* p. 155. Quodsi autem inquiras, quomodo, excluso peccato, illud ephod potuerit *Gedeoni* fieri in ruinam, respondeo cum *Bonfr.*, « quia familia eius et posteritate occasione illius ephodis exstincta et deleta, illius nomen et memoria, quae in posteris vivere debuisset, propemodum exstincta est, qui tamen alioqui Gedeon posterorum memoria et externo nomine erat dignissimus ».

In hac disquisitione servandum axioma, quod his enuntiat *Ser.* : « In bonorum sanctorumque virorum accusatione par est, vel scripturam adversus eos claram esse, vel non temere de ipsis suspicari maleque loqui ». Ergo non est accusandus Gedeon peccasse humanae gloriae studio. Id post recusatum regnum parum credibile. Neque omne gloriae studium peccatum est : potuit quippe

Gedeon illud conficere ephod tamquam monumentum victoriae sibi a Deo concessae. — Non est culpae vertendum Gedeoni, quod alterum confecerit ephod pontificale, praeter illud quod Silunte erat : id enim nulla lege prohibebatur, et etiam Saulis tempore (1 Reg. 23, 6 ; 28, 6) videntur duo ephod apud Israelitas fuisse ; neque narratur Gedeon ipse eo ephod indutus Deum consuluisse, sed facili ope, qui consuleret, pontifex Silunte accersiri poterat. — Crimini vertit Gedeoni *Cassel*, quod illud ephod constituerit Ephrae, cum arca Silunte esset, atque ita alterum veluti religionis centrum effecerit. Minime quidem dubitandum, hanc occasionem fuisse sequentis ruinae, ut etiam adiecta vox *ibi*, quam *Vulg.* omisit, manifestat. Sed non licet hinc inferre, *voluisse* Gedeonem alterum eiusmodi centrum instituere, quo Ephraimitarum Siluntem obtinentium frangeret arrogantiam. Erat aliqua ratio ephodi asservandi in eo loco, ubi tot divinas inspirationes Gedeon accepisset, Deoque annuente exstruxisset altare (6, 24. 26). Unde ad summum cum *Lap.* concedi poterit « venialis imprudentia et inadvertentia », vel potius non summa omnibusque numeris absoluta prudentia.

« Crediderim », inquit *Bonfr.*, « ideo dici fornicatos Israelitas post hunc ephodem vel in eo, non quod ei divinos honores tribuerint, sed quod, postquam Gedeone mortuo ad idololatriam reversi sunt, idolorum sacerdotes et ministri hoc ephode usi sint ad impia sacrificia et cultus sacrilegos, quae res propter vestis istius praestantiam et nonnullam forte ante in animis hominum excitatam eiusdem vestis religionem, mirum in modum idololatriam aluerit et auxerit, ita ut omnes idololatriae causa Ephram quasi ad locum celebrem concurrerent ». — Ratio autem praecipua, cur hoc ephod confecerit Gedeon, ea videtur fuisse, ut esset *monumentum victoriae* Dei ope a se reportatae : ita iam *Rabbini*. Altera, ut per illud *consuleret Deum*, non ipse (*Theodoret.*), sed pro ipso pontifex. « Cum ipse populi princeps esset, cuius et publicorum negotiorum causa maxime constitutum erat oraculum Urim et Thummim, ut indicatur Num. 27, 21, iamque experimento ipsi compertum esset, quantopere conferat ad omnem prosperitatem in omnibus Dei voluntatem scire et sequi, habere apud se voluit, quae ad oraculum et Dei voluntatem exquirendam essent necessaria, ut in negotio quolibet paulo maioris momenti Deum consuleret » (*Bonfr.*).

f) Historiae Gedeonis conclusio. — Iud. 8, 28-35

Arg. — Uti in introductione 6, 1-10, ita in hac conclusione Samuelis collectoris manum deprehendimus. Repetuntur, quas ipse iudicum actis inculcare consuevit ideas; recurrunt ipsae expressiones Samueli familiares. v. 28 « Humiliatus est autem Madian coram filiis Israel », cf. 3, 30; 4, 23; 6, 6; 1 Reg. 7, 13; — v. 33 « et fornicati sunt cum Baalim », cf. 2, 17; — v. 34 « nec recordati sunt etc », cf. 3, 7;

1 Reg. 12, 9; — recensetur Gedeonis, uti aliorum iudicum, familia, mors, sepulturae locus. Inscripsimus hanc pericopen praecedentium conclusionem : poteramus aequo iure inscribere sequentium introductionem. Sane, quae de Gedeonis morte etc afferuntur, Gedeonis acta absolvunt; sed v. 31 utique Abimelechi actis praeludit; quae v. 33 sqq. defectionem describunt Gedeonis mortem secutam, si aliorum iudicum historias conferas, potius ad sequentem narrationem trahi oportebit. Crediderim Samuelem, dum hanc scriberet pericopen, tam Gedeonis quam Abimelechi scriptas historias prae oculis habuisse. Ubi formulis solemnibus iisque Samuelicis describitur quietis duratio v. 28, Gedeonis mors v. 32, secuta defectio v. 33, ibi nomen Gedeon usurpatur; sed, ubi filii et inter hos Abimelech recensentur, ibi v. 29 solum adhibetur nomen Ierobaal, ut v. 29-31 eidem, cui cap. 9, auctori attribuere pronum sit. v. 35 habes, uti 7, 1, Ierobaal Gedeon veluti ad transitionem faciendam a praecedente narratione, quae semper nomine Gedeon, ad sequentem, quae semper utitur nomine Ierobaal.

v. 28 « *Humiliatus* » seu *confractus,* quo verbo clades ante narrata resumitur, « *est autem Madian coram filiis Israel, nec potuerunt ultra cervices elevare; sed quievit terra per quadraginta annos, quibus Gedeon praefuit,* » — reliqui *in diebus Gedeonis,* quamdiu vivebat. Quibus verbis, uti similibus 3, 11. 30* et 5, 32 acta Gedeonis concluduntur. v. 29 « *Abiit itaque Ierobaal, filius Ioas, et habitavit in domo sua* ». *Abiit*, vale dicto bellicis expeditionibus; quod idem verbum 9, 1 de Abimelech usurpatur, ut eidem uterque textus documento tribuendus appareat. Quod additur, eum habitasse in domo sua, non inepte videtur exponere *Malv.* « privatus vixit ». Ea sc. videtur fuisse iudicum conditio, ut domi quidem viverent privati, magno tamen honore a civibus colerentur : ad ipsos deferebantur lites, ipsi de summa rerum consulebantur, penes ipsos, si quis immineret hostis, summum imperium erat. Cf. quae scribit *Herodot.* de Deiocae apud Medos auctoritate. v. 30 « *Habuitque septuaginta filios, qui egressi sunt de femore eius, eo quod plures haberet uxores* », successione tamen quadam per tot annos distributas. Numerus *septuaginta* non est omnino determinatus; 9, 5 trucidatis septuaginta fratribus tamen superest Ioatham. Hinc otiosa quaestio, numereturne Abimelech in illis septuaginta : opponitur utique ut filius concubinae filiis uxorum; nihilominus poterant filii omnes, incluso Abimelech, esse septuaginta pauciores. 10, 4 tribuuntur iudici Iair triginta, 12, 9 Abesani triginta filii et totidem filiae, 12, 14 Abdoni quadraginta filii : sunt numeri, quos dicimus rotundos. Immo cum etiam Achab 4 Reg. 10, 1 septuaginta tribuantur filii, et Iud. 1, 7 Adonibezeco septuaginta reges tributarii etc, licebit forte concludere

Hebraeo sermone quandoque numerum septuaginta sumi sensu exaggerativo indeterminato, uti apud nostrates mille, centum. v. 31 « *Concubina autem illius, quam habebat in Sichem, genuit ei filium nomine Abimelech* ».

v. 32 « *Mortuusque est Gedeon, filius Ioas, in senectute bona et sepultus est in sepulcro Ioas, patris sui, in Ephra de familia Ezri* » seu Abiezritarum. Notabat iam *Lap.*, hanc fuisse patriarchis benedictionem concessam, ut grandaevi in suo condirentur sepulcro; quibus implicite h. l. comparatur Gedeon. v. 33 « *Postquam autem mortuus est Gedeon, aversi sunt filii Israel* » — *Hebr. reversi sunt,* sc. ad fornicationem idololatriae, uti sequentia produnt — « *et fornicati sunt cum Baalim. Percusseruntque cum Baal foedus, ut esset eis in deum* ». *Hebr.* omnino vertendum est *constitueruntque sibi Baal Berith deum*, cf. 9, 4. Cuius idoli in sola hac narratione mentio habetur. Ceterum *filii Israel* h. l. ii intelligendi sunt, quorum in sqq. habetur mentio, Manassaei et Ephraimitae : neque universis Israelitis imperavit Abimelech, neque universi secuti sunt Baal Berith idolum. v. 34 « *Nec recordati sunt Domini Dei sui, qui eruit eos de manibus inimicorum suorum omnium per circuitum* » : cf. Dei querelas 10, 11 sqq. — v. 35 « *Nec fecerunt misericordiam cum domo Ierobaal Gedeon iuxta omnia bona, quae fecerat Israeli* ».

In media iudicum aetate prostat *Gedeon*, uni Samueli secundus. De Othoniele praeter nomen perpauca, de Samgare novimus nihil. Aodi factum crude narratur. Pauca tandem de Baraco perlecto cap. 4 didicisti, pauca de Debbora perpenso cantico. Gedeonis non acta solum, sed et ingenium, sensa, voces percipis. Cui prae ceteris iudicibus congruit illa Apostoli Hebr. 11, 33 laus : « Per fidem vicerunt regna, operati sunt iustitiam, adepti sunt repromissiones »; et Eccli. 46, 13 sqq. encomium : « Et iudices singuli suo nomine, quorum non est corruptum cor, qui non aversi sunt a Domino; ut sit memoria illorum in benedictione, et ossa eorum pullulent de loco suo, et nomen eorum permaneat in aeternum; permanens ad filios illorum sanctorum virorum gloria ».

In Gedeone clarius quam in aliis expressam habes eam iudicis excellentiam, ut sit *Ierobaal* i. e. non merus proeliator fortis et felix, sed divini cultus ab idolis vindex : nonnisi destructa Baalis et exstructa Iahve ara Gedeonis vocatio absolvitur, tuba salutis eius manui committitur. *Fide* omnia aguntur. Fide aram Iahve suscitat, prostrato Baalis altari. Fide ingruentibus innumeris hostibus tuba fideles convocat. Fide ipse iam stabilitus sequacium fidem impetrato duplici velleris miraculo confirmat. Fide plus centenis millibus obiectus socios omnes, trecentis exceptis, lubens dimittit. Fide in castra hostium cum unico socio delapsus de labiis ipsorum hostium victoriae promissionem accipit. Fide inermis ad certamen progreditur. Fide institutus novit Ephraimitarum turbulentiae indulgere, aliorum insolentiam compescere. Quae fides illustrior,

quam viri regium diadema recusantis? Peccavit quidem David, desipuit Salomo, erravit etiam Gedeon, quando domestica sacra aequo studiosius ambiens suum altare altari divinitus consecrato praetulit fatalique nobilitavit ephod.

Incidit Gedeon in tempora tanto viro haudquaquam digna. Ubique invidiae, dissidia, animi summis rebus iniqui. Cis Iordanem Ephraimitas offendit primarum partium studiosos, turbulentos, aegre blando sermone compescendos. Trans Iordanem civium urbibus excluditur, annona interdicitur. Sontes plexi, dissensiones sopitae magis quam exstinctae. Grandis victoria, specie tamen illustrior quam re, atque reipublicae mala dissimulans verius quam curans. Ambigi potest, fuerintne in urbibus muratis Gedeonique non plene subiectis exstirpatae penitus superstitiones, quae eo demortuo ibidem tam late refloruerunt. Vel ipsum primogenitum experitur Gedeon fide patris, quin immo audacia Abimelech fratris tam foede dissimilem.

Abimelech. — Iud. 9

35. Narrationis auctor. — De hac historia idem valet, quod supra de cantico Debborae affirmabamus, de eius *coaeva origine* consentire interpretes omnes.

Bertheau p. 106 affirmat, « hanc historiam describere eventus sermone simplici et ex fidelissima recordatione profecto ». *Ew.* I, 49 sq. eandem asserit « profectam ex ipsis eventibus immediate conspectis ». *Reuss* p. 122 laudat « narrationem vividam, particularia quaeque depingentem, homines aeque ac res clare et pulchre describentem, de qua una sit omnium interpretum vox ». Idem Ioathami speciatim fabulam declarat esse « perantiquam »; non ita seriori aevo regnoque iam instituto locuturos fuisse eos ingenuos viros, qui regum licentiam reprehendissent. *Bertholdt* p. 878 ei fabulae aeque ac cantico Debborae vindicat « characterem authentiae », eamque mature scriptis esse mandatam defendit.

Auctori haec historia tribuenda videtur ab auctore actorum Gedeonis diverso.

Primum argumentum est, constanter in hac historia adhiberi nomen Ierobaal, excluso, quod ante adhibebatur, nomine Gedeon. Cf. quae diximus p. 134. Confirmaturque argumentum iis, quae p. 156 sq. de usurpata voce אלהים diximus. — Acta Gedeonis videntur esse scripta a teste immediato, acta Abimelech etiam a teste immediato: ergo illa ab auctore Manassaeo, haec ab Ephraimita scripta esse crediderim. —Dum cap. 6-8 auctorem prodit, qui et ad Pentateucho narrata frequenter alludat eiusque expressionibus utatur, auctor cap. 9 eiusmodi abstinet (*Bertheau*): unde iure diversos fuisse auctores conieceris. Recordare, quod de Gedeone dicturi monuimus, quantopere eius acta patriarcharum maxime facta et re et verbis imitentur. Finge iam eundem auctorem narrata Gedeonis morte nequaquam scribendi finem fecisse, sed uno calamo historiam Abimelech adiecisse. Nonne in ea quoque narranda aliqua quae Pentateuchum saperent, admiscuisset? nulline in Pentateucho homines vafri Abimelecho comparandi? nullane divina iudicia, quibus eius ruina comparari

potuit ? nonne ipsi scriptori eae saltem animadversiones erant narrationi interspargendae, quas nunc manu Samuelis 8, 33-35 actis Abimelechi praemissas offendis ? At nihil horum obtinet ; narratio cap. 9 illud habet maxime proprium, quod in nudis factis narrandis consistat, nullo verbo eadem interpretari aggressa. Dein, si continua primitus erat narratio cap. 6-9, nonne aliqua in transitu a Gedeonis ad Abimelechi acta nonnihil enucleatius erant explicanda, ubi nunc quaedam obtinet obscuritas, aliquis hiatus ? sc. initia cultus Baal Berith 8, 33 Sichimis introducti ; superstitio Ephraensis 8, 27, quomodo praeter eum cultum ad ruinam populi contulerit.

33. Narrationis cum reliqua narratione nexus.

Ea narratio reliquorum iudicum actis in aliquibus est affinis, in aliis ab iisdem differt. Ei 8, 33 sqq. praefigit Samuel eas animadversiones, quas singulorum iudicum historiis praemittere consuevit : aversos esse Israelitas a Deo et in idololatriam relapsos, idololatriam hac tamen vice non forinsecus importatam sed domesticam et nativam. Hinc cap. 9 puniti exhibentur non quidem invasione aliqua hostium, « qui habitabant per gyrum » 2, 14, sed domesticis turbis. Post aliquot annos oppressione liberantur non iudice aliquo a Deo suscitato feliciterque dimicante 2, 16, sed Abimelecho suorum scelerum 9, 56 sq. dignas poenas luente. Neque leguntur hanc liberationem sublatis ad Deum gemitibus impetrasse 2, 18 ; quin immo videtur Sichimitarum aliorumque impietas usque ad interemptum saltem Abimelech continuasse. Ergo non adamussim Abimelechi historia correspondet thesi cap. 2 enuntiatae. At illam tamen latius acceptam egregie confirmat, ostendens idololatriam apud Israelitas malorum omnium esse originem neque ullum prospere cessurum regnum, quod non Iahve cultui superstruatur.

Quare Abimelechi acta vel ut historia inter acta Gedeonis aliorumque media accipi possunt, thesin libri liberius sed vere confirmans ; vel ut continuatio quaedam historiae Gedeonis ; vel potius utraque ratione simul, historiae quippe narratio non per syllogismos procedat oportet, sed amnis instar modo latiore modo angustiore alveo decurrit. Sane parentis historiam mire complent atque illustrant Abimelechi acta. Regnum ille acceptare detrectaverat, quod Deus esset Israelis Dominus nec nisi a Deo designatus rex Israeli posset dominari. En succedit Abimelech, in consilio astutus, in agendo fortis, patre Manassaeo et matre Ephraimita natus atque ita vel origine aptissimus, qui aemulis hisce tribubus et denique toti Israeli imperaret ; simul tamen fidei et religionis expers, qui ne semel quidem divinum oraculum aut percepisse aut quaesivisse narretur, idolo Baal Berith addictus. Is mala fide et violentia regnum arripit, verum elapso triennio illud cum vita abdicare cogitur : nullus quippe dominari Israeli potest, nisi Dominus aut christus eius.

Adde, theseos cap. 2 argumenta immediata afferri singularum potius aetatum, quam singulorum *iudicum* historias. Et in prima quidem aetate singuli etiam iudices totidem sunt argumenta immediata : Othoniel, Aod, Barac. At non ita in reliquis duabus aetatibus. Quodnam enim argumentum ex actis Tholae, Iair, Abesan, Ahialon, Abdon seorsim spectatis derivatur ? At universae domus Gedeonis fata, quae Abimelechum etiam, Tholam et Iairum complectuntur, egregium omnino sunt argumentum ; uti postmodum historia turbarum Ammonitico-Philisthaicarum, in quarum tempora Abesan, Ahialon et Abdon inciderunt.

Hinc tandem ad quaestionem, *iudexne* fuerit Abimelech, duplex patet responsio. Iudex utique fuit, quatenus regia potestas iudicialem includebat, cf. 1 Reg. 8, 6, tamquam partem sui potissimam et nobilissimam : atque rex fuit Abimelech, licet

dolo et violentia. Si quaeras, fueritne e numero piorum iudicum, de quorum actis liber inscribitur, quorum laudes S. Paulus et Eccli. proclamant, id sane negandum. Quo sensu cum *Bonfr.* dicendum : « Abimelech non tam iudex quam rex, non tam rex dicendus quam tyrannus, utpote qui regnum malis artibus et parricidio acquisitum non dissimilibus artibus gessit, longeque pessimis regni iuxta et vitae finem fecit. Porro non esse hunc in iudicibus numerandum ex eo liquet, tum quod neque a Deo ad principatum evocatus sit, neque a populo Dei impulsu electus, uti fere ceteros legimus principatum hunc adiisse ; tum quod principatum hunc neque gesserit ad communem utilitatem, neque auspicatus sit ad salutem populo afferendam, sed potius populum divexando ad privatam utilitatem omnia retulerit ambitione et crudelitate plenus ; tum quod iudiciariae potestatis modestia non contentus regium nomen, quod Gedeon defugerat, ambiverit et quadamtenus obtinuerit ».

37. Rerum eo tempore conditio.

Historiam Abimelechi interpretaturi, primum quo loco demortuo Gedeone res fuerint dispiciamus. Ubi notes, licet is principatum haereditate ad posteros descendere prohibuerit, tamen iudicis emortui familiam auctoritate aliquamdiu praevaluisse, ut potuerit 9, 2 Abimelech dicere eam civibus « dominari », neque certam imperii spem, nisi ea familia sublata, ipse haberet ; et quidem neque inter Manassaeos neque etiam inter Ephraimitas. Simili, uti videtur, auctoritate fruebatur postea aliquamdiu soboles Iairi 10, 4, Abesani 12, 9, Abdonis 12, 14. Eratque istud e natura rei. Quamdiu vivebat iudex, eius utique familia ceteris magis colebatur, honoris et opum particeps erat, reipublicae operam navabat : haec emortuo iudice aliquamdiu perdurabant, donec aut difficilibus temporibus aut alio excitato iudice prioris iudicis familia in obscuritatem relaberetur. Neque tamen ex v. 2 et specialim ex « dominandi » voce inferre licet, Gedeonis tum filios regnum attentasse aut de principatu inter se dimicaturos fuisse, sed Abimelech res exaggerat atque detorquet.

Tempore pacis iudicis auctoritas immediate ad eius solum civitatem seu pagum extendebatur ; qui longius incolebant, sponte nullaque lege adacti causas ad iudicem illum deferebant, simulque penes se habebant sui pagi ordinarios iudices et seniores. Hinc brevi urbes populosae et munitae, qualis erat Sichem, iudici devinciebantur non auctoritate sed societate, foederatae quodammodo erant, non subiectae ; quin cum *Ew.* II. 480 sqq. adstruere fas sit, exstitisse tum urbium foederationem quamdam (« ein Staedtebund ») mercaturam exercentium inter se communeque numen Baal Berith i. e. « foederis Baalem » colentium. Arbitrarie sic nomen explicatur, quod verius ex Hebraeorum mente interpretabere, ut exprimat foedus a Sichimitis initum non cum aliis urbibus, sed cum ipso Baale, quo die illum sibi deum tutelarem 8, 33 elegissent. Gratuito tandem fingit *Bertheau* aliquam antiquitus exstitisse scriptam urbis Sichem historiam, e qua nostrum cap. 9 sit excerptum.

Sichem tribus Ephraim, iam a patriarchis visitata Gen. 12, 6 et 37, 12 sq., civitas refugii Ios. 20, 7, attributa fuerat Ios. 21, 21 levitis cognationis Caath, iis sc. qui dignitate originis proxime accederent ad sacerdotes Aaronicos. Cum Iosue 24, 1. 25 ultimam solemnem totius populi concionem Sichimis habuerit, dubitare non licet, urbem iam tum in Iudaeorum et quidem levitarum fuisse possessione. Hinc etiam Iud. 1, 22 civitatum Ephraimitarum sola Bethel, non Sichem, narratur post mortem adhuc Iosue in gentilium fuisse potestate. Sichimis imminebant montes Hebal et Garizim. In illo Iosue 8, 30 sqq., ex mandato Moysis Deut. 11, 29 sq. et 27, 4 sqq., altare aedificaverat inscriptis super lapides verbis legis, totusque populus verba bene-

dictionis apprecatus fuerat observaturis, maledictionis vero neglecturis. Haec iamiam civitas atroci sacrilegio desecratur. Cives, inter quos levitarum potissimae partes, a Iahve deficiunt, idolo Baal Berith fanum aedificant in loco suae urbis munitissimo, illud plurimo anathemate ditant, neque idolum colunt tantummodo, sed cum eo solemne ineunt foedus, « ut esset eis in deum » 8, 33. In ipso veluti conspectu altaris Iosue fornicantur post Baal, inscripta coram legis verba repudiant, maledictionem patrum labiis in ipso loco indictam in devota capita provocant.

Ceterum Abimelechi facinus sat callide erat excogitatum, neque pauca erant felicis successus auguria. Erat tum etiam inter pios homines sat universale 8, 22 desiderium instituendi regis. Ephraimitas Abimelech specie primatus 9, 2 in homine matre Ephraimita nato tandem obtinendi alliciebat. Vel ipsorum Manassaeorum principem usurpabat locum, exstinctis tot viris primatibus nulloque relicto, qui ultionem sanguinis exsequeretur. Quicunque idololatriae favebant restitutamque a Gedeone religionem ferebant aegrius, eos sibi devinciebat. Si qui essent fratricidii osores, iis imparatis atque inermibus ducibusque orbatis armatus ipse cum armata manu extremum incutiebat terrorem. Tamen eius regnum infenso Domino brevi exstinctum est.

COMMENTARIUS

a) Abimelechi regnum. — Iud. 9, 1-22

Abimelech regnum usurpat. — Iud. 9, 1-6

Arg. — Abimelech, pecunia a Sichimitis idololatris accepta et conducta desperatorum hominum manu, fratres suos filios Gedeonis trucidat omnes, unico excepto, et a Sichimitis rex constituitur.

v. 1 « *Abiit autem* » — seu *ivit*, idem quod 8, 29 narrationis initium — « *Abimelech, filius Ierobaal, in Sichem ad fratres matris suae, et locutus est ad eos et ad omnem cognationem domus patris matris suae, dicens* » : — Ex Ios. 7, 14 et 1 Reg. 10, 21 collige, tribus subdivisas fuisse in משפחות seu *cognationes*. Exinde, quod eius cognationis mulier solum in concubinam 8, 31 fuerit assumpta, et quod 9, 4 Sichimitae Abimelecho pecuniam suppetant, videtur ea cognatio minus opulenta fuisse. Quae statim sequitur vox בעלי, videtur rectius cum *Chald.* verti *habitatores*, seu cum *Vulg. LXX viri*, quam cum *Syr. domini*; cf. etiam versiones ad Num. 21, 28 et Ios. 24, 11 — v. 2 « *Loquimini ad omnes viros Sichem : Quid vobis est melius, ut dominentur vestri septuaginta viri, omnes filii Ierobaal, an ut dominetur unus vir ? Simulque considerate, quod os vestrum et caro vestra sum* », cf. Gen. 2, 23 ; 29, 14 ; 2 Reg. 5, 1 ; 19, 12 sq. ; 1 Par. 11, 1. Duo urget argumenta : dominus unus praeferendus pluribus, civis alienis (*Bonfr.*).

v. 3 « *Locutique sunt fratres matris eius de eo ad omnes viros Sichem universos sermones istos, et inclinaverunt cor eorum post Abimelech dicentes : Frater noster est* ». Reliqui *et inclinatum est cor eorum.*

v. 4 « *Dederuntque illi septuaginta pondo argenti de fano Baal Berith* ». Falso autem hinc infert idem auctor, Ierobaal filiis exiguas reliquisse opes : exiguas fortasse reliquit Abimelecho, quod filius is esset concubinae et vafri ingenii vir. Septuaginta sicli argenti fere 176 fr. 25 sunt : parce dederunt Sichimitae, tamen sufficienter. Erat ea pecunia arrha, plurima manebat sicarios exspectatio Abimelecho ad tyranniden evecto. Notat *Lap.*, pro singulis interficiendis singulos persolutos esse siclos. Persolvebantur autem e pecuniis in templo Baal asservatis, quasi idolo ulciscente aram a Ierobaal dirutam. « *Qui conduxit sibi ex eo viros inopes et vagos, secutique sunt eum* ».

Vacuos recte interpretatur *Vulg. inopes*, cf. 2 Esdr. 5, 13 ; *Symm.* e contra *otiosos.* — Radix פחז *ebulliendi* sensum habet, hinc *insolens, salax*, quem sensum *Chald.* radici tribuit, vel *desperatus (Symm.). LXX miseros* et *Chald. despiciendos* potius effectum aliquem exprimunt. — Cf. Abimelechi acta cum iis, quae egerat Gedeon. Hic Deum omnipotentem habuerat adiutorem, ille Sichimitas septuaginta promentes siclos ; is summum sociis adhibuerat delectum, ille omnino nullum.

v. 5 « *Et venit in domum patris sui in Ephra et occidit fratres suos, filios Ierobaal* », — sed parum apte affirmat *Cler.* « a popularibus turpiter desertos », id enim ex 8, 35 nequaquam consequitur — « *septuaginta viros super lapidem unum* ». *Keil* censet, mactatos esse pecorum instar super aliquem lapidem, cf. 1 Reg. 14, 34 ; et *Petr. Mart.* (ap. Calm.) putat, id factum esse in eodem lapide, ubi Gedeon succiso Baalis luco Deo taurum immolaverit, veluti ulciscendi honoris Baal causa. Sed haec gratuito affinguntur. Placet coniectura *Ew. II.* 22, *Bertheau*, expressionem *super unum lapidem* idem sonare atque *in ipso loco, illico* : et recurrunt ad Ex. 1, 16, quo loco expressio ita explicari posse videtur. « *Remansitque Ioatham, filius Ierobaal minimus, et absconditus est* », seu se abscondit. v. 6 « *Congregati sunt autem omnes viri Sichem et universae familiae urbis* » — reliqui *domus* — « *Mello, abieruntque et constituerunt regem Abimelech iuxta quercum, quae stabat in Sichem* ». Non illis solis imperavit Abimelech, constituit quippe Zebul v. 28 praefectum in Sichem, illisque deficientibus adhuc habuit exercitum praevalidum.

Munitio aliqua nominis *Mello* etiam Hierosolymis erat 2 Reg. 5, 9. Nostrum Beth Mello idem videtur, quod v. 46 sqq. *turris Sichimorum* appellatur (*Ser.*, *Bonfr.*). v. 20 Ioatham « viris Sichem et oppido Mello » dira imprecatur, imprecatio effectum nanciscitur in habitatores urbis et turris Sichem. Erat Mello arx Sichimae, uti Sion arx Ierusalem, intra urbem vel certe haud procul urbe exstructa. In Mello erat v. 46 (cf. v. 4) fanum Baal Berith. *Guérin*, Samarie I. 463 sq. invisit locum aliquem Kharbet ed-Douarah, Sichimis proxime adiacentem a meridie, quem eundem esse coniicit atque Beth Mello : ibi sepulta iacent sub humo perantiquae urbis disiecti lapides,

columnae. — *Iuxta quercum etc*, sed alii מצב legebant ante אשר, defiguratum apud LXX in מצא (τῇ εὑρετῇ — sed statim sequitur τῆς στάσεως, quod revocatur ad lectionem genuinam מצב : utraque lectio commiscebatur), apud *Syr.* in מצפה. Putaverim ei arbori, uti aliis bene multis (cf. 4, 5 ; 1 Reg. 10, 3 etc), nomen proprium fuisse, vertique oportere *iuxta quercum Musab, quae est in Sichem.* Iam duos alios textus hic appellat *Hengst.* p. 98 sq. : primum Ios. 24, 26 sq., ubi post foedus solemniter renovatum Iosue « tulit lapidem pergrandem posuitque subter quercum (האלה), quae erat in sanctuario Domini » in Sichem, « et dixit ad omnem populum : En lapis iste erit vobis in testimonium, quod audierit omnia verba Domini, quae locutus est vobis, ne forte postea negare velitis et mentiri Domino Deo vestro ». Rursumque Gen. 35, 4 « dederunt ergo ei », Iacobo familiares, « omnes deos alienos, quos habebant, et inaures, quae erant in auribus eorum ; at ille infodit ea subter terebinthum (האלה), quae est post urbem Sichem ». Hinc probabile efficitur, eandem tribus locis arborem intelligi, consecratam primum facto Iacob patriarchae, iterum consecratam facto Iosue, tandem desecratam unctione Abimelech. Eodem autem loco, ubi quercum, fuisse etiam fanum Baal Berith, indubium mihi non est.

Joatham fabulam proponit. — Iud. 9, 7-22

Arg. — Sequitur iam Ioathami fabula, illi non absimilis quam Menenius Agrippa plebi Romanae enarrasse fertur. Antiquiorem apud Hebraeos novimus nullam, recentiorem aliquam atque breviorem habes 4 Reg. 14, 9. Suas quoque fabulas Aegyptii atque Assyrii habuisse feruntur, cf. *Vigouroux*, La Bible III. 329. Nostrae fabulae in ore omnium imprimis recentiorum, laudes sunt non communes. Instar multorum sit *Eichhorn* p. 481 : « Ioathami fabula specimen apologi omnium pulcherrimum. Neque antiquorum neque modernorum ullus, qui fabulas effinxere, aeque facile scripsit, vere et digne. Quicunque animo legerit ingenuo, fictionis admirabitur nativam vim, sermonis limpidam simplicitatem, demonstrationis momentum. Ita is solus fingit, qui ipsos Ioathami sensus animo experiebatur suo ». Quae fabula in arboribus regem quaerentibus demonstrat Hebraeos regni instituendi insane cupidos, cf. 8, 22 et 9, 2 sqq. ; oliva, ficus, vitis regnum recusantes imitantur Gedeonem et fortasse etiam septuaginta filios eius, certe Ioathamum ; parabola tandem aliquatenus adumbrare videtur, quae fuerit ratio principatus *iudicum*, a *regio* dominatu tam diversa. Illarum arborum principatus *suavitas* v. 9. 11. 13 voce נוע exprimitur, *Vulg.* « ut inter cetera ligna promovear », quae vox verbotenus lenem quemdam motum seu agitationem significat. Dein nota *motivum*, ob quod illae arbores regiam eminentiam excusant : sua sc. privata emolumenta procurare malunt, pinguedinem, dulcedinem, vinum. Unde infert *Vigouroux* l. c. p. 225, quod etiam ex s. libro sat clare colligitur, iudices devictis hostibus ad sua se recepisse, suae rei vacasse, non rem publicam administrasse. Nulla quippe tum erat res publica, sed variae tantum tribus et

familiae, vinculis religionis et originis unitae. Tamen ex victoriis ante partis manebat iudicem insignis auctoritas, in rebus difficilibus atque in litibus consulebatur, sui nominis reverentia hostes compescebat, verbis et exemplo idololatriam reprimebat.

v. 7 « *Quod cum nuntiatum esset Ioatham, ivit et stetit in vertice montis Garizim* », qui a meridie urbis Sichem abruptis rupibus ad 311 m. altitudinem extollitur, obiecto a septentrione monte Hebal qui 350 m. urbi imminet. Iordane transmisso iubebantur Hebraei Deut. 27, 12 sqq., in montibus Garizim et Hebal constituti benedictiones et maledictiones pronuntiare ; quod Ios. 8, 33 sqq. effectui est mandatum. « Iste autem Garizim mons faustis erat precationibus destinatus : qui propter populi naevum regisque iam creati facinus, novam nunc induit faciem fitque dirarum in illos exsecrationum suggestum » (*Ser.*). Constitit igitur in aliquo eius montis loco Ioatham, « unde a Sichimitis exaudiri posset, non tamen adiri tam facile » (*Bonfr.*). Constitisse, quo ipso tempore a Sichimitis rex salutaretur Abimelech, putavit *Abul.* ; cui opponunt alii, non satis ipsum a vi et perfidia Abimelechi tutum futurum fuisse. Quare cum *Ios.* defendunt *Ser.*, *Bonfr.*, *Calm.*, factum id esse alius cuiusdam festi occasione, quod rege Abimelecho absente celebraverint Sichimitae. « *Elevataque voce clamavit et dixit : Audite me, viri Sichem, ita audiat vos Deus* ». *Menoch.* : « si a Deo preces vestras calamitate aliqua aut aerumna pressi admitti cupitis, et me calamitosum secundis auribus audite ».

v. 8 « *Ierunt ligna, ut ungerent super se regem* », — ergo etiam Abimelech unctus est a Sichimitis — « *dixeruntque olivae : Impera nobis* ». Olivis, ficis, vitibus etiamnum ager Sichem prae ceteris arboribus abundat. « Porro comparationum eiusmodi partes omnes persequi par non est, cum semper nonnihil claudicent.... nec videntur Sichimitae honorem regni obtulisse pluribus, a quibus omnibus repulsam passi fuerint » (*Calm.*). Addit tamen *Ser.* : « Mihi videtur, eorum, quae a regno abhorruerunt, lignorum *ternario numero* significari *omnes viros bonos*, qui, si ad regnandum super Israel invitati rogatique fuissent, negassent omnes prorsus ». v. 9 « *Quae respondit : Numquid possum deserere pinguedinem meam, qua et dii utuntur et homines, et venire, ut inter ligna promovear ?* »

Liberius *Vulg.* vertit *utuntur*, et pro *dii* scribendum erat *Deus*, cf. v. 13. — *Hebr.* אשר בי יכבדו אלהים ואנשים, ubi verbum *Masor.* punctant piel. אשר בי non est vertendum « quam in me » (*Cai.*), secus enim בי post verbum esset collocandum ; sed « in qua » (*Vulg. Chald.*), quod correctius scriberetur אשר בו, sed, cum re ad olivam loquentem referretur, expressum fuit pronomine primae personae. Ergo *in qua glorificant* homines *Deum et homines*, seu *qua honorantur Deus et homines.*

LXX, omissa mendose copula *in qua glorificant Deum homines*. Sensus planus est : honoratur Deus oleo in cultu divino, homines usu quotidiano.

v. 10 « *Dixeruntque ligna ad arborem ficum : Veni et super nos regnum accipe* ». v. 11 « *Quae respondit eis : Numquid possum deserere dulcedinem meam fructusque suavissimos et ire, ut inter cetera ligna promovear* » ? « Numquid conveniens est, ut deseram et negligam dulces meos fructus conficere, ut regnum et publicae rei administrationem assumam ? Porro maxime a dulcedine ficus commendatur » (*Bonfr.*). v. 12 « *Locutaque sunt ligna ad vitem : Veni et impera nobis* ». v. 13 « *Quae respondit eis : Numquid possum deserere vinum meum* », proprie mustum seu succum uvae, « *quod laetificat Deum et homines, et inter ligna cetera promovear* ? » Quomodo vino laetificatur Deus ? Sane, non SS. Eucharistiam (*Syr.*) in mente habebat Ioatham. « Alii hyperbolen faciunt », inquit *Est.*, « ut non aliud significetur, quam vini maxima vis ad exhilarandum, ita ut si Deus opus haberet re aliqua ad exhilarationem, non alio quam vino uti vellet. Sed, quoniam haec non sunt scripturae verba sed Ioatham, filii Gedeonis, non est valde laborandum, ut ea secundum sensum aliquem verum interpretemur. Possunt enim simpliciter accipi, ut, quoniam populus ille iam defluxerat ad idola (maxime quod et hebr. אלהים tam deos quam Deum potest interpretari), nempe quod Ioatham secundum sensum populi locutus fuerit, quasi iuxta gentilium fabulas dii convivia inter se exercerent et nectareo vino se recrearent ». Similiter *Bonfr.* Verum notant *Malv.*, *Mar.*, *Menoch.*, *Lap.*, *Calm.*, vinum etiam Iudaeorum sacrificiis adhiberi consuevisse, cf. Num. 15, 5. 7. 10 ; 28, 7. 14 ; unde non sit necesse ad ethnicorum recurrere superstitiones. Tandem cum *Mar.* dici potest vinum etiam eatenus Deum laetificare, quatenus honestis, et maxime sacris fidelium conviviis fuerit adhibitum.

v. 14 « *Dixeruntque omnia ligna ad rhamnum : Veni et impera super nos* ». Hic adiicitur vox *omnia*, quae v. 8. 10 non legebatur : unde sensum hunc eruit *Keil*, nullam omnino arborem oblatum acceptasse regnum, sed omnes illud rhamno detulisse. Quae expositio certe falsa est, si intelligantur eaedem, quae recusaverint arbores (oliva etc), se aliis iunxisse in regno rhamno offerendo; quod esset omnino contra mentem parabolae, neque in Gedeone aut aliis viris piis locum habuit. Sed *omnia ligna* idipsum dicit, quod v. 8. 10 *ligna*. Veniunt autem ad *rhamnum* i. e. « eam spinam, quae inter spinas omnium est molestissima, cuius acutae sunt cuspides, et continuae prominentiae ad nocendum propinquantibus aptae, plagaeque inflictae venenosae » *(Greg. Nyss.* : In Psalm. II. 15, M. 44. 595). « Tunc illa veniunt ad lignum

sterilitatis suae regem, i. e. ad rhamnum, spinosum fruticem et arbusculam sentibus uncinisque contextam, quae teneat quidquid attigerit, et retentum vulneret, et vulneratorum sanguine delectetur » (*Hier.* in Agg. lib. II, M. 25. 1414; cf. in Hab. lib. II cap. 3, M. 25. 1334). v. 15 « *Quae respondit eis : Si vere me regem vobis constituitis* », — *Hebr. ungitis.* « Vere, quasi dicat : bona fide » (*Sa*) : rhamnus, dum avide oblatum honorem arripit, tamen, quod ei accipiendo tam parum natura aptetur, non potest omni se dubio expedire, minus sincere offerri honorem — « *venite et sub umbra mea requiescite; si autem non vultis* », quod verbum *Vulg.* supplet, « *egrediatur ignis de rhamno et devoret cedros Libani* ». *Hebr. et sub umbram meam confugite*; cf. Is. 30, 2; Ps. 56 (57), 2; 60 (61), 5, quibus locis *umbra* idem sonat quod *protectio,* sensusque idem est atque Ps. 5, 12 etc expressionis חסה ביהוה, confugere ad Dominum. « Ista sub umbra quiete duo significantur : subiectio eorum, qui in umbra consident et quiescunt, et protectio securitasque ab externa inimicorum vi, quam rex suis subditis praestare debet ad eum modum, quo arbor ardorem solis aestumque sua densitate arcet et opportunam refrigerationem affert. Verum quam sit ad eam rem incommoda rhamnus manifestum est, cum nec umbram satis densam gratamque habeat, nec incumbere possis, caput vertere, brachia agitare, quin sentibus cumpungaris. Idem sane, quod rhamnus, facit crudelis princeps, qui tantum abest, ut suorum securitatem praestet, ut potius, cum ceteri hostes desint, nullus ipso saevius in subditos grassetur » (*Bonfr.*). *Ignis* metaphorice exprimit ardorem *irae,* cf. Deut. 32, 22; Ez. 22, 21. « Ignis e rhamno significat gravem iram ferocis et mali principis, qui rebellantibus et nolentibus ipsi subiici exsilia, carceres, tormenta, extrema supplicia irrogat, quemadmodum reipsa in hisce Sichimitis contigit » (*Bonfr.*). Metaphorice sane vocem intellexisse supponitur rhamnus, qui minime voluerit affirmare se ipsum igne consumptum iri. Ironia in eo est, rhamnum, qui et umbram vix ullam offerat et facillime absumatur igne, cf. Ex. 22, 6 (5), suam protectionem et vindictam imaginibus umbrae et ignis enuntiare. *Cedros* i. e. « nobilissimos quosque ex vobis » (*Vatabl.*).

Iam ad fabulae applicationem gressum facit Ioatham. Et quidem a priore parte de regno recusato applicanda abstinet, utpote quae se ipsa pateat. Applicationis pondus est in voce באמת (*recte,* verbotenus *vere, sincere*), quae v. 19 repetitur et iam v. 15 adhibebatur : Si sincere, non uti v. 15 quoad solum Abimelech, sed magis etiam quoad Deum domumque Ierobaal egistis etc, sit vobis requies sub umbra rhamni, laetitia fruamini cum Abimelech; sin autem perverse, egrediatur ignis de rhamno Abimelech etc. Prodosis prior pars v. 16 enuntiatur, dein v. 17. 18

parenthetice Gedeonis praeclare gesta et Sichimitarum ingratitudo commemorantur, v. 19 eandem prodosin resumit et apodosi concludit, v. 20 alteram prodosis partem alteramque apodosin subnectit.

v. 16 « *Nunc igitur, si recte et absque peccato constituistis super vos regem Abimelech* », — *Hebr. si sincere et integre egistis constituentes etc* — « *et bene egistis cum Ierobaal et cum domo eius, et reddidistis vicem benificiis eius* », — *Hebr. et si sicut retributionem manus eius*, bene gestorum eius, *fecistis ei*. Sequens incisum reliqui melius ad v. 17 trahunt, pertinet quippe ad parenthesin. Item scribunt subiectum *pater meus* a *Vulg.* omissum, quod ex opposito v. 18 אתם *vos* genuinum esse confirmatur — « *qui* » pater meus « *pugnavit pro vobis* », v. 17 « *et animam suam dedit periculis* », *Hebr. proiecit eminus*, quando sc. cum paucissimis plurimos agressus est, « *ut erueret vos de manu Madian* », v. 18 « *qui nunc surrexistis contra domum patris mei et interfecistis* » per manum Abimelech, cui pecuniam subministrastis, « *filios eius septuaginta viros super unum lapidem, et constituistis regem Abimelech, filium ancillae eius, super habitatores Sichem, eo quod frater vester sit* »; — Acerba ironia, qua iam patet, facilius arbores sibi regem constituturas fuisse rhamnum « sincere et integre », quam « sincere et integre » potuerint Sichimitae sibi regem constituere Abimelech, quippe quem ob solam sanguinis communionem filium ancillae praetulerint filiis uxorum, rahmnum olivis, per summam ingratitudinem et crudelitatem. v. 19 « *Si ergo recte et absque vitio* » — eadem verba, quae v. 16 — « *egistis cum Ierobaal et domo eius, hodie laetamini in Abimelech, et ille laetetur in vobis* ». Comma secundum *Masor. Syr.* non ante, sed post *hodie* scribendum, quod habent etiam aliqui codices latini (*Verc.*); et confirmatur ex v. 18, ubi eadem vox incisum non incipit, sed claudit. Quomodo vero *laetandum*? Bene verba explicat *Malv.* : « Fruimini vos illo et ille fruatur vobis; sit vobis ac illi felix faustaque inauguratio ista in regem ». v. 20 « *Sin autem perverse, egrediatur ignis ex eo et consumat habitatores Sichem et oppidum Mello, egrediaturque ignis de viris Sichem et de oppido Mello et devoret Abimelech* ». Non *ignem* proprie dictum intelligas, cum neque Sichimitae neque Abimelech flammis interierint, sed iram, vindictam, furorem (*Lap.*). Urbs Thebes v. 50 Sichimitis vicina et foederata videtur fuisse, unde ignis bellicus ab illa profectus iure Sichimitis adscribitur.

v. 21 « *(Quae cum dixisset), fugit et abiit in Bera* », quam *Onomast.* secuti tribui Iudae assignant, octo milliariis Eleutheropoli distantem septentrionem versus; sed plures loci *Beer* i. e. *putei* nomen fortasse habebant, uti plures nomen *Rama* vel *Gabaa* i. e. *collis*. Sane

eum selegit locum Ioatham, ubi et ab Abimelech degeret securus et, quae Sichimis agerentur, facili ope disceret. « *Habitavitque ibi ob metum Abimelech, fratris sui* », ubi *Syr.* verba *habitavitque ibi* repetens, erronee vertit *habitaverat autem ibi Abimelech antea.*

b) ABIMELECHI RUINA. — IUD. 9, 23-57

Rebellant Sichimitae. — Iud. 9, 23-29

ARG. — Sichimitae animis ab Abimelech alienati insidias ponunt, latrocinia exercent, tandem recepto intra moenia Gaale in apertam rebellionem prorumpunt.

v. 22 « *Regnavit itaque Abimelech super Israel tribus annis* ». Notavit *Keil*, adhibita voce וישר loco eius, quod alias de regnorum duratione adhiberi consuevit (cf. 1 Reg. 13, 1; 2 Reg. 2, 10; 5, 4 etc), verbi מלך innui, ex mente s. auctoris Abimelechi tyrannidem legitimam haud fuisse. Hic versus et priorem narrationem absolvit, quatenus ostendit Sichimitas, non attentis Ioathami verbis, in consilio v. 6 perseverasse; et sequentem inchoat, quae est de actis Abimelechi tyranni.

An etiam iungere licet cum traductore textus Syr. in Polyglotta : « Cumque dominatus esset Abimelech etc, misit », ut non tota imperii duratio indicetur, sed illud tempus, quo cum Sichimitarum pace rebus praefuit Abimelech ? Id minus e re videtur, quod secus eadem formula integra regnorum duratio exprimi consueverit. Cf. formulas analogas 10, 2. 3; 12, 7. 9. 11. 14; 16, 31, quibus totum iudicum tempus describitur.

v. 23 « *Misitque Dominus spiritum pessimum inter Abimelech et habitatores Sichem* ». *Spiritum malum,* quem reliqui legunt textus, utique cum *Aug., Cai.* aliisque interpretari oportet diabolum : cur enim a sensu vocis maxime obvio (cf. 1 Reg. 16, 14) recedamus? Miseritne vero Deus iubendo potius an permittendo, interpretis non est disquirere. Ceterum *Vulg.* vertens *spiritum pessimum* utique intellexisse videtur affectum potius animi quam diabolum. Re utraque expositio coincidit, cum dissensionis affectum sane diabolus excitaverit et foverit. « *Qui coeperunt eum detestari* », — Liberius *Vulg.* reddit *Hebr.* : *et periure defecerunt incolae Sichem ab Abimelecho,* ubi ad verbi sensum cf. 1 Reg. 14, 33 (Vulg. « praevaricati estis ») — v. 24 « *et scelus interfectionis septuaginta filiorum Ierobaal et effusionis sanguinis eorum conferre in Abimelech fratrem suum et in ceteros Sichimorum principes, qui eum adiuverant* ». Haec item liberius. « Iuxta Hebr. non significatur actio Sichimitarum reiiciens scelus in Abimelech, sed significatur, quorsum Deus miserit spiritum malum cum subsecuto effectu rebellionis » (*Cai.*).

Habet quippe : *ut veniret scelus septuaginta filiorum Ierobaal et sanguis eorum, ut poneret super Abimelech fratrem eorum* (vel *suum), qui occiderat eos, et super habitatores Sichem, qui confortaverant manus eius ad occidendum fratres suos.* »

Ubi *scelus septuaginta filiorum Ierobaal* intelligas passive, sc. in illos commissum, et explicatur adiecto *et sanguis eorum.* Sed anacoluthica evadit constructio inserto לשום ad explicandum לבוא : iam לבוא est intransitivum, subiectum habens *scelus*, לשום vero transitivum subiectum habens v. 23 *Dominum.* Ergo, postquam auctor coeperat dicere, eam fuisse numinis mentem, ut, immisso diabolo *veniret scelus* super occisores, pergit eandem describere, ut *Dominus poneret scelus* super eosdem. Plana evadit constructio, si cum LXX pro לבוא legas transitivum להביא, correctione sat et fortasse etiam nimis obvia, cui videtur suffragari *Vulg. conferre.* Illico v. 27 legit LXX eiusdem verbi hiphil pro kal.

v. 25 « *Posueruntque insidias adversus eum in summitate montium* » Hebal et Garizim (*Keil*), qui urbi utrimque imminebant. At quare ? « Ad occidendum Abimelech venturum », inquit *Cai.* : at num is per vertices montium adventurus praesciebatur ? Melius *Vatabl.* : « ut illum interciperent, si illac transiret ». Urbs quidem munita erat, sed montes illi utrimque imminebant, quos occupari oportebat, ut ipsa urbs tuta esset. In « agros » (v. 27. 33) seu campum apertum, qui urbi ab occidente et ab oriente protendebatur, prodire non sunt ausi nisi post Gaalis adventum. « *Et, (dum illius praestolabantur adventum), exercebant latrocinia, (agentes praedas) de praetereuntibus* ». *Hebr. diripiebant quidquid transibat prope eos per viam.* « *Nuntiatumque est Abimelech* », sive per Zebul (*Calm.*), quem ipse praefectum urbis constituerat, sive per alios. v. 26 « *Venit autem Gaal, filius Obed, cum fratribus suis et transivit in Sichimam* ». Ad sequentia intelligenda adverte, Sichimis tum, uti videtur, varias fuisse factiones. Civium plerique erant Abimelecho infensi. Quidam tamen ancipites haerebant, immo eidem favebant, secreto tamen, uti certe Zebul. Qui videtur non aliunde fuisse submissus praefectus, sed et ipse Sichimis oriundus atque ex proceribus loci, secus mature fuisset exturbatus. Qui Abimelecho infensi erant, acciverunt Gaalem cum sociis, quem equidem coniecerim fuisse hominem aliquem vagum, qualis postmodum exstitit Iephte. Cuius adventu audaciores effecti, iam in apertum prodire campum suasque vineas vindemiare ausi sunt. « *Ad cuius adventum erecti habitatores Sichem* », v. 27 « *egressi sunt in agros vastantes vineas* » — *suas* cum reliquis addendum ; ceterum בצר de vindemiandis vineis usurpari consuevit, ideoque minus apte *vastantes* vertitur ; quod de uvis calcandis adiicitur, vindemiam esse habitam supponit (*Cai.*) — « *uvasque calcantes* » ad exprimen-

dum vinum. Iam tantos illis animos addiderat Gaalis armatum praesidium, ut, eo in urbe et circa illam disposito, securi in patentes agros sint progressi atque suarum vinearum vindemiam egerint. « *Et factis cantantium choris, ingressi sunt fanum Dei sui, et inter epulas et pocula maledicebant Abimelech* ». « Quemadmodum finita vindemia Scenopegiae festo ad tabernaculum vel templum confluebant pii Iudaei acturi Deo de vindemiae proventu gratias : ita hi in idololatriam prolapsi ad idola (sc. Baal Berith) suam actionem gratiarum convertebant » (*Bonfr.*). Epula vero illa in ipso fano esse habita, uti altera illa 16, 23 sqq. Philisthaeorum in templo Dagon, censet *Ser.*

הלולים Lev. 19, 24 utique significat *sacrificium laudis*, ubi *Vulg.* LXX radicis sensum expresserunt *laudabilis*, αἰνετός. LXX h. l. Ἐλλουλίμ et alia lectione χορούς, *Chald.* חנגין *saltationes* ; quae omnia ad eandem radicem convergunt, cum laudatio adnexos habuerit choros. *Syr.* חליל, *Theod.* αὐλούς videntur legisse חלילים, mendose uti videtur, verum sensu haud alieno. — Putat *Bonfr.*, ea voce etiam intelligi posse hymnos et exclamationes tripudii inter ipsam vindemiam adhiberi solita, cf. Is. 16, 10 ; Ier. 25, 30 ; 48, 33 ; 51, 14 ; et suffragari videntur *Masor.*, illud הלולים interposito athnach a sequenti actione sacra separantes. E contra LXX (εἰςήνεγκαν) illud Ἐλλουλίμ utique intelligebant de sacrificio in fanum *inferendo*, vox Lev. 19, 24 indubie *sacrificium* exprimit, illae exclamationes non הלולים audiunt, sed הידד.

v. 28 « *clamante* », reliqui *dicente*, « *Gaal, filio Obed* » : — « Videns Gaal populum aperte contra Abimelech loquentem, oblata occasione maledicentium manifestavit ambitionem suam » (*Cai.*). Eo usque videntur Sichimitae duce rebellionis caruisse ; quam ob causam fortasse distulerat illos adoriri Abimelech ratus, qui suarum partium Sichimis essent, rerum summa esse potituros. Iam aperte principatum ambit Gaal, repudiato cum Abimelech etiam Zebulo praefecto. At hinc exasperatus rursum Zebulus, sive quod ad defectionem pridem propendens iam perspiceret in solo Abimelech sibi esse salutem constitutam, sive quod Abimelecho iam ante secreto addictus nunc intelligeret forti atque celeri opus esse facinore (cf. v. 29) — « *Quis est Abimelech et quae est Sichem, ut serviamus ei ?* »

Absurda *Munst.* sententia, « Sichem non esse hic nomen civitatis, sed nomen principis filii Emor, qui violavit Dinam filiam Iacob (Gen. 34) et olim oppido illi praefuit ». Quam sententiam munire studet *Drus.*, affirmans מי de solis personis interrogare, non de urbibus : nugatur obiectio, cum urbes ad instar personarum considerentur in V. T. perquam frequenter. Rursum *Cler.* e textu eruit, Abimelchi matrem (8, 31) fuisse Sichemo, Emoris filio, oriundam : « alioqui si Abimelechi mater Hebraea fuisset, nihil erat cur Sichemum hic et Emorem memoraret ». Ad summum sequeretur, Zebulum fuisse Sichemo natum, dum Abimelechi mater praeter omnem contextum introducitur. Sed perperam

introducitur discrimen inter Sichemo et Emore natos, cum Sichimitae universi utroque progenitore gloriarentur. Originem forte duxit hoc interpretamenti genus ex LXX *quis est filius Sichem*, unde appareat dici Sichemi filium Abimelech : at lectio critica auctoritate destituitur.

Ex verbi persona iam inferebat *Cai.*, fuisse Sichimitam Gaalum, contra quem *Ser.* : « Non est tamen, quae quemquam urgeat, coniectura. Nam vel se cum Israelitis omnibus Abimelecho subiectis, vel cum Sichimitis, quasi amicitia et studio iam ipsorum totus esset, coniungere potuit ». — « *Numquid non est filius Ierobaal, et constituit principem Zebul servum suum super viros Emor, patris Sichem ? Cur ergo serviemus ei ?* » Immerito *Keil* vocem *qui est* bis in eodem contextu adhibitam censet non posse diversum induere sensum, ut primum significet « quantulus est Abimelech », et rursum « quanta est Sichem ». Vox non ex se sed ex adiecto nomine diversum habet sensum, ut si dicas : Quis est Deus ? Quis est Lucifer ? Opponuntur sibi igitur hoc argumento Abimelech et Sichem, ille ambitiosus, parricida, nullo vero iure imperans, haec ampla totque civibus Abimelecho melioribus clara. Illud profecto prae ceteris in Abimelecho offendit Sichimitas, esse filium Ierobaal qui nomen nactus sit a subversa ara Baal, quem speciali cultu ipsi venerabantur. Acceditque (secundum Vulg.) gravamen aliud, quod ne per se ipsum quidem Sichimitis imperet, sed per praefectum quemdam.

Divergunt lectiones vel potius punctationes. *Masor.* post *Nonne filius Ierobaal (ipse), et Zebul praefectus eius?* scribunt athnach, inde pergunt : *Servite* (עִבְדוּ) *viris Emor patris Sichem.* Ubi *Bonfr.* : « Servire in tota hac sententia idem est, quod alteri tamquam regi subiici ; igitur, ut viri Sichem viris Sichem dicerentur servire, debuissent aliqui Sichimitis reges esse, alii subditi ». *Vulg.* LXX עַבְדוֹ : *et Zebul praefectus eius servus eius, cum (Vulg. super) viris Emor, patris Sichem.* Altera lectio LXX κατεδουλώσατο, העביד confirmatione caret. — Planissima punctatio *Chald. Syr.* עָבְדוּ : *Nonne filius Ierobaal et Zebul*, cum sint ambo Hebraei, in patribus suis Gen. 33, 18 sqq. *servierunt viris Emor, patris Sichem ? Cur ergo serviemus ei nos ?* Quae punctatio explicat, tam cur Emor pater Sichem nominetur, is enim reapse tempore Iacobi Sichimis imperabat, quam cur in fine pronomen *nos* efferatur, planissimumque praebet sensum. Simul respondet quaestioni prius positae : *Quis est Abimelech etc ?* Ipse sc. est filius servorum nostrorum, nos filii dominorum patrum eius. Neque hinc sequitur, Sichimitas Abimelechi coaevos fuisse Chananaeos ; sed eo impietatis descenderant isti levitae, ut se veluti genere eosdem cum Chananaeo Emor considerarent. Consonat omnino, ut, qui sibi Baal Berith deum elegissent, Chananaeo Emor patre gloriarentur. Unam tamen habet haec expositio difficultatem, nos Gen. 33, 18 sqq. haud doceri, *serviisse* Hebraeos Sichimitis.

v. 29 « *Utinam daret aliquis populum istum sub manu mea, ut auferrem de medio Abimelech* ». « Caute loquitur, non dicit : Quis

faciet me regem aut dominum ? sed : Quis faciet me ducem populi ad bellum ? » (*Cai.*). Recte advertit *Cassel*, haec proferri contra Zebul : Ipse hunc populum sub manu habens nihil agit contra Abimelech; ego vel meis, quos mecum duxi, sociis destitutus cum hoc tali ac tanto populo plenam referrem victoriam. Ne mireris igitur, v. 35 cum solis sociis Gaalem certamen inire, quod h. l. cum solis Sichimitis se suscepturum fuerat pollicitus. « *Dictumque est Abimelech : Congrega exercitus multitudinem et veni* ». Hebraea vox impersonaliter sumi potest, ergo *dictum est* a quodam (*Cler.*). *Bonfr.* praefert a Zebul, sed tum hic versus satis superflue anticiparet verba v. 31 sqq. Ergo planius alii : et dixit Gaal Abimelecho, « absenti tamquam praesenti » (*Vatabl.*), concordatque LXX prima usa persona *et dicam ad eum.* « Dixit insultando et irridendo ad Abimelech absentem, ut consueverunt confidentes in suis viribus ad ostentationem sui et despectionem inimici absentis iactanter dicere » (*Cai.*). Et verba explicat *Vatabl.* : « Cape tecum exercitum quantumlibet magnum, et egredere de loco, in quo habitas, et mutuo armis decertemus », ego vel solis meis sociis stipatus nequedum Sichimitarum fide recepta. Vino inflammatus et convivarum plausu elatus abripitur Gaal, ut ea eloquatur verba, quibus et Zebulum sibi infensum reddat et Abimelechi vindictam provocet.

Advenit Abimelech. — *Iud.* 9, 30-40

ARG. — Abimelech a Zebul clam accersitus adest ; cuius copias iam undique in apertum prorumpentes insultans Gaali demonstrat Zebul, adversae in urbe factionis caput.

v. 30 « *Zebul enim* » — secundum modo dicta melius *autem* —, « *princeps civitatis, auditis sermonibus Gaal filii Obed, iratus est valde* », voluerat enim ipse urbi imperare pro Abimelech, v. 31 « *et misit clam ad Abimelech nuntios* ». Ἅπαξ λεγόμενον בתרמה Rabbini aliqui interpretati sunt *in Tharma*, quem locum fingunt eundem fuisse atque v. 41 Rumam ; cui expositioni favet lectio aliqua LXX μετὰ δώρων, supponens scriptionem בתרומה. Iam cum antiqui characteres א et ת facile permutarentur, ea scriptio corrupta supponi potest ex בארומה, « in Ruma ». Lectionem receptam vertit *Vulg. clam* ; LXX ἐν κρυφῇ ; *Chald. secreto; Syr. in dolo.* Vox repetenda a radice רמה « decipere », ut sensus proximus sit *in dolo* ; quod autem fit in dolo, fit etiam *clam* seu *secreto*. Missi sane sunt nuntii « clam Gaale » (*Cler.*). Praestat tamen cum Syr. inhaerere significationi primariae *in dolo*, ita ut dolus non solum fuerit directus contra Gaal, sed praeprimis contra ipsum Abimelech. Qua una voce videtur nobis

explanari, quod secus manet subobscurum, quid in tota hac re voluerit atque egerit Zebul. Ipse igitur, ab Abimelech praefectus constitutus, civis Sichimita, origine Hebraeus, rebellium partes susceperat : solus enim v. 36 sqq. eorum dux recensetur. Urbi ipse dominari percupiebat. Ubi ergo advertit, Gaalem principatum affectare, *iratus est valde* atque de eo removendo cogitabat. Rem dolo quam vi agere maluit, sive quod nimium valeret Gaal, sive quod, Sichimitae utri se iuncturi essent, dubitaretur. Constituit igitur Abimelecho uti ad destruendum Gaal, ratus Abimelechum nonnisi multorum e suis caede comparaturum esse victoriam atque ita imparem futurum expugnandae urbi. At aliter res cessit. Gaal quidem devictus est atque eius cohortis reliquiae facili ope a Zebule urbe sunt eiectae ; cf. v. 41, ubi tollendum comma post « autem », reliquis textibus omnibus repugnans. At proximo die Sichimitae ipsi, duce sane Zebulo ad pugnam progressi, oppressi sunt atque urbs destructa est. — « *Dicens : Ecce Gaal filius Obed venit in Sichimam cum fratribus suis, et oppugnat adversum te civitatem* ».

Quomodo *oppugnare* dicitur civitatem, qui illam nemine repugnante fuisset ingressus ? « Urbs obsidetur interius, exterius », inquit *Drus.*; « exterius, quando corona cingitur, ne quis egredi aut ingredi possit; interius, quando cives prohibentur ire ad principem suum ». Subtilius haec quam verius dicuntur. LXX *Syr. circumdant*; *Hebr. Chald.* etiam verti potest *coarctant; Ios.* παροξύνειε, *sollicitare.* Id sat bene quadrat : qui adhuc Abimelecho favebant, ii coarctabantur, sollicitabantur. — Aliter *Calm.* : « Ecce (ipsi), hostes in urbe (vel cum urbe) adversus te ».

v. 32 « *Surge itaque nocte cum populo, qui tecum est, et latita in agro* », v. 33 « *et primo mane oriente sole irrue super civitatem ; illo autem egrediente adversum te cum populo suo, fac ei quod potueris* ». Quibus promittit Zebul, se ipsum pugna abstenturum esse; idque revera praestitit. Excubias disposuit nullas ; cum Gaal quidem v. 36 urbe egressus est, at imminente pugna spectator v. 39 adstitit. Pugnam autem post v. 29 verba recusare Gaal iam non poterat.

v. 34 « *Surrexit itaque Abimelech cum omni exercitu suo nocte et tetendit insidias iuxta Sichimam in quatuor locis* ». Verte, uti 7, 16, quatuor partibus seu turmis, quae utique totidem locis erant dispositae. v. 35 « *Egressusque est Gaal filius Obed* », non necessario iam ex urbe, quod v. 39 narratur, sed fortasse ex domo (*Bonfr.*), « *et stetit in introitu portae civitatis* ». Duo duces illuc primo mane convenerunt, quod ipsis esset dispiciendum, essentne omnia civitati tuta. « *Surrexit autem Abimelech et (omnis) exercitus cum eo de insidiarum loco* ». Tollenda omnino vox *omnis* : surrexit Abimelech *et populus, qui cum eo*, i. e. una ex quatuor turmis, ut Gaal exiguo eorum numero

audacior factus ad pugnam securus progrederetur. v. 36 « *Cumque vidisset populum Gaal, dixit ad Zebul* » : — « Hinc liquet, Zebul in comitatu Gaal fuisse et egregie iram animumque suum dissimulasse » (*Bonfr.*) — « *Ecce de montibus multitudo descendit* ». Alii praeter Hebal et Garizim montes intelligi vix possunt : ergo Zebul ea, quae v. 25 ibidem disposita fuerant, praesidia retraxerat. « *Cui ille respondit : Umbras montium vides quasi (capita) hominum, (et hoc errore deciperis)* ». Timidorum est umbras formidare ut hostes, et eorum qui, dispulsa necdum post nocturna pocula ebrietate, mane consurgunt. v. 37 « *Rursumque Gaal* », ad eosdem « vertices montium » (v. 36) prospiciens illosque accuratius contuitus, « *ait : Ecce populus de umbilico terrae descendit, et unus cuneus venit per viam, quae respicit quercum* ». Distinguit iam Gaal duo puncta, quae v. 36 generali expressione « vertices montium » complexus fuerat, atque exinde, quod aliquem motum e duobus diversis locis urbem versus convergentem perspiciat, merito infert non esse eum motum umbrarum. Aut unus Abimelechi cuneus (v. 34) bipartitus incedebat, aut praeter illum alter e quatuor ad urbem accedebat, reliquis duobus in insidiis latentibus.

Umbilicus terrae dicitur etiam Ierusalem Ez. 38, 12. טבור in *Talmud umbilicum* denotat, et ita a *Vulg.* LXX vertitur; in linguis *Phoenic.*, *Samar.*, *Aethiop.* significat *montem*, a *Chald.* vertitur תוקפא *arx*, a *Syr.* h. l. תוקנה *munimentum*. Hinc praeplacet montis significatio. Puto autem certo alicui eorum montium tractui nomen proprium fuisse טבור הארץ. — *Quercum Meonenim* nomen proprium interpretati sunt LXX *Chald. Syr.*; si vertere placet, vertas *quercum augurum; Vulg. quae respicit* et *Theod.* ἀποβλεπόντων videntur ad radicem עין *oculus* recurrisse, minus feliciter. — κατὰ θάλασσαν ἀπὸ τοῦ ἐχόμενα est duplex versio unius מעם, semel in מים corrupti.

v. 38 « *Cui dixit Zebul : Ubi est nunc os tuum, quo loquebaris* » : — *Chald. verbum tuum,* « illa tua magnifica verba, quibus te tantopere iactabas » (*Vatabl.*) — « *Quis est Abimelech, ut serviamus ei ? Nonne hic populus est, quem despiciebas ? Egredere et pugna contra eum* ». Haud equidem puto, his verbis Zebulem iam « larvam abiicere » (*Bonfr.*), secus enim Gaal in suspicionem actus a certamine fortasse se retraxisset. Insultabant utique verba vanitati Gaalis (*Malv.*), sed ita ut viderentur tamen eius honori consulere, ab amico profecta. v. 39 « *Abiit ergo Gaal spectante Sichimorum populo, et pugnavit contra Abimelech* ».

Quam vocem לפני *Vulg.* vertit *spectante,* vertere etiam possumus *ante,* « tamquam dux belli » (*Cai.*), ut igitur etiam Sichimitae ad proelium prodiisse narrentur; cf. Gen. 33, 3; Ex. 13, 21; Num. 10, 35. Res in ancipite est. Quae contra proferuntur

rationes, non convincunt. Sic dicit *Keil* v. 35 solius Gaalis « egressum » narrari : at is non fuerat egressus ex urbe, sed ad portam, et ex v. 36 Zebul ibi fuerat cum Gaal. Urget idem auctor, nonnisi v. 42 Sichimitarum tandem egressum narrari : at potuit is secundus esse egressus.

Proelium committitur. — Iud. 9, 40-44

ARG. — Gaal, cum suis ad pugnam progressus et victus, a Zebule urbe excluditur ; qui sequenti die altero proelio ipse opprimitur.

v. 40 « *Qui persecutus est eum fugientem (et in urbem compulit), cecideruntque ex parte eius plurimi usque ad portam civitatis* ». Verba uncinis inclusa *Vulg.* supplevit ; utrum feliciter necne, dirimi vix potest. Etenim, quae v. 41 habetur vox *expulit,* non necessario exprimit, Gaalem fuisse in urbem admissum ; sed potuit is *usque ad portam civitatis* progressus prohiberi ingressu, idque facilius quam admissus primum rursum excludi, cf. *Calm.* — v. 41 « *Et Abimelech sedit in Ruma* » seu *Aruma,* loco ceteroqui ignoto, sed Sichimis utique proxime distanti; « *Zebul autem Gaal et socios eius expulit de urbe, nec in ea passus est commorari* » ; reliqui *expulit, quominus sederet in Sichem.* Bis eodem versu adhibita *sedendi* vox, bis eundem sensum habeat oportet : an fortasse eum, quem priori loco eidem tribuit LXX *ingressus est* ?

v. 42 « *Sequenti ergo die egressus est populus* » Sichimitarum « *in campum* ». Ad quid ? ad absolvendam vindemiam, censet *Ios.* : verum iam « de vindemia prospere peracta idolo suo gratias egerant supra v. 27 » (*Bonfr.*). Ad alios labores agrestes, censent alii. Sed « quorsum ille apparatus bellicus et studiosa exercitus in tres cuneos ab Abimelecho facta distributio, si contra imbellem tantummodo turbam et ad rusticana opera proficiscentem res futura erat ? » (*Bonfr.*). Hinc Abimelechi regressum Rumam ideo factum esse supponit *Ros.*, ut qui se nihil ulterius contra Sichimitas gerere velle simularet, Gaalis impetum fregisse contentus, ut securiores Sichimitae ab hac parte redderentur ». Sed cur non missi legati, qui, quo animo affectus esset Abimelech, explorarent. Unde gratis adstruit *Cler.*, eos putasse Abimelechum in loca remotiora recessisse. Simplicissima expositio est, eos instructa acie ad redintegrandum proelium processisse (*Bonfr., Malv., Menoch.*). « *Quod cum nuntiatum esset Abimelech* », v. 43 « *tulit exercitum suum et divisit in tres turmas, tendens insidias in agris. Vidensque, quod egrederetur populus de civitate, surrexit et irruit in eos* » v. 44 « *cum cuneo suo, oppugnans et obsidens civitatem* ». Aliter reliqui : *Abimelech et cuneus, qui cum ipso erat, expanderunt se et steterunt in introitu portae urbis,* Sichimitas a reditu in urbem intercipientes.

Difficultatem facit pluralis ראשים, unde LXX vertebat *principes*. Pluralem *Cai.* vertit *cum turmis* : sed quaenam intelliguntur turmae ? tres omnino erant v. 43, de duabus statim v. 44 est sermo, ergo unica videtur manere. Respondent *Ros.*, *Bertheau*, omnes tres turmas se expandisse, sed unam tantum stetisse in introitu portae : violenta constructio. Recte *Ios.* unicam turmam intellexit, poterisque dicere scribi pluralem, quod reapse de multitudine agatur individuorum.

« *Duae autem turmae palantes per campum adversarios persequebantur* ». Verte : *Duae autem turmae expanderunt se super omnes, qui erant in campo, et percusserunt eos.*

Destruitur Sichem. — Iud. 9, 45-49

Arg. — Urbe destructa cives in turrim firmissimam, ubi fanum Baal Berith, secedunt. Abimelech comportatis ramis turrim cum incolis succendit.

v. 45 « *Porro Abimelech omni die illo oppugnabat urbem, quam cepit interfectis habitatoribus eius ipsaque destructa ita, ut sal in ea dispergeret* ».

Cur sal adhibitum ? « In perpetuam detestationis notam ac signum », inquit *Ser.* ; « ad significandam summam suam in Sichem iram et indignationem » *(Lap.)*. Si quaeras, unde horum significandorum sali virtus, respondet *Theodoret.*, « sal denotare sterilitatem, quoniam ex sale nullus fructus nascatur ». Quod constat experientia, et etiam Ier. 17, 6; Iob. 39, 6 ; Ps. 106, 34 exprimitur. Deut. 29, 23 edicitur terra sale saturata ultra non seri nec virens quidquam germinare. Simul recurritur ad exemplum Sodomae, ubi etiam conferas Soph. 2, 9 : « Moab ut Sodoma erit et filii Ammon quasi Gomorrha : siccitas spinarum et acervi salis et desertum usque in aeternum ». Aspergebantur igitur urbes destructae sale, quo significaretur desiderium et voluntas, ut illae nunquam reflorescerent desertaeque perseverarent. Adde, foedera antiquitus non raro salis communione fuisse sancita, ipsumque Israelis cum Deo initum pactum vocari « pactum salis » Num. 18, 19 ; 2 Par. 13, 5. Iam pactum cum Abimelecho inierant Sichimitae, quod laesum merito punitur sale urbi insperso.

v. 46 « *Quod cum audissent, qui habitabant in turre Sichimorum, ingressi sunt fanum Dei sui Berith, (ubi foedus cum eo pepigerant, et ex eo locus nomen acceperat, qui erat munitus valde)* ». Quae uncinis inclusimus, rursum adiecit *Vulg.*, neque feliciter omnia. Non enim agitur de loco munito, quem Sichimitae petierint restituri, sed de adyto sacro, ad quod loci reverentia fisi confugerint.

אל צריח בית אל ברית. Pro אל צריח videtur legisse LXX לקראת, εἰς συνέλευσιν, *Syr.* לכרת, *ad feriendum*, literis inter se perquam similibus. צריח v. 49 a *Vulg.* vertitur *praesidium*, a *Syr. urbs* (!); 1 Reg. 13, 6 ab omnibus *spelunca*, cui significationi sane

erit adhaerendum. In sequentibus voces בית אל non sunt utique cum *Chald. Syr.* in unam iungendae, *Bethel*; sed בית אל ברית necessario idem sit oportet (*Drus.*) atque בית בעל ברית, *fanum Baal Berith.* Unde patet, illud צריח fuisse partem ailquam fani, *speluncam* cum illo connexam, locum qui prae ceteris sanctus ideoque eodem confugientibus tutus haberetur.

v. 47 « *Abimelech quoque audiens viros turris Sichimorum pariter* », i. e. simul « *conglobatos* », v. 48 « *ascendit in montem Selmon* », Ps. 67 (68), 15, ceteroquin ignotum, non multum sane distantem a turre Sichimorum », *cum omni populo suo et, arrepta securi, praecidit arboris ramum impositumque ferens humero dixit ad socios : Quod me videtis facere, cito facite* ». v. 49 « *Igitur certatim ramos de arboribus praecidentes sequebantur ducem* ». Reliqui : *Et praeciderunt pariter omnis populus unusquisque ramum* (simplicius cum *Vulg.* LXX punctabis שׂוֹכָה, retenta nominis forma feminina, quae v. 48 legebatur), *et iverunt post Abimelech.* « *Qui circumdantes praesidium succenderunt; atque ita factum est, ut fumo et igne mille homines necarentur, viri pariter et mulieres habitatorum turris Sichem* ». Liberius rursum *Vulg.*; reliqui : *et posuerunt super speluncam, et succenderunt super ipsos speluncam igne, et occiderunt (LXX Syr. Masor.* alia punctatione *et mortui sunt) simul omnes habitatores turris Sichem, quasi mille tam viros quam mulieres.*

Sane praepositio על induxit *Keil*, ut affirmaret צריח habuisse *tectum*, quod comburi posset. Sed intellexerat iam *Cai.*, eum posse esse sensum, ut ignis fuerit appositus non in vertice sed ad latera illius צריח; item scribebat *Ios.*, fuisse, « ligna petrae circulo circumposita ». Textus optime intelligi potest, ut ignis fuerit ori speluncae appositus atque ita, qui in ea latebant, fumo suffocati.

Abimelech urbem Thebes oppugnans occiditur. — Iud. 9, 50-57

ARG. — Ad turrim urbis Thebes accedens Abimelech ignem subiicere nititur. Quem mulier deiecto molae fragmine letaliter vulnerat. Ipse armigerum advocat et ab eo confoditur.

v. 50 « *Abimelech autem* (*inde*) » — vocem supplevit *Vulg.*, uti LXX *de fano El Berith* — « *proficiscens venit ad oppidum Thebes* », nunc Tubas, quatuor horarum itinere (tredecim milliariis, *Euseb.*) distans Sichimis in via, quae ducit Bethsan. « *Quod circumdans obsidebat exercitu* ». Reliqui : *Et obsedit Thebes et cepit eam*, turri utique excepta. *Ios.* suggerit, Abimelechum victoria elatum voluisse omnes Israeliticas subigere civitates, eas etiam quae sibi ante necdum paruissent; probabilius *Vatabl.* censet, hanc etiam civitatem ab Abimelecho defecisse.

v. 51 « *Erat autem turris excelsa* », verbotenus *firma*, sed turrium in celsitudine contra hostes firmitas, « *in media civitate, ad quam confugerant simul viri ac mulieres, et omnes principes civitatis* », — vox uti alias vertenda *habitatores* eaque idem sonat, atque *viri ac mulieres* — « *clausa firmissime ianua, et super turris tectum stantes (per propugnacula)* ». Reliqui : *et clauserunt post se et ascenderunt super tectum turris.* v. 52 « *Accedensque Abimelech iuxta turrim pugnabat (fortiter), et appropinquans ostio ignem supponere nitebatur* ». v. 53 « *Et ecce una mulier fragmen molae* » superioris, *germ.* « der Laüfer », « *desuper iaciens illisit capiti Abimelech, et confregit cerebrum eius* » seu *cranium.* « Iustus es Domine ! Qui fratres super uno necarat lapide et erga omnes lapide durior fuerat, durissimo nunc obruitur lapide Abimelech. Qui propter Sichimensis matris patriam et cognationem tantas in Israel tragoedias excitarat, a muliere nunc unica, telo plus quam tragico sauciatur necique datur » (*Ser.*). v. 54 « *Qui vocavit cito armigerum suum et ait ad eum : Evagina gladium tuum* » — *LXX meum* — « *et percute me, ne forte dicatur* » *de me,* « *quod a femina interfectus sim* ». « Hinc intelligere licet, quam verum sit, inanem gloriam inter ea esse, quae ab hominibus postrema exuuntur. Quidnam enim intererat Abimelechi, qui de se futuri essent sermones, quos nunquam auditurus erat » ? (*Cler.*). « *Qui iussa perficiens interfecit eum* ». Reliqui : *Et confodit eum et mortuus est.* v. 55 « *Illoque mortuo omnes, qui cum eo erant de Israel, reversi sunt in sedes suas* ». Reliqui paulo aliter. v. 56 « *Et reddidit Deus malum, quod fecerat Abimelech contra patrem suum, interfectis septuaginta fratribus suis* » — *Vatabl.* « subintellige : in caput eius ». Malim hunc versum intime cum sequenti coniungere, ita ut ראשם et אליהם grammatice tam ad Abimelechum quam ad Sichimitas referatur : Ioathami utique maledictio utrosque respexerat. v. 57 « *Sichimitis quoque, quod operati erant, retributum est et venit super eos maledictio Ioatham filii Ierobaal* ».

Thola et Iair. — Iud. 10, 1–5

Secundam epocham concludit Samuel duobus recensitis iudicibus minoribus, altero Issacharita, intra cuius tribus fines Gedeon Madianitas primum, altero Galaadita, ubi idem eosdem supremum vicerat. Non nominantur Manasse et Ephraim, quibus praeter omne dubium imperaverat Abimelech. Expressio *surrexit post* v. 1. 3 non est premenda, cuius sensus aeque facile esse potest *praeter eum surrexit.* Hinc non est omnino evidens, attamen probabilius, illos duos iudices post occisum Abimelech rem publicam administrasse ; item poteris supponere, eos

id sive ex parte sive omnino eodem tempore praestitisse. Quaeres, quae eo tempore conditio tribuum Manasse et Ephraim fuerit. Aut paruerunt uni eorum iudicum, aut alteri, aut utrique, aut neutri : praestat supponendi licentiam textus silentium. Nihil prohibet supponere, Ephraimitas usque ad tempus 12, 1 anarchia quadam vixisse, singulis pagis a suis iudicibus administratis.

Cap. X v. 1 « *Post Abimelech surrexit dux in Israel Thola, filius Phua* », quae duo nomina Gen. 46, 13; 1 Par. 7, 1 duorum fuerant filiorum patriarchae Issachar, « *patrui (Abimelech), vir de Issachar, qui habitavit in Samir montis Ephraim* », distinguenda a Samir tribus Iuda Ios. 15, 48. Pro *dux in* reliqui *ad salvandum.* A quibus malis aut hostibus salvaverit, nescimus. « *Surrexit* autem an Deo iubente an populi electione, non explicatur : alteruter tamen modus in quavis novi iudicis electione semper intelligendus » (*Bonfr.*).

Ios. Tholam omittit. Quaerunt, quomodo Phua dicatur *patruus Abimelech*, seu frater patris i. e. Gedeonis, cum hic Manassaeus fuerit, ille Issacharita. Respondebat iam *Aug.*, potuisse fratres fuisse uterinos, ex una matre sed diversis patribus natos. Verum textus non habet *patrui Abimelech*, sed *filii patrui eius*, seu potius, quod iam perspexit *Cai.*, *filii Dodo*, idemque nomen proprium habes 2 Reg. 23, 9. 24. Ergo Thola nequaquam videtur fuisse cognatus Gedeonis.

v. 2 « *Et iudicavit Israelem viginti et tribus annis; mortuusque est ac sepultus in Samir* ».

v. 3 « *Huic successit Iair Galaadites* », ergo e Manassae tribu dimidia transiordanica. Nomen *Iair* habuit unus nepotum Manassis Num. 32, 41; 1 Par. 2, 21 sqq., item Esth. 2, 5 Mardochaei pater. « *Qui iudicavit Israelem per viginti et duos annos* », v. 4 « *habens triginta filios sedentes super triginta pullos asinarum* », « i. e. solitos equitare » (*Sa*); non arte equitandi excelluisse (*Ios.*) affirmantur, sed nobiliorum ritu in publicum processisse (*Calm.*), cf. 5, 10 : « qui ascenditis super nitentes asinos » — « *et principes triginta civitatum, quae (ex nomine eius) sunt appellatae Havoth Iair, (i. e. oppida Iair), usque in praesentem diem in terra Galaad* ». Pro gloria patris haec referuntur » (*Cai.*). « Principatus hic filiorum subordinatus fuit patris principatui, et tantummodo ad iudicandum gubernandumque iuxta divinas leges populum referebatur, non ad dominationem aliquam liberiorem exercendam » (*Bonfr.*). Sic etiam Samuel postmodum 1 Reg. 8, 1 sq. filios ad communionem auctoritatis assumpsit.

Reliqui : *Et triginta urbes erant ipsis, quae vocantur Havoth Iair etc.* Sensus tamen manet, fuisse vocatas *nomine eius* ; atque ita ipsum urbium nomen

(cf. 6, 24) monumentum fit eorum, quae narrantur, veritatis. At difficultas est, iam ab antiquiore illo patriarcha Iair Num. 32, 41 ; Deut. 3, 14 ; 3 Reg. 4, 13 eas urbes idem nomen accepisse : quomodo ergo ab altero Iair accipere potuerunt, quod iam ante habuerant, nomen ? Respondeas, non dici urbes nomen accepisse, sed habuisse. Loco Gen. 21, 31 ; 26, 33 inditum nomen Bersabee ob duos diversos eventus ; proverbium « Num et Saul inter prophetas ? » 1 Reg. 10, 12 ; 19, 24 cum duorum eventuum memoria connexum : cur igitur nomen Havoth Iair non fuerit monumentum duorum Iair longo interiecto tempore ibidem imperantium (*Kaulen* p. 183) ? Idque eo facilius admittes, si supponas perturbatis illis temporibus civitates illas Iudaeis ereptas nomine Havoth Iair iam non appellari consuevisse, illudque nomen iudicante tandem altero Iair recuperasse. *Smith.* p. 153 : « There is a touch of humour displayed in the revival of the name Havoth Iair with an allusion to its old origin in Deut. 3, 14 ». — Civitates h. l. *triginta* recensentur, Ios. 13, 30 et 3 Reg. 4, 13 sexaginta : sed non constat, hoc altero numero solas civitates Havoth Iair exprimi, exclusis Basan et Argob ; insuper potuit posteriore aevo dimidia civitatum pars in hostium manibus esse ; aut solis triginta potuere iudicis filii praefici, qui triginta solum filios haberet. Ceterum cf. *Smith.* p. 419 sqq. ; *Cornely* Introductio II. 1. p. 85.

Pro ערים scribitur pluralis עירים, ut lusus verborum habeatur cum עירים *asinis*, unde etiam confirmatur, asinarum mentionem introduci ad filiorum auctoritatem et dignitatem commendandam. Lusum verborum feliciter imitata est LXX : πώλους-πόλεις (*Ser.*). Ceterum de urbibus illis fusius erit agendum in Pentateuchi Commentario.

v. 5 « *Mortuusque est Iair ac sepultus in (loco, cui est vocabulum) Camon* ». *Hebr.* breviter *in Camon*, quod etiam legebat in LXX *Ios.*, quae nunc habet Ῥαμνών. Galaaditidi assignat urbem *Ios.*, ea forte coniectura ductus, quod Galaadites fuerit ipse Iair.

Eius nobis iam, quod n. 4 affirmavimus, asserti reddenda est ratio, servitutes Ammoniticam et Philisthaicam non successive sed (circiter) simultanee obtigisse, eandemque fuisse Philisthaicam servitutem, contra quam et Samson et Samuel contenderint.

Igitur 10, 7 simul annuntiantur servitus aliqua Philisthaica et servitus Ammonitica, dein 10, 8-12, 15 Ammonitica narratur : ergo Philisthaica, quae 13, 1 sqq. illico post Ammoniticam narratur, eadem est quae 10, 7 annuntiabatur, cum Iud. liber non assueverit servitutes annuntiare, quarum non etiam historiam tradat. Neque obstat 13, 1 Philisthaicae servitutis narrationem ordiri a verbis « Rursumque filii Israel fecerunt malum », nam ea verba non sunt nisi repetitio verborum 10, 6 ideoque narrationem servitutis Philisthaicae ib. annuntiatae resumunt. Neque vox « rursum » idem sonat, quod adverbium temporis « postea » : sufficit ei tribuere sensum « praeterea ». Neque tandem ulla est ratio supponendi, aut Iephten tribubus Dan et Juda, aut Samsonem transiordanicis praefuisse. Ergo textu sensu obvio intellecto servitutes Ammonitica et Philisthaica dicendae sunt fuisse circiter simultaneae, quamvis forte non uno ambae anno inceperint.

Sed quadraginta annorum servitus Philisthaica 13, 1 omnino eadem est, atque illa cui 1 Reg. 7, 13 sq. Samuel finem imposuit. Samson 13, 5 diserte affimatur *incepisse* excutere iugum, quod idem est atque pronuntiare, eum populi liberationem ad finem nequaquam perduxisse ; Samuel e contra aliquam ab oppressione liberationem ad finem utique perduxit, tamen eiusdem oppressionis initium 1 Reg. nequaquam commemoratur. Nam 1 Reg. 4, 1 secundum Hebr. non initium oppressionis enuntiat, sed primum excutiendi iugi tentamen. Cf. etiam 4, 9 : « ne serviatis Hebraeis, sicut et illi servierunt vobis » ; ergo antea iam serviebant Hebraei. Iamvero libri Samuelis sunt semperque habiti sunt immediata continuatio praecedentis historiae iudicum, a iudicibus Heli et Samuele ordiuntur : gratuito profecto supponeres, inter natum Samsonem et Samuelem duas bene longas intercessisse Philisthaeorum servitutes.

Cf. *Keil* p. 210 sqq. et *Palmieri* p. 150 sqq.

Iephte. — Iud. 10, 6–12, 7

38. Narrationis unitas. — Eventuum conspectus hic est :

Ammonitis Israelitas misere prementibus seniores Galaad decernunt, qui primus cum Ammonitis feliciter dimicasset, eum ducem omnium in bello fore agnoscendum. Fama permoti Iephtae, qui domo paterna eiectus cum hominum desperatorum manu hostes lacessebat, eidem principatum offerunt, quem ille paciscitur sibi ad vitam concedendum. Dux agnitus, dum copias colligit, cum rege Ammonitarum per legatos tractat, nullo secuto effectu. Inde ad certamen progressus voto se obstringit, ut, quod primum redeunti domum victori occurrerit, Deo immolet. Hostes fundit, filiam immolat. Mox adsunt Ephraimitae collecto exercitu, causati se ad pugnam non fuisse vocatos, quos frustra verbis demulcere conatus Iephte cruento proelio concidit.

Narratio est *una*.

Minus ceteris huic pericopae insudavere rationalistae. *Reuss* p. 124 conqueritur, Ephraimitarum seditionem « vix cum praecedentibus cohaerere esseque fragmentum arbitrarie narrationi assutum ». Cohaeret, quia in actis Iephte narrandis factum tam insigne praeteriri nullo modo poterat. Quomodo tam exitialem seditionem reticuisset auctor, cum leviorem illam et sine sanguine repressam, quae contra Gedeonem facta fuerat, literis mandatam sciret? Dubitabis fortasse, obtinueritne illa seditio immediate post bellum Ammoniticum et ante immolatam filiam, an serius. Si illud adstruas, facilius perspicies, cur integris duobus mensibus 11, 39 Iephte consilium immolandae filiae non mutaverit : bello sc. Ephraimitico distinebatur. Si hoc, fortasse imminens istud fratricidum bellum virum instigavit, ut votum ad literam exsolvere diutius non differret. At in neutra hypothesi nexus desideratur. Hebraei quippe consueverunt unam primum eventuum seriem absolvere ac dein reliquam narrationem altius repetere. — Eandem de Ephraimitis narrationem *Bertheau* affirmat additam esse solum ad explicanda duo quaedam proverbia, quorum unum ipse solus et perperam ex 12, 5 emungit, alterum 12, 4 legitur. At non assuevere nostri auctores historiam scribere ad proverbia aliqua explicanda, sed proverbiis, locorum nominibus et huius generis aliis utuntur tamquam monumentis perennibus eorum, quae referunt, factorum. Quod exemplis bene multis in libris Iud. et Sam. constat.

Sed etiam cap. 11 duo confundi documenta suspicatur *Reuss*. Non pugnat v. 29 cum v. 11, sive duplex sive unicum iter Maspham susceptum esse statuas. Commemorato 10, 17 bello Ammonitico primum narrari Iephte originem, dein illo bello 11, 4 rursum commemorato eius publica acta subiici, ne minimam quidem habet difficultatem. At quomodo 11, 31 Iephte asseritur habuisse « domum », qui 11, 3 narrabatur domo caruisse? Gravis utique difficultas : at potuerunt sane Galaaditae electo suo principi domum aliquam providere. « Suntne haec », inquit Reuss, « duorum documentorum compactorum vestigia quaedam? » Minime gentium.

39. Narrationis auctor. — Narratio est *auctoris coaevi*.

Id in dubium vocari nequit, cum ipse Samuel libri collector temporum Iephte fuerit fere aequalis : ergo, sive ipsum statuas hanc narrationem primum edidisse, sive

ab alio editam transsumpsisse, dici illa poterit coaevi esse auctoris. Ceterum crediderim, non ipsum Samuelem primum Iephte acta descripsisse. Habuerunt aliae tribus suorum memorabilium scriptores : cur Galaaditis negemus? Narratio videtur esse auctoris, qui mediis eventibus interfuerit. Retinetur 11, 6. 11 principis appellatio קָצִין eo tempore solis, uti videtur, transiordanicis usitata.

Miram sententiam profitetur *Bertheau*. Iephte ad regem Ammon orationem 11, 12-27 censet ex opere aliquo historico esse transsumptam, unde etiam Num. 21 et Deut. 2 et 3 fluxerint, quodque fuerit de Israelitarum transiordanicorum contra Ammonitas et Moabitas gestis. Rursum, quod 11, 9 expressio legatur eadem atque Deut. 1, 8. 21 ; 2, 31. 33, quos textus eidem illi operi attribuit, statuit etiam Iud. 11, 1-11 ad idem opus revocari. Hinc tandem Iephtae acta tota quanta ex eodem fonte derivat. Tota hypothesis nititur gratuito systemate de Pentateucho nonnisi sero et frustatim in lucem edito. Cum probatum habeamus, Debboram, Gedeonem aliosque Pentateuchum cognovisse, ergo etiam Iephte in suam orationem facta et expressiones congessit non aliunde, quam ex Pentateucho hausta, et similiter de reliquis.

40. Narrationis cum Pentateucho nexus.

Oratio Iephte 11, 12-27 tota nititur narratione Num. 21 sq.; Deut. 2 eique in pluribus verbotenus adhaeret. Quod legenti cuique evidens est neque a quoquam negatur. Verba, quibus 11, 35 Iephte sanctitatem emissi voti profitetur : « aperui os meum ad Dominum et aliud facere non potero », in memoriam revocant Deut. 23 ; 23 (24) : « Quod autem semel egressum est de labiis tuis, observabis et facies sicut promisisti Domino Deo tuo, et propria voluntate et ore tuo locutus es ». Cf. Num. 30. Filia Iephte 11, 37 « plangens *virginitatem* » promissae ex semine Abrahae salutis testis exsistit.

COMMENTARIUS

a) Historiae Iephte introductio. — Iud. 10, 6-16

Arg. — Haec a Samuele, qui Iudicum librum concinnavit, adiecta sunt tamquam sequentis narrationis introductio : cf. similes introductiones 3, 12 sqq. ; 4, 1 sqq. ; 6, 1 sqq. Israelitae in idololatriam delapsi in manus alienigenarum a Deo traduntur, quoad proiectis idolis ad Deum convertuntur. Introductio hac vice longius producitur (*Bertheau*), quod longior praecesserit de Debbora et Gedeone narratio et longior sequatur. At cuiusnam narrationis haec est introductio? Gestorum Iephte et Samsonis, censuisse videtur *Malv.*, quod v. 7 Philisthaeos et Ammonitas commemoret, dum Iephte cum solis Ammonitis congressus sit. Sed gesta Samsonis suam 13, 1 habent introductionem, licet brevissimam. Hinc praestat cum *Calm.* affirmare, v. 6-18 esse introductionem proxime solum pro 10, 6-12, 15, actis sc. Iephte, Abesan, Ahialon, Abdon. Ceterum, utrumlibet defendas, non multum refert.

v. 6 « *Filii autem Israel peccatis veteribus iungentes nova* », pro qua participiali sententia *Hebr.* habet ויסיפו *iterum*, « *fecerunt malum in*

conspectu Domini, et servierunt (idolis) », — « quae vox cum in Hebraeo et Graeco non sit, vel ab interprete nostro explicationis causa, vel e margine aliquo additum est » (*Ser.*); in sequentibus reliqui repetunt quinquies vocem *diis*, quam inepte vertebat *Bertheau* singulari *deo*, otiose dein disquirens, quis intelligatur deus Sidonis etc. Sed expressiones intelligendae sensu plurali et omnino generali, affirmanturque Israelitae omnium circa nationum idola coluisse, non omnes utique omnium, sed eorum qui suis quibusque finibus aut essent intermixti aut contermini — « *Baalim et Astaroth* », quae erant numina imprimis Chananaeorum, « *et diis Syriae ac Sidonis et Moab et filiorum Ammon et Philisthiim* ».

Subtilius quam verius *Bertheau, Keil* septenarium hic idolorum numerum discernere sibi visi sunt, qui septenario v. 11 sq. nationum numero respondeat. Non septem v. 6 nationes enumerantur, sed sex ad summum, si sc. *Baalim et Astaroth* Chananaeis attribuas; non septem classes idolorum, nam *Baalim et Astaroth* rursum unicam constituunt classem; ad summum septem in sententia habentur substantiva. Sensus sententiae obvius videtur esse hic : diis omnis generis servierunt, tam maribus (*Baalim*) quam feminis (*Astaroth*), tam Syris quam Sidoniis etc; nullum fuit idolum, quod Deo Israel non praetulerint; numina ab omnibus circa nationibus mutuati sunt, a Syris atque Sidoniis septentrionem, a Moabitis et Ammonitis orientem, a Philisthaeis meridiem et occidentem incolentibus.

« *Dimiseruntque Dominum et non coluerunt eum* ». Quanta indignitas, ut Deum foederis talem ac tantum pro tam miseris dimiserint idolis, neque ulli quidem eorum praetulerint! v. 7 « *Contra quos Dominus iratus tradidit eos in manus Philisthiim et filiorum Ammon* », cf. 2, 14; 6, 1. « Ut non una fuit idololatriae noxa, ita non una repensa calamitas » (*Bonfr.*). v. 8 « *Afflictique sunt et vehementer oppressi per annos decem et octo, omnes qui habitabant trans Iordanem in terra Amorrhaei, qui est in Galaad* ». *Hebr. Et afflixerunt et contriverunt filios Israel,* ubi quaeritur, quodnam sit subiectum. Grammatice utique *Philisthiim et filii Ammon* (*Cai.*), non soli Ammonitae (*Cler.*). Sed altera versus pars, quod ex v. 9 colligitur, solos spectat Ammonitas : *omnes filios Israel, qui (habitabant) trans Iordanem etc.*

Adverte initio versus assonantiam verborum רעץ et רצץ. — Reliqui textus legebant *anno illo, annos decem et octo,* quod LXX interpretata est *tempore illo,* durius et superflue; *Syr. ab illo anno,* vim inferens textui. *Cai.* : uno eodemque anno tam Philisthaei quam Ammonitae; sed ita voces *anno illo* melius v. 7 adscriberentur. *Vatabl.* « anno ipso, quo desciverunt a cultu divino ». Hae aliaeque explanationes aliquid in textum inferunt, quod non necessario ex illo eruitur. Ex facto *Vulgatae*

eas voces omittentis pronum esset inferre, eas in hebr. exemplari, quo. S. Hier. utebatur, defuisse : verum cum tota haec Vulgatae versio textum minus presse sequatur, praepostera esset illatio. Hoc igitur sentio, tam Vulg. quam ceteras versiones in Hebr. legisse voces בשנה ההיא, tamen easdem esse spurias atque in textum irrepsisse tempore perantiquo, ante sc. concinnatas versiones omnes. Anni sc. decem et octo scribi potuerunt in quibusdam exemplaribus שנה יח, quod in בשנה ההיא depravatum aliorum exemplarium margini adscriptum est, atque tandem in ipsum textum penetravit. Sacer auctor non aliud sane intendebat nisi, quod etiam 3, 14; 4, 3; 6, 1 fecerat, servitutis totam tradere durationem.

v. 9 « *(In tantum, ut) filii Ammon Iordane transmisso vastarent Iudam et Beniamin et Ephraim; afflictusque est Israel nimis* ». *Hebr. Et angustum factum est Israeli vehementer*. Historice narrantur Ammonitae, post vastatos transiordanicos, etiam eos qui cis flumen habitarent esse adorti. v. 10 « *Et clamantes ad Dominum dixerunt: Peccavimus tibi, quia dereliquimus Dominum Deum nostrum et servivimus Baalim* ». Poenitentiae haec sunt verba.

Copulam in וכי pronum est cum pluribus codicibus hebr. expungere, sed obstat *Chald.* eandem exprimens. Constructio a genio linguae hebr. nequaquam abhorret.

v. 11 « *Quibus locutus est Dominus* » : — Non locutus est immediate per se nulloque intercedente homine, quod insuetum locutionis divinae genus s. auctor distinctius sane expressisset (*Seb. Schmidt* ap. Bertheau). Locutus est aut per prophetam (*Vatabl.*), aut per pontificem indutum ephod (*Cler.*). Suggerit *Bertheau*, non determinatum aliquod divinum eloquium h. l. intelligi, sed « eum divinum sermonem, quem ipsi eius aevi eventus ad Israelitas proloquebantur » ; auctorem igitur eas, quas alias in libro constanter inculcet ideas, nunc tamquam ex ore Dei iterare. Cui explicationi videtur obstare v. 15, ubi divino eloquio respondent Hebraei iis verbis, quae illi adamussim adhaereant. « *Numquid non Aegyptii et Amorrhaei, filiique Ammon et Philisthiim* », v. 12 « *Sidonii quoque et Amalec et Chanaan oppresserunt vos, et clamastis ad me, et erui vos de manu eorum ?* » *Aegyptiorum* mentio ostendit, non de solis aevi iudicum rebus agi : Aegyptii quippe diu antea Hebraeos oppresserant. Hinc nihil prohibet, quominus *Amorrhaeorum* nomen intuitu eventus Num. 21 h. l. scribi iudicemus ; idque tanto magis, si cum *Hebr. Syr.* sequentem copulam ignoremus, tum enim Amorrhaei (pro quibus *Syr.* mendose *Moabitae*) intime copulantur Aegyptiis. *Ammonitae* 3, 13 foederati Eglonis recensentur, *Philisthaeos* 3, 31 iam Samgar represserat ; utrosque *Syr.* omittit. *Sidoniorum* nomen habebas 3, 3; « in particulari tamen nihil hactenus cladis a Sidoniis inflictae commemoratum est, ut vel ex hoc loco satis probabiliter statui

possit, non omnes vel populi afflictiones vel victorias de hostibus partas esse a scriptura commemoratas » (*Bonfr.*). *Amalec* cf. 3, 13 ; 6, 3 et *Chananaei* 4, 2.

Chananaeos praeter *Vulg.* et *Symm.* habet lectio aliqua LXX, ideo etiam incertior, quod gentibus enumeratis *Moabitas* arbitrarie addat, *Hebr. Chald.* מָעוֹן, quod certe est corruptum. *Syr.* solis transpositis literis עַמּוֹן, sed tum oportebit cum *Syr.* v. 11 Ammonitas et Philisthaeos eliminare. Ceteris igitur probabilior est lectio LXX recepta Μαδιάμ; cf. cap. 6 sqq. et *Kaulen* p. 184. — v. 11 *Hebr.* singulis nominibus praemittit praepositionem מִן, ut constructio sit anacoluthica : *Annon de Aegypto et de Amorrhaeo, de filiis Ammon et de Philisthaeis* — « subaudiunt : liberavi vos? » (*Malv.*), et pergunt v. 12 uti Vulg.

v. 13 « *Et tamen reliquistis me et coluistis deos alienos : idcirco non addam, ut ultra vos liberem* ». « Intellige hoc sub conditione, nisi perfectam de peccatis admissis poenitentiam egeritis vitamque omnino correxeritis » (*Bonfr.*). v. 14 « *Ite et invocate deos, quos elegistis : ipsi vos liberent in tempore angustiae* », reliqui addunt *vestrae*, i. e. non huius tantum, sed cuiuslibet angustiae : non enim decet, ut modo me, modo illos invocetis adiutores. « Hoc dicitur ironice » (*Vatabl.*). v. 15 « *Dixeruntque filii Israel ad Dominum : Peccavimus ; redde tu nobis, quidquid tibi placet, tantum nunc libera nos* ». Falso *Ser.* voci *tu* insistit : « Non reddas, obsecramus per istos alienigenas », cf. 2 Reg. 24, 14; sed insistendum cum *Bonfr.* voci *nunc, Hebr. hodie.* — v. 16 « *(Quae dicentes) omnia de finibus suis* » — proprie cum LXX *Chald. Syr. de medio sui* — « *alienorum deorum idola proiecerunt et servierunt Domino Deo* ». « Ecce hoc est signum serii doloris et poenitentiae, idola et vitia sua abiicere, ideoque mox Deus eorum misertus est » (*Lap.*). « *Qui doluit super miseriis eorum* ».

Verbotenus *et abbreviata est anima eius super miseria Israel.* Ubi *Cai.* : « tristitiae est retrahere animum, quemadmodum laetitiae est animum extendere ». Ceterum merito advertit *Bertheau*, expressionis sensum Num. 21, 4 ; Iud. 16, 16 ; Zach. 11, 8 esse *impatiens facta est anima.*

b) Iephte dux creatur. — Iud. 10, 17-11, 11

Arg. — Seniores Galaad ingruentibus Ammonitis statuunt, ut, qui primus contra illos feliciter dimicasset, dux belli esset. Hinc Iephten adeunt, meretricis filium, qui a fratribus eiectus in terra Tob cum vagorum hominum manu fortitudinis laude florebat. Iephte, ut sibi victori principatus ad vitam concedatur, pactus Masphae Galaaditidis solemni ritu princeps instituitur.

Ambigi potest, 10, 17 sq. pertineantne ad sequentem Iephte historiam, an potius ad praecedentia sintque eius auctoris (Samuelis), qui iudicum historias collegerit. Hoc alterum sentit *Bertheau*. Ad nexum, inquit, inter 10, 16 et 11, 1 efficiendum ii versus reapse necessarii sunt, non vero ad ipsam narrationem 11, 1 complendam, cum, quod 10, 17 edicatur, idem fere 11, 4 repetatur : ergo non eiusdem auctoris est 10, 17 et 11, 4. Infirmior argumentatio : non ita a repetitionibus abhorret Hebraeorum narratio. Neque v. 17 sq. ad nexum efficiendum absolute requiruntur, cum poenitentiae 10, 16 narratae opportune subiungatur 11, 1 liberatoris nomen. Putaverim, 10, 17 sq. commodius trahi ad sequentia et auctori gestorum Iephte concedi. 11, 4 non est mera repetitio 10, 17 ; qui textus et quo penetraverint Ammonitae indicat, et ubi fixerint castra Galaaditae ; Masphae mentio 10, 17 praeparat alteram mentionem 11, 11. 10, 18 vero aliquid edicit omnino novum, quod Samuelem oportet ex aliquo documento hausisse, seniorum sc. Galaad decretum. Cum 10, 18 intime cohaeret 11, 1, maxime secundum *Hebr.* praeponentem vocem *Iephte* : Galaaditae sibi ducem quaerebant, Iephte vero etc.

v. 17 « *Itaque filii Ammon conclamantes* », — melius cum *Masor. Chald. Syr.* puncta niphal, *conclamati* seu *congregati sunt*; LXX vocem omittit. Comma omnino scribendum est post *conclamantes*, non post *in Galaad* — « *in Galaad fixere tentoria : contra quos congregati filii Israel in Maspha castrametati sunt* », *quae civitas etiam* Maspha Galaad audit 11, 29. — v. 18 « *Dixeruntque principes Galaad singuli ad proximos suos* » : — *Hebr. et dixit populus, principes Galaad etc*, quod perperam explicant *Cler.*, *Ros.* « populus et principes », *Cassel* « universitas principum » ; recte *Bertheau* « populus i. e. principes » — « *Qui primus ex nobis contra filios Ammon coeperit dimicare, erit dux populi Galaad* ». Censebat *Cai.*, haec non eo, quo acciderint, ordine narrari ; prius creatum esse principem Iephte, dein Israelitas Maspham convocatos. Sed nulla est ratio a sensu obvio recedendi : prius igitur exercitus est coactus, dein de duce creando deliberatum. *Lap.* censet prius tumultuarium consilium postea mutasse Galaaditas, accersisse sc. Iephten, quin exspectaverint, quis primus decertasset. Consilio stetere Galaaditae sed, nemine audente hostes aggredi, rogaverunt Iephten, ut ipse pugnandi initium faceret et ita principatum capesseret. Offerebatur autem principatus totius pagi Galaad, tota vita retinendus. — Ceterum non sine Dei providentia ita decrevere seniores Galaad ; quo factum est, ut Iephte non tam a populo eligeretur iudex, quam potius a Deo prospera certamina largiente designaretur. Nullus maiorum iudicum mera populi electione creatus, omnes et singuli a Deo 2, 16 « suscitati ».

Cap. XI v. 1 « *Fuit (illo tempore) Iephte Galaadites* », ergo Manassaeus, « *vir fortissimus* » (cf. 6, 12) « *(atque pugnator), filius mulieris meretricis* », qui sensus voci hebr. semper competit, ergo non

tantum « concubinae » (*Vatabl.*), « *qui natus est de Galaad* ». Nomen est patris, qui immediate genuit (*Bonfr.*) ex matre illa meretrice, ergo non patriarchae Num 26, 29, et multo minus regionis Galaaditis (*Bertheau*), vel populi Galaad (*Cassel*), quod nomen h. l. inseratur pro nomine ignoti patris. *Hebr.* : *genueratque Galaad Iephten.* Quomodo innotuerat fortitudo Iephte? eo praecise, quod contra Ammonitas feliciter iterato dimicasset, licet cum paucis tantum sociis. Impleverat iam conditionem 10, 18 statutam, unde necesse fuit, ut seniores 11, 6 licet inviti ei, quem eiecerant, principatum offerrent. Quae vero de patre et matre hic versus adiicit, pars sunt sequentis explanationis.

v. 2 « *Habuit autem Galaad uxorem, de qua suscepit filios, qui postquam creverant* », « mortuo sc. patre, neque enim verisimile est id ausuros patre vivente » (*Bonfr.*), « *eiecerunt Iephte* », « non vi manuque privata, sed publica », inquit *Ser.*, etenim se a senioribus quoque eiectum esse v. 7 conqueritur Iephte. Cf. *Ios.* Saltem tacite illi consensere neque Iephten ullo modo adiuverunt. Ergo in domo paterna adoleverat Iephte, pater sane cupiverat ei partem haereditatis tribuere. Gratuito tamen affirmat *Cassel*, natu maximum fuisse : meretricem ante uxorem commemorat auctor, non quod ante uxorem pepererit filium, sed quod mater fuerit herois, cuius acta narrantur. — Iustene fuerit eiectus Iephte, inter exegetas disputabatur. Iniuste censet *Calm.*, quod Iephte in querelas prorumpat. *Verum* non de iniustitia conqueritur v. 7 Iephte, sed comparationem aliquam instituit valde obviam : Nonne iidem vos, qui nunc favorem a me expostulatis, nullum mihi adhibuistis favorem, quando e domo paterna eiiciebar? Spurii vix non ubique ab haereditate excluduntur. — « *Dicentes : Haeres in domo patris nostri esse non poteris* », — *Hebr. non eris,* ergo sane *Hier.* censebat, ipsa lege spurios haereditate fuisse exclusos — « *quia de altera matre natus es* ». LXX mendose ἑταίρας pro ἑτέρας. Expressionem cf. 1 Par. 2, 26. Hic adhibetur euphemistice pro « meretrice » : « mulier alia, h. e. mulier aliena a patre eorum, utpote nullo vinculo illi iuncta, sed fornicatorio dumtaxat coitu » (*Cai.*). Ergo non mulier « non Hebraea gente » (*Cler.*), neque mulier tribus alienae, quod veteres aliqui in Chaldaeo sibi legere visi sunt.

v. 3 « *Quos ille fugiens (atque devitans)* » — reliqui *et fugiens Iephte a facie fratrum suorum*, « ob metum fratrum » (*Vatabl.*), vel potius ob iram, pudorem — « *habitavit in terra Tob* », non reguli cuiusdam Tob nuncupati (*Vatabl., Mar.*), sed in terra *Tubin* 1 Mach. 5, 13; 2 Mach. 12, 17 provinciae Galaaditidis (*Ios.*), de qua *Stephan. Byz.* : « Tabae... urbs Peraeae, quam Alexander in libro de Syria interpretatur bonam » (טוב). Nequaquam vero h. l. appellandum 2 Reg. 10, 6.

8, ubi de Istob, non de Tob agitur. « *Congregatique sunt ad eum viri inopes et latrocinantes et quasi principem sequebantur* ». *Hebr. viri inopes, et egrediebantur cum eo*, sc. ad expeditiones bellicas, cf. 1 Reg. 18, 6. 13. 16.

Praeter *Vulg.* (*latrocinantes*) solus *Syr.* duo legit adiectiva, et quidem eadem quae 9, 4, ubi *Vulg.* « inopes et vagos ». Aut duo primitus legebantur, quorum alterum פחזים (cf. ib.) vertendum erit *salaces*, *desperati* ; aut unicum legebatur atque cum *Lap.* dicendum erit : « τὸ *latrocinantes* videtur ex margine in textum irrepsisse, intrusum ab aliquo volente explicare τὸ *inopes* : inopes enim milites saepe rapinis et latrociniis vivunt ». Vel potest etiam dici scriba aliquis similitudine textuum deceptus vocem, quam 9,4 legerat, adscripsisse. Quomodocunque tandem legeris, cave ne cum *Ps. Aug.* (Quaest. in V. T., *M.* 35. 2239) Iephten appelles « principem latronum », aut cum *Bonfr.* aliisque eius excusandis « latrociniis » multum insudes. Non aliter latrocinatus est atque David, qui et ipse inopes et vagos circum se collegit 1 Reg. 22, 2, qui et ipse 1 Reg. 23 sqq. inimicos Hebraeorum bellicis expeditionibus lacessivit.

v. 4 « *In illis diebus pugnabant filii Ammon contra Israel* ». *Hebr. et factum est a diebus,* quod recte interpretatur *Syr. post dies, LXX* μεθ' ἡμέρας (in editione LXX recepta fit saltus a primo ad alterum καὶ ἐγενήθη atque ita excidit v. 4). Illud autem *post dies* non significat « post annum integrum », ut aliqui a Malv. citati voluere, licet ימים quandoque annum significet (cf. 1 Reg. 1, 3), sed « elapso aliquanto tempore » (*Vatabl.*), denotatque uti 14, 8 ; 15, 1 ; Ios. 23, 1 tempus omnino indeterminatum, computandum a fuga Iephte in terram Tob. Neque dicitur eo elapso tempore *coepisse* pugna, sed *fuisse* : fortasse iam coeperat, quando fugiebat Iephte. Quae temporis determinatio refertur non ad solum v. 4, sed ad totam sequentem narrationem. — Ammonitae Galaaditidem invaserant, contra quos Iephte in pago Tob cum parva manu fortiter atque feliciter dimicaverat : Galaaditae igitur, qui decrevissent ei, qui primus contra Ammonitas dimicasset, principatum esse deferendum, legatos de principatu ad Iephten mittunt. v. 5 « *Quibus acriter instantibus* », — *Hebr. et factum est, cum pugnarent filii Ammon cum Israel* — « *perrexerunt maiores natu de Galaad, ut tollerent (in auxilium sui) Iephte de terra Tob* ». v. 6 « *Dixeruntque ad eum : Veni et esto princeps noster, et pugna contra filios Ammon* ».

Reliqui *ut pugnemus* : te duce certamen non formidabimus. — קצין, eadem vox atque apud Arabes *Kadi*, a קצה secare, decernere ; ergo ille, qui decernit, moderatur, iudicat, *iudex*. In hac sola narratione eam vocem noster liber adhibet : fortasse transiordanici eo nomine iudicem appellabant.

v. 7 « *Quibus ille respondit : Nonne vos estis, qui odistis me et eiecistis de domo patris mei, et nunc venistis ad me necessitate compulsi ?* » Cf. quae diximus ad v. 2. Est affectus admirationis, etiam exsultationis. *Odisse* dicuntur, qui indulgentia uti detrectaverunt.
v. 8 « *Dixeruntque principes* », i. e. maiores natu, « *Galaad ad Iephte : Ob hanc igitur causam nunc ad te venimus, ut proficiscaris nobiscum, et pugnes contra filios Ammon, sisque dux* » — *Hebr. LXX Chald. nobis*, sc. — « *omnium, qui habitant in Galaad* ». « Aiunt *reversi sumus ad te* (*Hebr*)., non quod bis venerint, sed quod animum denuo verterint ad ipsum, quemadmodum prius bonum habuerant erga ipsum animum, antequam expellerent eum » (*Cai.*). Quaeritur nexus cum praecedentibus. *Malv.* : « Quasi dicat ; Missa faciamus ista, et audi causam, ob quam iam ad te venimus ». Melius : *Iidem* adsumus, sed beneficium illata iniuria longe maius collaturi ; *compulsi* adsumus, sed insignem offerentes honorem. — Ergo solorum Galaaditarum iudex primum Iephte eligitur.

v. 9 « *Iephte quoque dixit eis : Si vere venistis ad me, ut pugnem pro vobis contra filios Ammon, tradideritque eos Dominus* » — Deum foederis appellat — « *in manus meas, ego ero vester princeps ?* » « Quasi dicat : Mihi hoc serio et ex animo promittitis ? » (*Bonfr.*). Et potest fortasse vox *vere* (*Vulg.*) in eum sensum trahi, quasi de seniorum fide aliquantum dubitaverit Iephte. Verum « animadverte, plerasque veteres editiones (*Vulg.*) non habere h. l. notam interrogationis » (*Verc.*), atque reapse *Keil* eandem supprimit. Ceterum pondus sententiae non est in verbis ex v. 8 repetitis *Si vere venistis etc*, sed in verbis ab ipso Iephte adiectis *tradideritque eos Dominus ante faciem meam* (*Hebr.*). Iephte nequaquam est de principatu capessendo sollicitus, nisi eum Domino etiam probari intelligat, intelliget autem ex victoria sibi a Deo largienda. Hinc sensus est : Si Dominus victoriam largitus meum principatum ratum habuerit, agnoscetisne me principem perpetuum ? Vel ita : Si Dominus etc, ego utique principatum acceptabo. Parum interest, utrovis modo construas : ad utramque constructionem possunt seniores
v. 10 iuramento respondere. Elucescit autem Iephte fides et magnanimitas, qui illis, a quibus eiectus fuerat, libenter ignoscens, Iahve benedicente alacriter principatum capessit. v. 10 « *Qui responderunt ei : Dominus, qui haec audit, ipse mediator ac testis est, quod nostra promissa faciemus* ». « Deum testem ac iudicem invocant, si non fecerint secundum verba Iephtae » (*Cai.*). *Hebr. Dominus erit audiens inter nos,* ubi recte *Chald.* vertit *testis, — si non secundum verbum tuum* (v. 9) *ita faciemus,* si te non post victoriam principem perpetuum agnoscemus. Deus utique semper audit nostra iuramenta sed si ea violaverimus, inflicta poena se audivisse manifestabit.

v. 11 « *Abiit igitur Iephte cum principibus Galaad, fecitque eum omnis populus principem sui* ». *Vulg.* omittit ultimam vocem קָצִין, copulam in suffixum praecedentis nominis convertens. « *Locutusque est Iephte omnes sermones suos coram Domino in Maspha* ». Qui locus sane intelligitur idem, ubi 10, 17 castra fixerant Galaaditae et ubi 11, 34 sedem fixit Iephte : ergo non Maspha Beniamin. Verba *coram Domino*, quod iam veteres sensere, non cogunt adstruere *arcam* tum in Galaaditiden translatam fuisse, id enim tanto minus probatur, quod de bello non ab universo Israele, sed a solis transiordanicis suscepto agatur. Tamen verba non sufficienter explicat *Vatabl.* « pro concione, sive audiente populo », neque *Bonfr.* « adhibito iuramento ». Verum quidem est, quod habet *Rabbi David* ap. Drus. : « quod autem ait *coram Domino* referendum ad illud v. 10 *Dominus erit audiens inter nos* » ; utrobique Iephte de approbatione Iahve sollicitum se exhibet, sed non ideo utraque expressio identica. Cum nostra expressio secus de *loco sancto* intelligatur (1 Reg. 10, 19 de Galgala, ubi erat altare ; 1, 22 et Ex. 34, 34 aliisque textibus de tabernaculo foederis ; Iud. 21, 2 de Silo), cumque v. 31 Iephte de sacrificio utique in Galaaditide offerendo loquatur, unde pronum est concludere in Galaaditide fuisse altare, revera sua se simplicitate commendat opinio *Bertheau,* Masphae Galaaditidis tum exstitisse altare Domini. Quodsi enim Gedeon Ephrae habuit altare, cur non habuerit Iephte Masphae ? Neque ea altaria ante exstructum templum a lege Mosaica dissonabant : cf. quae diximus ad 1 Reg. extremo cap. 7, et *Cornely*, II. 1. 142. — Tandem videamus, quinam sit sensus verborum *locutusque est Iephte omnes sermones suos.* Quos falso interpretatus est *Cler.* sermones *populi.* « Credibile est », inquit, « Iephteum, auditis verbis populi eum iudicem et ducem eligentis, ea Deo teste vocato clara voce repetiisse, ne postea quisquam queri posset rem aliter gestam, quam erat, neve locus mutationi ullus esset. Respondit vero populus amen ». Sensu obvio intelliguntur (*Cai.*) sermones *Iephte.* Ubi rursum *Menoch.* interpretatus est sermones *postea* v. 12 sqq. habitos, « consilia sua de bello contra Ammonitas » ; at sane imprimis intelligendi (*Vatabl.*) sermones *ante* cum senioribus habiti. Poteris idipsum cum *Ew.* II. 553 sic exprimere : « Promisit Iephte in loco sancto se populum fore tuiturum, et ab illis vicissim solemni obsequio honoratus est ».

Nostro igitur textu docemur *modum*, quo Iephte fuerit iudex agnitus, licet hinc inferre nequaquam liceat, iudices reliquos omnes eodem modo esse ad iudicis munus assumptos : intercessit sc. *pactum* Iephten inter et populum, pactum tanto opportunius, quanto Iephten inter et populares dissidia quaedam ante obtinuerant. Ceterum modus non est absimilis ei, quo postea 1 Reg. 11, 15 Saul est agnitus rex « coram Domino in Galgala », praecedente et sequente Samuelis concione « ius regis » (8, 11) explicantis.

c) Iephte per legatos cum Ammonitis agit. — Iud. 11, 12-28

Arg. — Eam v. 13 praetendente rege Ammonitarum belli causam, quod regionem obtinerent Israelitae Ammonitis (seu verius Moabitis) pridem ablatam, longiore oratione respondet Iephte, cuius summa haec est : « Non tulit Israel terram Moab » v. 15, « igitur tu male agis, indicens mihi bella non iusta » v. 27. Antecedens probat primum historice v. 16-22 : Israel praeter Moabitarum fines flexo itinere eam tandem regionem bello acquisivit, quae tum non Moabitarum erat sed Amorrhaeorum. Secundo demonstrat, non tam Israelitas sibi, quam potius Dominum ipsis eam regionem acquisivisse v. 23, a quo eadem repeti nequeat : idque confirmat argumento ad hominem, ipsos sc. Ammonitas, quos deo suo Chamos acceptos referrent fines, eos se iure obtinere censere v. 24. Tertio antecedens alio ad hominem argumento confirmat : inde a Moysis tempore Ammonitae nunquam eum tractum repetiere, ergo illum suum esse haud existimant v. 25 sq.

v. 12 « *Et misit nuntios ad regem filiorum Ammon, qui (ex persona sua) dicerent : Quid mihi et tibi est, quia venisti contra me, ut vastares* » — reliqui *ad oppugnandam* — « *terram meam?* » « Legatos ad Ammonitarum regem misit, qui a bello eum abstinere peterent, dicendo eius causam nullam esse ideoque iniustum illud esse ; aut, si qua esset causa, eam ipse indicaret, auferri ut posset » (*Ser.*). Meritoque addit *Bonfr.*, ad Ammonitarum proprie regem utpote aggressorem spectasse, causas intentati belli neque rogatum proferre in medium.

v. 13 « *Quibus ille respondit : Quia tulit Israel terram meam, quando ascendit de Aegypto, a finibus Arnon usque Iaboc atque Iordanem* ». Clarius terminos describit v. 22 « et de deserto (sc. orientali Arabiae) usque ad Iordanem » : ita habes terminos meridionalem et septentrionalem, orientalem et occidentalem. Moysis quidem aevo Num. 21, 13 Moabitis de facto flumine Arnon ad septentrionem terminabatur, tamen ex v. 24 ib. aliisque textibus patet de iure longe ultra Arnonem patuisse. Iam h. l. rex Ammon de *sua* ablata regione conqueritur, Iephte de Ammonitide sqq. silet, solam *Moabitiden* ablatam non fuisse contendit : hinc pronum est cum *Lyr.*, *Cai.*, *Bonfr.* concludere, regem tum Ammon praeter Ammonitidem etiam Moabitidi praefuisse, aut certe Moabitas sub ipso militasse. Alias etiam Moabitae Ammonitis iungebantur, cf. 3; 13. « *Nunc ergo cum pace* », « i. e. pacifice et sine bello » (*Vatabl.*), « *redde mihi eam* ». v. 14 « *Per quos rursum mandavit Iephte et imperavit eis, ut dicerent regi Ammon* » : v. 15 « *Haec dicit Iephte : Non tulit Israel terram Moab nec terram filiorum Ammon* ». Iam v. 16-18 sqq. explicat

Iephte, non Moabitis duce Moyse terram esse ereptam, sed Amorrhaeis. Videndum igitur, qui tempore Moysis fuerint variarum gentium fines. Iam ex Deut. 2 (cf. Num. 21) patet, Moabitas tum finitimos fuisse Edomitarum, obtinuisseque regionem inter torrentem Zared et flumen Arnon, a meridie huius fluminis. A septentrione eiusdem fluminis imperabat Sehon rex Amorrhaeorum, cuius sedes erat in Hesebon. Ammonitae vero Deut. 2, 37 circa flumen Iaboc incolebant. Igitur Moyses, quin Moabitis Ammonitisve bellum inferret, totam regionem Amorrhaeorum occupavit tribubusque Ruben et Gad assignavit. Vere igitur protestatur Iephte, Israelem non Moabitas Ammonitasve suis finibus spoliasse. v. 16 « *Sed quando de Aegypto conscenderunt, ambulavit per solitudinem usque ad Mare Rubrum, et venit in Cades* », quae erat in deserto Sin, in extremis finibus Idumaeae Num. 20, 1. 16. — v. 17 « *Misitque nuntios ad regem Edom dicens : Dimitte me, ut transeam per terram tuam. Qui noluit acquiescere precibus eius. Misit quoque ad regem Moab, qui et ipse transitum praebere contempsit. Mansit itaque in Cades* » aliquo tempore, non inde fines Edom aut Moab ingressus est, postea alio iter flexit. Legatio ad Edomitas refertur Num. 20, ad Moabitas tacetur. v. 18 « *Et circuivit ex latere* » — *Vulg.* mendose legebat מעבר loco מדבר ; reliqui *et progressus est per desertum et circuivit terram etc* — « *terram Edom et terram Moab, venitque contra orientalem plagam terrae Moab, et castrametatus est trans Arnon* », in parte fluminis septentrionali, quae Moabitis tum non suberat; iter ex mente Israelitarum peregrinantium describitur, verbis ex Num. 21, 13 petitis, neque discrimen facit בעבר pro מעבר ; « *nec voluit intrare terminos Moab, Arnon quippe confinium est* » — vel *erat*, sc. eo tempore, fortasse facto magis quam iure — « *terrae Moab* ». Num. 21, 13 « siquidem Arnon terminus est Moab, dividens Moabitas et Amorrhaeos ». Sed Num. 21, 26 habetur : « Urbs Hesebon fuit Sehon regis Amorrhaei, qui pugnavit contra regem Moab et tulit omnem terram, quae ditionis illius fuerat, usque Arnon ». Potuit igitur defensioni Iephte respondere rex Ammon, tractum a septentrione Arnon situm, quem tulissent Israelitae Moysis tempore, non quidem de facto, at vero de iure ad Moabitas tum pertinuisse, iniuria igitur ab Hebraeis retineri. Sed num Moabitae iure pridem an vi eundem tractum obtinuerant, cum Deut. 2, 10 sq., recenseantur Emim a Moabitis oppressi ? Quaestiones iuris inter eiusmodi gentes bellicosas difficile dirimuntur, neque unquam ut rex Ammon argumento Iephte persuaderetur sperari potuit : quare etiam v. 23 sqq. Iephte argumentum aliis fulcit momentis. Cf. *Bonfr.* Deut. 2, 9 dicit Deus : « Filiis Loth tradidi Ar in possessionem », sed Ar non includit regionem ad septentrionem

Arnonis; similiter v. 19 de Ammonitide, quam late tum patebat, dicit Deus « filiis Loth dedi eam in possessionem », sed illico v. 24 ad occupandum tractum Arnonem inter et Iabocum Israelitas sollicitat. Ex Dei igitur mente ille tractus Moabitis et Ammonitis minime permittebatur permanenter.

v. 19 « *Misit itaque Israel nuntios ad Sehon regem Amorrhaeorum, qui habitabat in Hesebon* », — reliqui *regem Hesebon* : regulus urbis Hesebon super universos Amorrhaeos eorumque regulos principatum obtinuerat — « *et dixerunt ei : Dimitte, ut transeam per terram tuam usque ad fluvium* », sc. Iordanem. Sed *Hebr. Chald. LXX usque ad locum meum*, עד מקומי (LXX *nostrum*), sc. terram mihi destinatam. *Syr. usque ad terram meam*, ארצי, quod facile ex praecedenti ארצך potuit in locum מקומי in quibusdam codicibus subintrare ; dein fortasse ארצי, transpositione et corruptione literarum in יאר mutatum, originem dedit lectioni Vulg. Haec omnia ad verbum fere leguntur Num. 21, 19 sqq. atque ita efficiunt, eam saltem Pentateuchi partem iam ante librum Iudicum scriptam exstitisse. v. 20 « *Qui et ipse Israel verba despiciens* » — *Hebr. Non fisus est Sehon Israeli* — « *non dimisit eum transire per terminos suos, sed infinita multitudine* » — *Hebr.* simpliciter *omni populo suo* — « *congregata egressus est contra eum in Iasa et (fortiter) resistebat* ». *Hebr. et pugnavit cum Israele.* Iasa seu Iahaz, urbs inter Arnonem et Hesebon sita, Ios. 13, 15. 18 Rubenitis, 1 Par. 6, 63. 78 sacerdotibus concessa. v. 21 « *Tradiditque eum Dominus in manus Israel cum omni exercitu suo, qui percussit eum et possedit omnem terram Amorrhaei habitatoris regionis illius* », v. 22 « *et universos fines eius de Arnon usque Iaboc, et de solitudine usque ad Iordanem* » : iidem fines, quos v. 13 rex Ammon repetebat. Probavit igitur Iephte id, quod v. 15 ipse asseruerat : « Non tulit Israel terram Moab nec terram filiorum Ammon » ; nihil ab ipsis tulerat Israel, totum ab Amorrhaeis. Simul tamen, uti supra monuimus, plurimum aberat, ut hoc argumento flecti se permitterent Ammonitae ; poterant enim dicere, suum illum tractum fuisse, antequam Sehoni Amorrhaeo obtingeret, ideoque iure nunc repeti. Iam igitur alia ratione Iephte suffulcit argumentum. Licet in ante dictis nulla habebatur Iahve mentio, tamen Ammonitis indubium erat, victorias Israelitarum Iahve tribuendas esse acceptas omnino eadem ratione, atque ipsi, quas reportabant victorias, deo suo Chamos tribuebant acceptas. Ergo Ammonitis tractum Arnonem inter et Iaboc petentibus respondet Iephte, eum tractum a Iahve Israelitis esse concessum eodemque iure ad illos pertinere, quo Ammonitae, quae Chamos deo suo accepta referrent, possiderent. v. 23 « *Dominus ergo Deus Israel subvertit Amorrhaeum, pugnante contra illum populo suo*

Israel, et tu nunc vis possidere terram eius? » *Hebr.* : *Et nunc Iahve Deus Israel exhaereditavit Amorrhaeum a facie populi sui Israel, et tu exhaereditabis eum* sc. Israelem? hoc enim nomen suffixo exprimi argumenti ratio prodit, vel melius etiam *nos*, cum suffixum נו tam 1. personae plur. quam 3. pers. sing. respondeat. v. 24 « *Nonne ea, quae possidet Chamos deus tuus, tibi iure debentur* ? *Quae autem Dominus Deus noster victor obtinuit, in nostram cedent possessionem* ». *Hebr.* : *Nonne omne, quod haereditare te fecit Chamos deus tuus, illud haereditate possides, et omne, quod possidere fecit Iahve Deus noster a facie nostra, illud (nos) haereditate possidemus*? « Argumento ad hominem utitur » (*Bonfr.*). « Secundum opinionem eorum loquitur, ad quos verba faciebat. Non enim ignorabat Iephte, Chamos inane idolum nihil possidere posse, nec proinde ius possessionis ad Ammonitas transmittere ; sed ita loquebatur stulto secundum stultitiam suam » (*Est.*).

Difficultas habetur in verbo ירש, quod *acquirendi, haereditandi* significationem habet, duplicemque inde sensum induit cum *accipiendae* vel *tribuendae haereditatis*, tum *adimendae* i. e. *exhaereditandi*; et quidem hos sensus habet tam in kal quam in hiphil. Verbum v. 23 occurrit semel in hiphil et semel in kal, v. 24 bis in hiphil et bis in kal. Constructio et argumentatio v. 24 indubie prodit, הוריש מפנינו non alium sensum habere atque *haereditate tribuit nobis* ; licet v. 23 הוריש מפני עמו propter incertum את האמרי indubie significet *exhaereditavit a facie etc*. Verbum v. 24 quater eundem *possidendi* sensum habet, v. 23 bis eundem sensum *possessione eiiciendi*.

Chamos secus Deus *Moabitarum* appellatur 3 Reg. 11, 7. 33 ; 4 Reg. 23, 13 ; Ier. 48, 7. 13, Moabitae populus Chamos Num. 21, 29 ; Ier. 48, 46. Mesa rex Moab, in inscriptione recenter inventa, se dicit « filium Chamos » huncque suum appellat deum. Cuius regis pater vocabatur Chamosgad, rex alius Chamosiechi, rex notus ex inscriptionibus cuneiformibus Chamosnadab. Ex h. l. patet, Chamos fuisse etiam numen praecipuum *Ammonitarum*. Cf. P. *Scholz* : Goetzendienst u. Zauberwesen bei den alten Hebraeern, Regensburg 1877, p. 176 sqq.

Ad aliud argumentum praescriptionis progreditur Iephte, atque in eo rursum Ammonitarum et Moabitarum tam intime copulat res, ut merito inferas regem tum Ammon utrique genti imperasse. Urget rex Ammon antiquum quoddam suae gentis ius : demonstrat Iephte, quomodo illud ius vel ab ipso Moysis tempore penitus fuerit ignoratum ; ergo neque est veri nominis ius. v. 25 « *Nisi forte melior es Balac, filio Sephor, rege Moab, aut docere potes, quod iurgatus sit contra Israel et pugnaverit contra eum* ». *Hebr.* : *Et nunc*, novum incipiens argumentum, *num melior es tu Balac etc* ? *Num iurgans iurgatus est cum Israel, num pugnans pugnavit contra ipsos* ? Num tu sapientior, perspicacior es

Balaco in tuae gentis iuribus dispiciendis et vindicandis? Eius sane, Moysis coaevi, erat iniuriam, si quae commissa esset, denuntiare eiusque reparationem exigere. Siluit ipse. Erant autem sane eiusmodi querelae vel maxime proferendae, quo tempore incipiebat iniuria, v. 26 « *quando habitavit* » Israel « *in Hesebon et viculis eius, et in Aroer et villis illius, vel in cunctis civitatibus iuxta Iordanem, per trecentos annos* ». Numerus est rotundus : « parum deerat temporis », inquit *Cai.*, « a possessione illius terrae ad trecentesimum annum ». Immo probabilius *Bonfr.* affirmat « trecentes dixisse, quod magis ad trecentos quam ad ducentos is numerus accederet ». Vide, quae n. 4 de hoc numero disseruimus.

Cum *Vulg. Iordanem* legit LXX : reliqui *ad latera* i. e. ripas *Arnonis*. Facile commutari poterant ארנן et ירדן. Ceterum praeferenda lectio Vulg. LXX. v. 18 explicite asseritur Arnon fuisse confinium terrae Moab, hancque terram Israelitas non esse ingressos : ergo non utramque Arnonis ripam occupavere. Adde cum *Bonfr.*, urbes prope Arnonem iam includi vocibus *in Aroer et villis eius*. Aliunde ex 3, 13 patet, Moabitas quandoque etiam tractum cis Iordanem sibi vindicasse.

« *Quare tanto tempore nihil super hac repetitione tentastis?* » *Hebr. Quare non eripuistis in tempore illo?* v. 27 « *Igitur non ego pecco in te, sed tu contra me male agis indicens mihi bella (non iusta)* », *Hebr. bellans adversum me.* « *Iudicet Dominus arbiter huius diei* » — omnino vertendum *hodie* i. e. nunc, non necessario hoc ipso die — « *inter Israel et inter filios Ammon* ». « Declaret Deus sua sententia, utri e litigantibus iustam foveant causam, Israelitaene an Ammonitae; declaret, inquam, non ceterorum more iudicum sententia, quae verbis et ore pronuntietur, sed reipsa victoriam eis tribuendo, a quibus stat causae aequitas » (*Bonfr.*). v. 28 « *Noluitque acquiescere rex filiorum Ammon verbis Iephte, quae per nuntios mandaverat* ».

d) Iephte victor votum solvit. — Iud. 11, 29-40

Arg. — Ad bellum prodiens Iephte vovet, se Deo eum, qui primus redeunti sibi victori occurrerit, holocaustum esse immolaturum. Insigni parta victoria redeunti prima gratulabunda occurrit filia unica. Patrem moerore confectum hortatur filia, ut votum fideliter impleat; duorum sibi mensium tempus expetit ad virginitatem cum sodalibus plangendam. Quo expleto tempore a patre immolatur. Cuius facinoris memoriam mulieres Galaaditidae instituto annuo festo celebrant. — Quaestio, quid voverit Iephte, alia est a quaestione, quid Iephte praestiterit; separatim igitur eas quaestiones discutiemus.

Iephte votum. — Iud. 11, 29-31.

v. 29 « *Factus est ergo super Iephte spiritus Domini* », *Chald. spiritus fortitudinis a Domino.* Spiritus dicebatur 6, 34 « induisse » Gedeonem, quo tempore is, divinis iam ante acceptis revelationibus Baalisque ara audacter destructa, tandem appropinquantibus hostibus tuba Hebraeos convocavit. 13, 25 dicitur spiritus Domini « coepisse arripere » Samsonem, 14, 6. 19 et 15, 14 in eum « insiluisse » ad quaedam roboris portenta perpetranda. E quibus inferre pronum est, « spiritum Domini » non esse ipsum corporis robur, quod in Samsone erat permanens nec nisi praecisis capillis 16, 19 « discessit » ; sed esse actualem impulsum ad magna quaedam peragenda cum certitudine successus, per se non excludentem intellectus errorem, ut in Iephte, neque voluntatis peccatum, ut in Samsone. *Factus est* autem super Iephte hic spiritus, vel cum tandem Ammonitarum rex eius conditiones respuisset, vel iam ante, ubi primum Iephte imperium capessivit : credendus quippe est illico, quae sequuntur, egisse i. e. exercitum collegisse, legationem vero ideo maxime instituisse, quo distinerentur Ammonitae tempusque suppeteret exercitui instruendo.

« *Et circuiens Galaad et Manasse, Maspha quoque Galaad, et inde transiens ad filios Ammon* », — Clarior *Hebr.* : *et circuivit Galaad et Manasse,* i. e. « militem collegit » (*Ser.*) ; « ex 12, 2 patebit, suppetias pariter illum postulasse a tribu Ephraim » (*Calm.*) ; *et* collecto milite *transiit in Maspha Galaad,* ubi 10, 17 castra Hebraeorum erant, *et de Maspha Galaad* instructo exercitu *progressus est contra filios Ammon* — v. 30 « *votum vovit Domino dicens : Si tradideris filios Ammon in manus meas* », v. 31 « *quicunque (primus) fuerit egressus de foribus domus meae, mihique occurrerit revertenti cum pace a filiis Ammon, eum holocaustum offeram Domino* ». Sensus *Vulgatae* clarus et minime ambiguus. *Hebr. erit Domino, et offeram eum holocaustum.*

Iephte veri nominis *holocaustum* vovit.

Id defendunt omnes illi infra recensendi auctores, qui Iephten filiam reapse immolasse defendunt ; ex iis, qui immolasse negant, plerique, uti *Vatabl., Mar., Malv., Smith* p. 158, *Munst., Drus., Amama, Cler., Auberlen* (Theol. Studien u. Kritiken, Gotha, 1860 p. 541 sq.), *Iahn* p. 199, *Rabbini* — contra *L. Reinke* (Beitraege zur Erklaerung des A. T., Münster 1851, I. 470 sqq.), *U. Ubaldi* (Introductio in S. Scripturam Romae 1877, I. 625), *G. Schoenen* (Theol. Quartalschrift, Tübingen, 1869 LI. 541), *Cornely* II. 1. 75, *Hengst.* p. 137 sqq., *Cassel.* Quorum argumentum fere unicum illud est, locis quibusdam poeticis (Os. 14, 3 ; Ps. 39, 7 sqq. ; 49, 23 ; 50, 19 ; Eccli. 35, 1 sqq.) divinam laudem, spiritum contribulatum, obedientiam etc dici *sacrificium ;* posse igitur eam vocem etiam intelligi sensu spirituali seu translato.

Quibus breviter respondendum, eiusmodi locutionis genus nullibi in narratione historica usurpari; locis appellatis non legi vocem עולה; expressionem העלה עולה exclusive de oblatione *holocausti* adhiberi (cf. nominatim Iud. 6, 26; 13, 16). « In V. T. nomen עולה tam constanter de sacrificiis cruentis, imprimis holocaustis, adhibetur, ut inter textus plus quam ducentos repererim haud plures duobus, Gen. 8, 20 et Is. 61, 8, in quibus illud nomen per synecdochen de sacrificiis universim usurpetur. Nullibi, ne laudatis quidem duobus textibus, illud nomen sensu tropico seu spirituali usuvenit » (*Schoenen*).

Holocaustum vovet Iephte *id*, *quod* primum sit egressurum domo.

Assertum est contra *Auberlen*, qui voces והיה ליהוה והעליתיהו עולה ita vertit: « erit Domino, et offeram ei (sc. Domino) holocaustum »; i. e. homo, qui primus egredietur, consecrabitur Domino et in ea consecratione ego Domino offeram holocaustum aliquod. Apud seriores, inquit, auctores quandoque suffixum personale ני et ך in locum subintrat pronominum לי *mihi* et לך *tibi;* sed idem usus obtinet etiam in libris antiquioribus, Ios. 15, 19 et Iud. 1, 15; ergo etiam nostro versu licet suffixum הו interpretari dativum. Respondeo primum, recentiorum librorum textus (Iob 31, 18; Is. 44, 2; 65, 5; Ez. 29, 3 cf. v. 9) eum usum ne pro iis quidem libris certo stabilire. Respondeo secundo, duos, qui ex antiquioribus libris afferuntur textus, re unicum esse textum duobus locis repetitum, eumque textum planiorem admittere expositionem. Axa sc. cum agro sterili tamquam unum individuum victoriae praemium concessa fuerat Othonieli; iam ipsa sat lepide patrem alloquitur: Dedisti *me* agrum sterilem, nunc da *mihi* agrum irriguum; mihi, לי i. e. filiae blandienti, non militi mercedem exposcenti. Ergo ille loquendi usus, in libris recentioribus dubius, a libris antiquioribus penitus exsulat neque h. l. potest invocari. Auberlen, quantum novimus, sequacem habuit neminem. Eius interpretamentum profectum est ex desiderio, non textus sincere explicandi, sed vitam servandi filiae Iephte.

Iephte holocaustum vovit *non conditionate*, sed *absolute*.

Primi *Rabbini*, dein *Clarius*, *Cler.*, *Capellus* (n. 26, in Critici Sacri), *Iahn* putavere, ex natura rei subintelligendam esse voti conditionem aliquam : « Quod primo occurrerit, Domino mancipabitur veluti sanctum, si immolatitium non sit; vel, si immolatitium sit, offeram illud in holocaustum » : ita Hebr. explicat *Clarius*. *Smith* vero hoc explicationem fulcit argumento : « Materia voti necessario, dum illud interpretamur, attendenda est et, si verba videantur includere materiam aliquam ineptam, eo ipso demonstratum habes, eam materiam ab interpretatione voti excludi. Iam homo non solum est materia inepta sacrificii, sed sacrificium insuper humanum pravum erat et impium et lege mosaica proscriptum ». Lubens concesserim, neminem reperiri tam vesanum, qui id voveat Deo, quod ineptum et impium esse clare perspexerit. Sed num tandem non dantur vota de materia illicita? num non vovent quandoque homines ea, quae quidem sunt illicita, sed illicita esse non aut non satis intelliguntur? num a voto semper exsulat ignorantia sive culpabilis sive inculpabilis? « In hac interpretatione », inquit *Suar.* (de virtute et statu relig., tract. 6 lib. 2 cap. 10 n. 10), « non evitatur improprietas verborum, quae admittenda non est sine magna ratione vel auctoritate ». Eandem interpretationem *Hengst.* p. 127 vocat « ein Product der Verlegenheit », et *Schoenen* p. 555 « artificiosam et coactam », confodi-

turque iis, quae modo demonstrabimus, vovisse Iephten non animal sed hominem.

Ceterum eam explicationem vel ipsi *Rabbini* emendaverunt monentes, ו quandoque induere sensum non coniunctivum sed disiunctivum, vertendumque esse *erit Domino aut offeram illum holocaustum*. Assentiunturque *Vatabl., Mar., Schoenen* (p. 553), *Munst., Drus.; Grot.* aliique. « Hunc sensum esse probabilem », inquit *Malv.*, « multis Hebraeorum et nostrorum assertum, non est dubium et, qui contra argumentantur, ridiculi sunt ». Quos impugnant *Ser., Bonfr., Calm.* (in Dissert.), *Smith, Ubaldi, Capellus, Ros., Hengst.* « Posteriora verba explicant priora », recte monet *Cler.*, « ostenduntque animum Iephtei fuisse vovendi, quae poterant in holocausta offerri ». Et *Reinke* p. 468 hanc expositionem iudicat « parum obviam atque ad difficultatem solvendam excogitatam ». Contra quam monemus 1) hic non legi unicum ו, sed geminum ו... ו, quod ergo secundum adversarios vertendum esset *aut... aut* : at dato etiam ו induere sensum *aut*, nullibi ו... ו significat *aut.. aut*, sed semper *et... et.* 2) Qui textus pro significatione *aut* citantur, facile ad significationem *et* revocantur. Ita Ex. 21, 17 « Qui maledixerit patri suo *et* matri, morte moriatur », ubi *Vulg.* pro *et* scribit *vel*, itemque Matth. 15, 4 eundem illum textum appellans. Ubi copula *et* non tam ad coniungenda duo substantiva scribitur, quam verius ad copulandas duas sententias, inter quas nulla est oppositio aut disiunctio, sc. : Qui maledixerit patri suo, *et* qui maledixerit matri suae, morte moriatur. Quae contractae ad formam superius scriptam rediguntur; sed, cum inter substantiva (non inter sententias) sit oppositio, non enim matrem simul et patrem conviciis onerari oportet, sed alterutrum tantum, ideo pro *et* aeque licet scribere *vel.* Similiter Prov. 30, 8 « mendicitatem *et* divitias ne dederis mihi », ubi pro *et* nequaquam scribendum *aut*, sed resolvenda sententia in duas : Mendicitatem ne dederis mihi, *et* divitias ne dederis mihi. Simili ratione explices Lev. 6, 3 (5, 22); Deut. 17, 9 ; 2 Reg. 2, 19, — ubi Lev. 6, 5 ; Deut. 17, 12 ; 2 Reg. 2, 21 in locum ו succedit או : facillime commutari potuerunt ו et או, sed neque eiusmodi mutationem adstruere cogimur, ob ea quae modo diximus. Cf. etiam Ex. 21, 16. 3) Porro nostro textu nequaquam pro *et* scribere licet *aut*, cum inter *esse Domino* et *offerri holocaustum* nulla omnino sit oppositio, quin potius illud sit genus et hoc species (*Ser.*), holocaustum quippe quaedam est ex speciebus, quae comprehenduntur sub genere divinae consecrationis. Iephte primum generatim enuntiat voluntatem aliquid consecrandi Deo, dein specialius modum consecrationis determinat, ut sit holocaustum. 4) Tandem ea explicatio superflua redditur iis, quae statim demonstrabimus, Iephten non brutum animal vovisse, sed hominem.

Iephte vovit sacrificium *humanum*.

והיה היוצא אשר יצא מדלתי ביתי לקראתי. : verti potest genere masc. vel neutro : *qui* vel *quod egredietur etc.* Ubi cum *Cler.* advertendum, merito *Vulgatam* supplevisse vocem *primus*, « alioqui nullos fines voto suo praescripsisset (Iephte), quod stultum aut furiosum potius fuisset » ; neque sola postea filia devovenda fuisset, sed sociae etiam v. 34 cantui et musicae indulgentes. Porro *egrediens de foribus domus* sane intelligi oportet *vivens* aliquod. — Unum memini *Cler.* affirmantem, solam Iephten, dum voveret, in mente habuisse *bestiam* : « Igitur ne in huius historiae explicatione a vero aberremus, ante omnia statuendum est, votum hoc fuisse hominis Hebraei, cui integrum non fuit Deo vovere victimas, quas lege ei mactari nefas erat ». Verum si solam bestiam v. 31 intenderat Iephte, cur v. 35 obviam habens filiam turbatur ? nihil huic cum voto commune. — Intelligi *bestiam vel hominem*

censuere *Theodoret.*, *Vatabl.*, *Lap.*, *Smith*, *Amama*, *Grotius*, *Ew.* (II. 557). — E contra, intelligi non bestiam sed *hominem*, affirmat *Vulg.* genere usa masc. *quicunque primus fuerit egressus*; item LXX, *versio armenica* (cf. Theol. Quartalschrift, Tübingen 1842, p. 614). Eandem expositionem vocat *Bonfr.* « SS. Patrum communem sententiam », et defendunt *Ser.*, *Scholz* II. 41, *Schoenen*, *Reinke*, *Ubaldi*, *Vigouroux* (La Bible III. 338), *Clair*, *Ros.*, *Bertheau*, *Keil*, *Cassel*, *Auberlen*, *Reuss*. Immo *Hengst.* p. 131 censet, Iephten, dum votum emitteret, animadvertisse se longe probabilius filiam dilectam primam omnium obviam esse habiturum. E contra *Aug.* (*M.* 34, 820) censebat, de filia certe non cogitasse Iephten explicite, secus non fuisse v. 35 filiae dicturum « Heu me, filia mea, decepisti me et ipsa decepta es »; quae tamen illatio non est omnino stringens. Intelligi hominem haec efficiunt argumenta. 1) *Egredi de foribus domus* nunquam de bestiis, semper de solis dicitur hominibus. Vix credibile est, armentis permissum fuisse, pro lubitu domo egredi eamve intrare (*Schoenen*); fuisset domus principis Galaad ad instar arcae Noe (*Hengst.*). 2) Multo minus animalia dicuntur *egredi in occursum* alicuius, ut patet textibus a *Reinke* p. 460 sq. collectis; ea locutio intentionem exprimit egredientis, ut alteri occurrat. Habebat sane in mente Iephte eum morem, qui ex v. 34 et ex Ex. 15, 20; 1 Reg. 18, 6 colligitur, ut victori mulieres obviam procederent epinicium cantantes. 3) Volebat utique Iephte *insignem* aliquam Deo vovere victimam, quo insigni potiretur victoria: atqui insignis, si de animalibus loquamur, victima non est *primum*, quod forte occurrerit, sed *optimum*, quod in grege inveniatur: vovisset igitur Iephte taurum optimum aut agnum lactentem, vovisset non unum sed hecatombam. Quid si ex animalibus canis omnium primus redeunti hero occurrisset? Nonne Deo prorsus indignum erat votum, quod talem admitteret eventum? Ex hominibus vero, qui carissimi habentur, ii primi redeunti occurrere consuevere, uxores, filiae. Paratum profitebatur Iephte animum vel illam Deo immolare personam, quae ipsi omnium esset carissima. 4) Addit confirmationem *Cassel*, nunquam, ubi de animalium agatur sacrificiis, praemitti expressionem *erit Domino*, cf. 13, 16; utique vero, ubi de hominibus Deo consecrandis, cf. 1 Reg. 1, 11.

Iephte votum *non ex instinctu divino* profectum est.

Vetuerat Deus Deut. 12, 31, ne sibi ab Israelitis hostiae humanae offerrentur (sed non citandi h. l. textus Lev. 18, 21 et 20, 1 sqq., quibus tantum sacrificia humana in honorem Moloch offerenda proscribuntur). Tamen sacrificium humanum non esse ex conceptu suo impium, ostendit factum Abrahae, quem iussit Deus filium immolare. Neque obiicias, Deum, quominus Abraham iussa exsequeretur, prohibuisse: nam Deus iubens utique in Abrahamo excitavit seriam voluntatem sacrificandi filii, et haec voluntas, quod Dei esset auctoris, peccato carebat, ergo etiam ipsum sacrificium peccato caruisset. Hinc aliqui censuere, Iephte instinctu divino vovisse sacrificium humanum. Quam sententiam fuse defendit *Ser.*; eidem adhaerent *Salian.*, *Tyr.*; item *Greg. Naz.* Carm. II. 2, *M.* 38. 58 Iephten Abrahamo aequiparans: « Obtulit Deo Abraham filium, similiter et filiam inclytus Iephte, uterque magnum sacrificium ». Instinctum divinum *Hugo M.* 175. 92 dubitanter affirmabat, (De filia Iephte) M. 177. 324. 326 indubitanter negabat. Negant *Elisaeus Amatunicensis*, nobilis scriptor ecclesiae Armenae saeculi quinti (Theol. Quartalschrift, Tübingen 1842, p. 617), *Bonfr.*, *Est.*, *Gord.*, *Suar.* (l. c. n. 18 sq.), *Natalis Alexander* (Hist. Eccles., Paris. 1730, II. 59). *Procop.* votum ad satanae suggestionem revocat. Negant tandem, quicunque Iephte sive in vovendo sive in immolando peccasse docent, quos infra recensebimus.

Sententia, quae Iephten divino impulsu actum esse defendit, duobus praecipue nititur argumentis, sed iis minus firmis. *Primum* petitur ex verbis v. 29 « Factus est ergo super Iephte spiritus Domini » ; unde infertur, eum spiritu Dei motum v. 30 sq. votum pronuntiasse. Quibus reponunt *Aug.* aliique, super alios etiam viros factum esse spiritum Dei narrari, quorum tamen aliqua opera ipsa scriptura reprobet, ut Gedeonis, Samsonis, Saulis : ergo ex illa formula non posse colligi generalem omnium Iephte actorum approbationem. Sed urgeri potest illud argumentum. Indubie enim spiritus divini instinctui adscribitur duplex ויעבר v. 29, quod alio v. 32 ויעבר resumitur et continuatur, ut tota pugna et victoria eidem influxui adscribatur : iam mediis his inseritur v. 30 sq. Iephte votum referens : ergo hoc etiam votum eidem influxui adscribendum. In quo narrationis nexu vel ipse *Schoenen* p. 538 (cf. p. 544) sibi visus est discernere « solidum in favorem eius voti praeiudicium », quod sc. illud Deo acceptum fuerit. Respondeo, v. 30 sq. inseri narrationi expeditionis bellicae, non ad continuandum, quod v. 29 de spiritu Dei dicebatur, sed *per modum parenthesis*, ad praeparandum quod v. 34 sqq. de filia Iephte narratur : ergo non ita evidens est, verba « factus est spiritus Domini » etiam ad parenthesin referri. Praeterea verum quidem est, illud de « spiritu Domini » ad duplex ויעבר v. 29 referri, sed ad sequentia etiam referri demonstrari non potest ; et tertium ויעבר v. 32 scribitur ad resumendum, non quod de spiritu Domini, sed quod de expeditione bellica dicebatur.

Alterum argumentum ex laude scripturae petitur. Eccli. 46, 13 sq. legimus : « Et iudices singuli suo nomine, quorum non est corruptum cor, qui non aversi sunt a Domino, ut sit memoria illorum in benedictione etc ». Sed num his verbis intendebat s. auctor singula singulorum iudicum acta omnia approbare ? Similiter iudices de Hebr. 11, 32 sq. : « Deficiet enim me tempus enarrantem de Gedeon, Barac, Samson, Iephte, David, Samuel et prophetis, qui per fidem vicerunt regna etc ». Nonne peccavit Samson, David ? Nonne minus sapienter Gedeon ephod fabricatus est ? Hinc neque assentimur *Hier.* (Epist. 119, *M.* 22. 964) scribenti : « Iephte obtulit virginem filiam, et *idcirco* in enumeratione sanctorum ab apostolo ponitur ». Et in Vulg. sane Hier. minus feliciter sententias ita connexuit, ut, neglecta quam supra diximus parenthesi, inspirationem divinam videatur suggerere : « Factus est ergo super Iephte spiritus Domini... *et* inde transiens votum vovit ». Aliter aliis locis Hier. loquitur.

Et haec quidem efficiunt, adversarios non probare Dei instinctu vovisse Iephten : Dei autem instinctus, ut affirmetur, probetur necesse est. Est etiam ratio, cur defuisse divinum instinctum defendamus. Si enim Dei instinctu Iephte sacrificium unicae filiae vovit et perfecit, sane excellentissimae fidei et obedientiae exemplum dedit, vix minus illustre celebri illo Abrahae facto, filium promissionis immolaturi. Eiusmodi exemplum laudes merebatur non solum implicitas forte auctoris Eccli. et S. Pauli, sed explicitas ipsius narratoris et collectoris gestorum Iephte. Iam eiusmodi laudis Iud. 11 ne vestigium quidem discernitur. « De hoc voto atque facto nihil videtur scriptura iudicasse, sicut de Abraham, quando filium iussus obtulit, apertissime iudicavit, sed tantummodo scriptum reliquisse legentibus iudicandum ; quemadmodum de facto Iudae filii Iacob, quando ad nurum quidem suam nesciens intravit, verum quantum in ipso fuerat fornicatus est, quia meretricem putavit (Gen. 38, 15), neque approbavit hoc scriptura neque reprobavit, sed iustitia et lege Dei consulta aestimandum pensandumque dimisit » (*Aug.* *M.* 34. 812).

Licet hic pro corollario meminisse sententiae, quam excogitavere aliqui, ut Iephten, secluso etiam divino instinctu, iuste et ex legis Mosaicae mente egisse defenderent.

dum filiam immolaret. Dicunt sc. eius votum non fuisse נדר seu simplex votum, sed fuisse חרם seu *anathema* (cf. Lev. 27, 28 sq.; Iud. 1, 17; 1 Reg. 15, 3). A simplici voto poterat se quis pecunia redimere, non vero ab anathemate aut saltem non ab omni anathemate. Nefas erat hominem pro sacrificio immolare, fas erat pro anathemate interimere. Hoc fecit Amalecitis Saul, Sephaathensibus Iuda, filiae unicae Iephte. — Respondeo 1) v. 30 utique scribi נדר, non vero חרם. — 2) Ad v. 39 addit *Chald. et non consuluit* Iephte *Phinees sacerdotem : et si consuluisset Phinees sacerdotem, redemisset eam pecunia*; ergo Chald. certe non cogitabat de anathemate, quod redimi non posset. *Ios.* affirmat Iephten filiam « in holocaustum obtulisse, neque legitimum neque Deo gratum sacrificium perficiens » : ergo neque ipse de anathemate cogitavit, quod utique legitimum Deoque placens fuisset. *Rabbini* nihil intentatum reliquerunt, quo Iephten a parricidii accusatione vindicarent : de anathemate affirmando non cogitaverunt. An hic consensus eorum, quos anathematis rationem penitius ceteris perspicere oportebat, non illud evincit, gratuito h. l. a recentioribus quibusdam ad anathema recurri? — 3) Anathemate personae Deo exosae et invitae neci addicebantur, quae nex nunquam immolatione sacrificali constabat : h. l. innocens virgo neci addicitur et postmodum necem lubens subit ritu holocausti, nam העלה עולה significare holocaustum, non vero anathema, indubium est. — 4) Si de simplici agebatur voto (נדר), inquit *Calm.*, cur illud ex Lev. 27, 2 Iephte non redemit decem siclis? Respondeo : etsi redimere permitteretur, non obligabatur redimere : poterat ex generoso gratoque in Deum animo redemptione abstinere. Dein num omnia omnino vota redemptioni patebant? Illa sine dubio, quae simplici promissione Deo facta constabant. Num illa pariter, quae ex formula « do ut des » erant concepta? Voverat Iephte victimam omnium sibi carissimam, si Deus insignem concederet victoriam : concessa insigni victoria, num poterat solutis decem siclis ab omni se obligatione expedire? Quid, si in gravi morbo vovisses, te recuperata valetudine religionem ingressurum, atque dein praeter humanam spem sanitati restitutus illico ad Pontificem pro dispensatione voti recurreres, ob nullam aliam rationem, nisi quod iucundius sit in mundo, durius in claustro agere vitam? — Anathema praeter Calm. defenderunt *Capell.*, *Dathe* et *Lilienthal* (ap. Reinke p. 514 sqq.), *Iahn*, *Haevernick* (Handbuch der historisch-kritischen Einleitung in das A. T., Frankfurt a. M. 1854, I. 2. p. 500 sq.); impugnaverunt explicite *Reinke* p. 513 sqq., *Ubaldi* p. 629 sq., *Schoenen* p. 545 sqq., *Cler.* aliique.

In eo voto emittendo cur Iephten *gravioris culpae* accusemus, ratio non est.

Eo, quod ostendimus Iephten non divino actum esse instinctu, iam illud effecimus, eum *obiective peccasse* : quaestio manet, quorsum *subiective peccaverit* seu, cum peccata, nisi probentur, non sint affirmanda, quorsum subiective peccasse demonstretur. Qua de re fuse et dubitanter tractat *Aug.*, eandem nobis suo exemplo commendans cautionem. Tantoque longius absumus, ut Iephten gravis deliberataeque culpae reum scribamus, quanto absurdius supponitur homo, voto Dei auxilium in re supremi momenti impetraturus, illud Deo vovere, quod sine summa numinis iniuria atque indignatione voveri haud posse indubie perspiciat. Dicamus igitur cum *Clair* et *Allioli* (in Notis ad versionem Vulg. germanicam), Iephten fuisse « bona fide »; cum *Menoch.*, eum « non graviter peccasse »; cum *Bonfr.*, eius « culpam extenuari posse ratione ignorantiae et erroneae conscientiae : satis enim liquet, ipsum nunquam

fuisse tale votum concepturum, nisi Deo gratum existimasset, cum illud referret ad impetrandam a Deo de Ammonitis victoriam ; rursum nunquam fuisse votum illud impleturum, nisi existimasset, se voto ad id teneri ». Dicamus cum *Lap.*, « Iephte excusari vel a toto vel a parte per ignorantiam et religionis zelum, quod simplici, candido et pio animo putaret se hoc voto obligari ad filiam immolandam, eo quod ipsa prima sibi occurrisset. Erat enim rude hoc saeculum et casuum conscientiae ignarum. Ac Iephte erat homo militaris, milites autem putant, se suis iuramentis et votis, etiamsi perperam factis, obligari ex religione et veneratione, quam Deo debent ».

Plures Iephten arguunt *stultitiae* : ita *Theodoret., Ambr.* (in 1 Cor. 15, 30, M. 17. 266), *Ps. Aug.* (V. T. quaestio 99, M. 35. 2239), *S. Thom.* (II II^{ae} q. 88. a. 2 in c.) sua faciens verba cuiusdam auctoris « In vovendo fuit stultus, quia discretionem non habuit, et in reddendo impius ». « Quid opus fuit tam facile iurare », exclamat *Ambr.* (Apologia David cap. 4, *M.* 14. 858), « et incerta vovere pro certis, quorum nesciret eventum ? Deinde, ad quid sacramenta tristia Domino Deo reddit, ut cruentis solvat sua vota funeribus ? » — Alii, quod in idem fere recidit, eum arguunt *imprudentiae* et *praecipitationis*. « Indiscrete vovit », inquit *Rup.* « Nonne cognoscere quisque debet, utrum bonum sit vel malum, quod vovet, cognoscere et videre, utrum vel maculatum vel immaculatum sit, quod offerat ? Hoc igitur est, quod iuste quisque reprehendat ; hoc unum in isto est, quod anima Deo devota sapienter vitare debeat. Nam quod ad Deum confugit, quod fideliter a Deo victoriam speravit, non solum non reprehensibile, sed et laude dignum fuit, unde et in epistola, quae dicitur Pauli apostoli ad Hebraeos, in catalogo patrum fidelium conscriptus est etc ». « Promissio haec nimis est fervida », inquit *Procop.*, « et ex amore desperatae victoriae profecta ». Fere idem dixerat *Greg. Naz.*, *M.* 35. 930 : « Pollicitationis fervor ac desperatae victoriae cupiditas votum solvendi necessitatem imponebat ». « Incaute » vovisse rursum affirmat *Ambr.* (de Off. ministr. III. 12, M. 16. 167); « imprudenter » *Ps. Iustin.* (Ad Orthod. I. 99, *M.* 6. 1343) et *Natalis* l. c. Accedunt *Haneberg* (Geschichte der bibl. Offenbarung, Regensburg 1852, p. 196), *Haevernick* (l. c. p. 500) aliique (cf. Reinke p. 453 sqq.). Praecipitationis occasionem cum *Braun* (ib. p. 453) in eo cernere possumus, quod Iephte imminente iam proelio et ingruentibus hostibus, numero fortasse multum praevalentibus, « desperatae victoriae cupiditate » actus, votum pronuntiaverit.

Sed praeter praecipitationem adstruenda *ignorantia* quaedam cum auctoribus non paucis. Ubi *Bonfr.* : « Non possum tamen diffiteri difficile esse, in hoc toto negotio omnem a Iephte culpam amoliri et ignorantiam *invincibilem* constituere. Est enim hic error admodum crassus, contra naturae legem manifestam ; erat hoc ipsum diserte lege divina prohibitum ; erat citra omne exemplum apud Iudaeos, ut mirum sit ex incogitantia vel ex fervore quodam praepropero potuisse alicui in mentem tale votum incidere... Sed esto faciamus in voto citra culpam erratum esse, qui fieri potuit, ut duorum mensium spatio nullum inciderit de ea re dubium, nullus hoc dubium moverit et virginis mortem avertere studuerit ? » Similiter *Suar.* l. c. n. 17 : « Licet negare non possimus, quin ignorantia laboraverit, credendo se obligari tali voto, tamen quod illa fuerit *invincibilis*, nec ex scriptura colligitur, quia nullum ibi est de hac re verbum aut signum ; nec ex materia, cum fuerit de re contraria rationi naturali et multis praeceptis legis veteris ; nec ex circumstantiis personae aut temporis, quia erat princeps populi et tenebatur esse instructus in re tam gravi ; et licet antea non fuisset, potuit interrogare a sapientibus veritatem, saltem ante voti executionem... Mihi difficile creditu est, talem ignorantiam fuisse inculpabilem ». — Minus

tamen severi sunt alii, ignorantiam statuentes *invincibilem* et *inculpabilem*. Ita *Clair*, *Allioli* supra citati, viri « bonam fidem » defendentes. « Iephte a nullo propheta vel pontifice legitur reprehensus, sed ab Apostolo et Eccli. laudatus », exclamat *Lap.* : « cur ergo nos eum damnemus ? »

Sed iam in eius ignorantiae, quantacunque demum fuerit, causas inquirendum. Unicus in Pentateucho textus Deut. 12, 31 victimas humanas *Iahve* offerri prohibebat, qui unus textus facile non solum a Iephte, sed ab ipsis sacerdotibus ignorari poterat. Ex altera parte erat insigne factum historicum Dei iubentis Abrahamum immolare filium ; erat mos gentilium circa nationum, praeprimis Ammonitarum et Moabitarum (cf. 4 Reg. 3, 27), immolandorum in idolorum honorem filiorum. Estne tantopere mirandum, si Iephte « ritum gentilium secutus humanum sanguinem vovit, sicut postea legimus regem Moab filium suum immolasse super muros ? » (*Hugo*). Num tam atrocis ignorantiae insimulandus Iephte, si, unici textus immemor aut ignarus, Abrahami sibi exemplum imitandum existimavit ? Fingit *Elisaeus* l. c., Iephten cum universo populo usque ad supremum instans exspectasse, Deum hoc sacrificium uti Abrahae quondam inhibiturum esse.

Tribus transiordanicae nunquam studio et peritia legis reliquas tribus antecelluere, semper plus reliquis gentilibus fuere admixtae, ceteris prius ab iisdem fuere absorptae : quid mirum, si illae rerum divinarum rudiores sint repertae ? si filius meretricis, a fratribus domo paterna eiectus, vagus in terram Tob in ipso deserti limine delapsus, militis vitam agens instabilem atque incertam, deprehendatur textus Deut. 12,31 prae Gen. 22 immemor ? At, Iephte novit Pentateuchum, urget *Reinke* p. 476 sq., quod eius verba et acta probant, maxime legatio ad regem Ammon missa. Novit Iephte historiam populi electi, novit Num. 30, 3 : « Si quis virorum votum Domino voverit, aut se constrinxerit iuramento, non faciet irritum verbum suum, sed omne, quod promisit, implebit » ; non novit, vel non attendit Deut. 12, 31 et, Abrahae facto deceptus, putavit in extremis saltem rebus Iahve sacrificium humanum esse acceptum ; itaque iudicavit non post maturam considerationem, sed in ipso aditu proelii validique hostilis exercitus. Neque mirum est, vel rudem militem (*Lap.*, *Haevernik*, *Elisaeus*) oppido novisse rationem, qua Israelitae primum regione transiordanica potiti fuerant, quod ex illis gestis transiordanici ius obtinendae regionis derivarent, pro qua retinenda ipsis constanter cum Ammonitis et Moabitis, et ipsi Iephte cum iisdem in terra Tob pugnandum fuerat.

Adde, ex cap. 10 transiordanicos tum recenter ex idololatria ad cultum Iahve fuisse revocatos : quid mirum, si unum versiculum Deut. 12, 31 ignoraverint ? At dices, aderant *sacerdotes*, qui ipsos monerent. Pontifex sane (*Chald.*) non adfuit, tribus quippe Ephraim, in qua is Silunte habitabat, secundum 12, 1 bello non interfuerat. Aderant sane ii sacerdotes, qui trans Iordanem incolebant : sed num fas est supponere, illos sibi ab idololatria cavisse et, dum plebs deficeret, assidue singulos Deuteronomii versiculos memoriae mandasse? Habes Michae historiam Iud. 17 sq., qua docearis, quam ignorantes et superstitiosi quandoque iudicum aevo exstiterint sacerdotes ; regum et prophetarum tempore sacerdotes haud raro cum plebe ad idololatriam deflectebant : licebitne supponere, sacerdotes Galaaditas fuisse pios et integros ? Qualis fuerit Iephte, quales sacerdotes, quae Galaaditidis illo aevo conditio, haec omnia non gratuitis placitis sunt definienda, sed ex sacra narratione attente colligenda. Iamvero hac docemur, Iephten, virum ceteroqui religiosum, non ex malitia sed ex aliqua ignorantia Deo sacrificium humanum vovisse, et in eo proposito duobus mensibus immotum perseverasse ; filiam piam et innocentem, ei sacrificio misere addictam, ad Deut. 12, 31 non appellasse ; sacerdotes, qui adessent, patrem

de eodem textu non monuisse. Ex quibus inferre cogimur, tam sacerdotes quam plebem aliqua tum ignorantia laborasse, ab omni superstitionis fermento nondum fuisse immunes. Adde, brevi post votum insignem successisse victoriam, quasi eiusdem divinitus concessam confirmationem.

Est et aliud, quod initio actorum Iephte monuimus, quo difficultas de protracta integris duobus mensibus ignorantia plurimum extenuatur. Istosne duos menses cum pace domi suae transegit Iephte ? Datane illi opportunitas rei secum et cum sacerdotibus discutiendae ? Omnino crediderim, turbas Ephraimiticas proxime secutas esse post bellum Ammoniticum. Vix triumphator Maspham reversus fuerat, solemnes ibidem (cf. 11, 11) Deo gratias pro victoria redditurus, vix lugendum in modum filiam obviam habuerat, cum affertur nuntius appropinquare Ephraimitarum exercitum. Hinc perturbata omnia, miles in aciem productus, qui in sua iam dilabebantur revocati 12, 4, primum legati hinc inde missi 12, 1-3, dein proelium commissum v. 4, Iordanis vada occupata. His omnibus aliquarum facile hebdomadarum tempus impensum. Nulla interim filiae causam repetendi aut sacerdotes consulendi occasio. Intestina fortasse dissidia pro dilati voti poena habebantur. Angebat timor, ne longius differentem graviora etiam mala occuparent. Ubi domum tandem duplici bello victor revertitur, fides rudis, inculta votum reddi praecipiebat ; lex prohibens ignorabatur aut certe imperfectius sciebatur ; exposcebat ipsa filia (cf. 11, 36) mortem, pia, innocens ; palliabat gentium circum incolentium superstitio facinoris immanitatem ; Abrahae exemplum idipsum vix non consecrabat. Quid ita mirum, si tandem vir durus, fraterni ipse odii victima, filiae sanguinem existimavit iustam esse religionem ?

Illud ergo nos defendimus, Iephten, ut victoriam de Ammonitis impetraret, vovisse sacrificium humanum, non divino instinctu sed ignorantia legis et victoriae aviditate actum. Quid tandem praestiterit, filiamne immolaverit an consecraverit, infra discutiemus. Interim adverte, ea, quibus nostra thesis fundatur, asserta non eos solum auctores habere patronos, qui immolationem filiae Iephte defendant, sed quosdam praeterea eorum, qui eandem negent, ut merito nostrae thesi *consensum interpretum* vindicemus. Ita *holocaustum* vovisse Iephten, e catholicis etiam concedunt Vatabl., Mar., Malv. ; votum *non* fuisse *disiunctivum*, affirmant Reinke, Ubaldi ; iidem cum Schoenen votum asserunt fuisse *hominis*, non bestiae.

Iephte victoria. — *Iud.* 11, 32-33

v. 32 « *Transivitque Iephte ad filios Ammon, ut pugnaret contra eos, quos tradidit Dominus in manus eius* ». v. 33 « *Percussitque ab Aroer* » — sane Aroer Gad, uti v. 26, quae ex Ios. 13, 25 haud longe aberat a Rabbath Ammon. Si intelligeretur (*Calm.*) Aroer ad flumen Arnon, tum Iephte utique persecutus esset hostes « a meridie ad septentrionem », sed quomodo ab extremo meridie, longo tractu a Galaaditide separato, incipere potuerit, non indicaretur. Ammonitae 10, 17 in Galaad, puta in extrema meridionali Galaaditide, castra fixerant, a quibus fortasse haud longe aberat Aroer Gad — « *usque dum venias* », usque ad regionem (*Keil*), « *in Mennith* » (Ez. 27, 17), secundum *Euseb.*

quatuor milliariis distantem Hesebone Rabbam versus, « *viginti civitates, et usque ad Abel, quae est vineis consita* », Abel Keramim (LXX *Syr. Chald.)*, secundum *Euseb.* sex milliariis distantem a Rabba, « *plaga magna nimis; humiliatique sunt filii Ammon a filiis Israel* ». « Qui tantopere antea ferociebant, qui tot Israelem annos vexarant, qui caduceatores pacisque nuntios repudiarant, qui nullis denique iustis, quas illi attulerant, rationibus acquiescere voluerant, nunc admodum sternuntur ac deprimuntur, maloque subacti suo discunt simulque nos docent, iniuria neminem lacessere, ambitionem ac temeritatem fugere, bonis monitis ac rationibus cedere, neque in iniquitate obstinare animo » (*Ser.*). Fortasse Iephte ab Aroer Gad hostes insecutus est usque Mennith, ac dein per Abel Keramim in sua reversus.

מנית cum *Hebr.* legebant *Vulg. Chald.* et altera lectio LXX, etiam *Ios.* (Μανιάθη), unde corrigenda LXX recepta ארנון. *Syr.* מכיר facillime ex מנית corruptione oriri potuit. Duas *Abelas* novit *Keil* vineis insignes, alteram sc. prope Gadaram locumque Genezareth : at sufficiens ratio non est supponendi, Iephten, expeditione primum meridiem versus feliciter suscepta, dein ad extremum septentrionem ipsosque terrae Basan fines deflexisse; plures sane viginti civitatibus in ea illi expeditione subigendae fuissent.

Iephte sacrificium. — *Iud.* 11, 34-40

v. 34 « *Revertente autem Iephte in Maspha domum suam, occurrit ei unigenita filia sua cum tympanis et choris; non enim habebat alios liberos* ». Reliqui, omissa primum voce *unigenita* sic habent : *et tantum ipsa unica, et non erat ei praeter eam filius aut filia.* Variis modis exprimitur fuisse unica, ex qua sola patri posteritatem sperare liceret, quo melius intelligatur parentis dolor. Sapienter *Calm.* : « Vero simillime censemus, votum hoc Iephte *secretum* fuisse; nulla enim cautio occupata est, ne quid illi occurreret, quod invitum cogere posset ad fidem suam exsolvendam ». Etiam alias mulieres cum tympanis et choris obviam procedebant, Ex. 15, 20 et 1 Reg. 18, 6, et cf. quae ad alterum hunc textum scripsimus.

יחדה, videntur aliqui textus corrupisse in ידדה, unde lectiones ἀγαπήτη, ποθητή, περίψυκτος (non περίψυχος). — ממנו *ex eo* : certe non is sensus est, habuisse Iephten filios adoptivos vel privignos, quos ex alio patre natos uxor ei attulisset, non vero proprios. Sensus omnino esse debet *praeter eam (Syr. Vulg.* LXX : hi duo *alios*, quod idem est). Quaeritur, corrigendumne sit ממנה, quod iam aliqui suggesserunt Hebraeorum (ap. Houb.), an explicandum per enallagen generum, ut auctor liberos pro filia in mente habens pro genere fem. substituerit masc. *Boettcher* in comparationem adducit *germ.* « ausserdem », quod cum sit generis neutr., tamen etiam ad nomen masc. vel fem. referri potest.

v. 35 « *Qua visa scidit vestimenta sua et ait : Heu me, filia mea, decepisti me et ipsa decepta es* ». « Quid necesse fuit, ut mihi obviam prima occurreres ? Ego quidem exspectatione mea deceptus sum, tu vero gravius decepta es : triste enim nuntium auditura es a me, nempe devotam te esse Domino » (*Calm.*). *Hebr. prosternendo prostravisti me* (כרע), *et tu fuisti inter affligentes me* (עכר). Ubi prius membrum explicat *Vatabl.* : « Eram nuper elatus ea victoria, quam reportaveram de Ammonitis superatis ; tu vero depressisti me, immo vero prorsus perdidisti ac exterminasti : actum est de posteritate mea ».

Hebr. Chald. bis legebant formam verbi כרע, dein עכר, quae duae radices iisdem diverso ordine consonantibus constant, « ut literarum transpositione ex una altera fieri possit et forte non sit improbabile, Hier. utramque ab eadem radice legisse » (*Bonfr.*). Sane *Vulg.* LXX ter legebant formam verbi עכר, et pro partic. plur. עֹכְרַי *affligentes me* punctabant substantivum, secus quidem inusitatum sed omnino regulariter formatum, עָכְרִי *afflictio mea*. *Syr.* videtur ter legisse formam radicis כרע. Lectio *Vulg.* LXX praeferenda. Sane *tu fuisti inter affligentes me* (*Hebr.*) post *prostravisti me* abundat, nihil omnino novi annuntiat ; durum est, Iephten de malo unice *suo*, non *filiae* conqueri. Nervose e contra *Vulg. LXX : prostravisti me, et ipsa es in prostratione mea,* i. e. et ipsa una prosterneris : posteritate orbamur ambo.

« *Aperui enim os meum ad Dominum* », votum pronuntians, cf. Num. 30, 3. 7. 9. 13 ; Deut. 23, 23 sq., « *et aliud facere non potero* », *Hebr. et reverti non possum, Vatabl.* « non potero retractare ». Voverat Iephte, se primum, quem obvium esset habiturus, immolaturum : iam conqueritur, sibi nullum ab eius voti acerbitate relinqui effugium. Si interim perspexisset, rem consecratione aliqua absolvi posse, iam esset ea aliqualis « retractatio » ; exspectaremus eum, praeter doloris sensum ob consecrandam filiam, simul gaudium fuisse exspressurum, quod ad eam immolandam non adigeretur. — Filia, quale votum pater edidisset, intellexit, sive illud ex verbis modo dictis perspexerit, sive pluribus rem pater explicaverit. v. 36 « *Cui illa respondit : Pater mi, si aperuisti os tuum ad Dominum, fac mihi quodcunque pollicitus es, concessa tibi ultione atque victoria de hostibus tuis* ». *Hebr. Fac mihi secundum quod egressum est de ore tuo, postquam fecit tibi Dominus etc.* Ratio effertur, ob quam patrem stare promissis oporteat : vovisti, ergo votum exsolvas oportet ; vovisti pro victoria impetranda eamque iam obtinuisti, ergo exsolve pretium accepti beneficii. Puellae laudes vide apud *Ser., Lap.*

v. 37 « *Dixitque ad patrem : Hoc solum mihi praesta, quod deprecor* ». *Hebr. Facies mihi verbum istud* posset etiam ad praecedentia

referri : Fac mihi, quod vovisti, sed etc. « *Dimitte me, ut duobus mensibus circumeam montes et plangam virginitatem meam cum sodalibus meis* ». « Nimirum hoc (christiano) tempore amissa virginitas defleri potest, praesertim si cum flagitio amissa. At olim virginitas deflebatur non amissa sed servata, non tamen ratione sui, sed ob sterilitatem et defectum prolis, quae virginitatem servatam necessario comitabatur » (*Bonfr.*). Adde, quod quisque posterorum oculis messianicas benedictiones intueri percuperet.

Montes etiam alias petuntur ad lamentum edendum, Ier. 31, 15 et Is. 15, 2, forte quod ob solitudinem eo fini sint aptiores. Sed cur *descendam super montes* (*Hebr.*) ? Generatim, si domus fuerit in loco editiore, descenditur domo et ascenditur domum, immediate sc. nullaque habita ratione, sitne itineris terminus editior aut depressior eo loco, in quo est domus.

Ex hoc textu, qui filiam Iephte Dei servitio consecratam defendunt, argumentum conficere nituntur. « Hinc etiam », inquit *Cler.*, « confutare licet eos, qui mactatam volunt hanc puellam : si hoc enim futurum erat, *vitam* deflere eam oportuit, non virginitatem ». Respondeas : Iephte, quod demonstravimus, voverat immolare; verba v. 39 « fecit ei sicut voverat » edicunt sensu obvio, filiam fuisse immolatam; ex verbis igitur v. 37 interiectis alium sensum emungere non licebit, quamdiu ea verba *facile* in eundem sensum possunt trahi. At possunt. Virginitatem moritura deflet, non vitam, quod eius *fidei* haeres exstiterit filia, quam in parente celebrat apostolus. Durum tenera adhuc aetate mori, sed durius longe nulla relicta posteritate mori, quae Messiam videat, ei subserviat et obsequatur. Hi sensus omnino hebraei sunt et excelsi; his movebantur Anna, Samuelis mater futura, et Elizabeth, Praecursoris genetrix, ut sterilitatem deflerent primum, sublatam dein cantico celebrarent. — Tandem liceat s. auctori in re atroci euphemismis uti, et pro morte praecoce et iniusta scribere virginitatem, pro carnificina « fecit ei sicut voverat ». v. 38 « *Cui ille respondit : Vade. Et dimisit eam duobus mensibus. Cumque abiisset cum sociis (ac sodalibus) suis, flebat virginitatem suam in montibus* ».

v. 39 « *Expletisque duobus mensibus, reversa est ad patrem suum, et fecit ei sicut voverat* ». « Recole, quod vovit : et erit Domino et offeram eum holocaustum — et clare scribi cognosces, quod non solum dicavit eam Deo, sed etiam obtulit eam in holocaustum ; alioquin non verificaretur scriptura dicens *et fecit ei votum suum, quod vovit (Hebr.)* » *(Cai.)*. « *Quae ignorabat virum* ». Quare ea verba adiiciuntur ? Imprimis, ut sequentis consuetudinis ratio intelligatur : filiae sc. Israel

plangebant « virginitatem » filiae Iephte, quem planctum ipsa v. 38 fuerat ordita. Dein, ut accuratius, quid Iephte quidque filia egerit, pensemus : ipse in filia omnem posteritatis spem immolabat; ipsa prole carens alacriter tamen mortem suscepit; magni fuere vel in ipso suo errore neque ab illa degeneres fide, quam celebrat apostolus. Adverte Iephten v. 9 principatum ad vitam sibi pactum esse; non erat ipse fortasse ab omni ambitione transmittendi ad posteros principatus alienus, quam ambitionem iam luit amissa filia unica virgine. Tandem Gedeon, multorum filiorum pater, regnum oblatum pro se et prole recusaverat; Abimelech, quod Gedeone esset genitus, regnum infeliciter sibi arripuerat : operae pretium erat rationem repetere, ob quam simile quid in domo Iephte non acciderit. Nota, populum tum fuisse percupidum regni instituendi, tantoque gravius tulisse Iephte facinus, quo illa spes differretur : quae aliqua etiam fuit ratio virginibus Israeliticis annui planctus instituendi. « *Exinde mos increbruit in Israel (et consuetudo servata est)* », v. 40 « *ut post anni circulum conveniant in unum filiae Israel et plangant filiam Iephte Galaaditae diebus quatuor* », adde cum reliquis *singulis annis*.

לתנות *Vulg. LXX Chald. Syr.* unanimiter vertunt *ut plangant*, quae minime spernenda auctoritas. Verbo תנה satis certa est *celebrandi* significatio ex 5, 11 (*Vulg.* « narrentur »), Ps. 8, 2 (« elevata est »), Prov. 31, 31 (« laudent »). Os. 8, 10 LXX *Syr.* formam a נתן derivant, itemque codices aliqui hebr. dagesch inserentes. Os. 8, 9 est textus obscurior, quem secutus *Schoenen* h. l. vertit (p. 576 sq.) : « quotannis conveniebant filiae Israel ad *dona deferenda* filiae Iephte » adhuc superstiti (!), seu « ad dono illi dandos quatuor dies », ad eos confabulationibus cum ipsa transigendos. O piissimam puellarum garrulitatem ! Verum advertas, quaeso, eum morem dici ortum duxisse *exinde*, sc. ex bimestri luctu filiae Iephte et sociarum : putasne ex tam gravi luctu ortum duxisse morem laudandi, dona afferendi, confabulandi ? — Ea, quam modo recensuimus, interpretatio re eadem est cum altera, quam post *Kimchium* professi sunt *Vatabl., Arias, Pagninus, Munst., Amama, Cler.* etc : *ut colloquantur cum ea.* Et *Ubaldi* p. 628 : « Hic locus intelligendus videtur de festivo aliquo puellarum conventu, qui forte paschalibus diebus quotannis haberetur, ad Iephte filiam adhuc viventem et tabernaculi servitiis addictam in Silo celebrandam et consolandam ». Verum ea interpretatio gratuito asseritur, et v. 39 sq. utique videtur agere de more non ita recens introducto, sed qui sit monumentum perdurans eventus modo narrati. Facile possumus sistere in *celebrandi* significatione, quae, ubi de re laeta agatur, in *laudandi*, ubi de re tristi, in *lugendi* significationem transeat. — *Quo* conveniebant ? Ad filiam Iephte, supplet *Smith,* adhuc superstitem, et quidem quatuor anni diebus non continuis, quo saepius invisentes eo efficacius solarentur. Potius supplendum « inter se » ; non enim cogimur supponere, omnes virgines Israelitas, saltem Galaaditidas, in unicum convenisse locum, sed in variis urbibus et pagis eiusmodi conventus habebantur, sicut ethnici late celebrabant Adonis luctum. Quippe tota haec de filia Iephte narratio cum quibusdam gentilium ritibus aliquam habet affinitatem.

Vidimus supra Iephten *vovisse* sacrificium humanum : iam quid *praestiterit*, definiendum. Ubi sensus obvius omnino holocaustum exigit, ut patet ex iam dictis et ex modo dicendis penitius patebit.

Sed aliam e *Rabbinorum* elucubrationibus sententiam suscitavit *Lyr.* : « Filia Iephte non fuit sacrificata Domino per mortem corporalem, sed potius per civilem seu spiritualem, eo modo quo religiosi dicuntur mundo mortui... per observationem virginitatis, vivendo in orationibus ac ieiuniis et piis operibus ». Secuti sunt *Arias, Vatabl., Est., Mar., Malv., Munst., Drus., Amama, Grotius* aliique. Modo quandoque diverso sibi rem repraesentant. *Clarius* : « reclusit eam et a consortio hominum separavit, nec nisi quatuor diebus per annum aditum concessit ». Lenius *Cler.* : « In servitutem data est pontifici maximo, qui eius opera in rebus sacris uteretur ; exempli causa in molendo tritico, unde fierent panes sacri, pinsenda farina, coquendis panibus, vestibus nendis ac texendis, aliisque id genus ministeriis, quibus apta esse poterat puella ; ita ut nunquam, quoniam se voto eam in rem obstrictum putabat pater eius Iephteus nec eam redimere voluit, ab ea servitute liberaretur, sed innupta apud eum ad mortem maneret ». — « Sed haec omnia nullo scripturae fundamento innituntur », inquit *Calm.* Sapientior igitur *Scholz* II. 41 modum, quo ea consecratio facta fuerit, accuratius non definit.

Reapse illas omnes explicationes defectu aliquo laborare censet *Hengst.* p. 132 « Earum », inquit, « assertores neglexerunt, eventum narratum cum moribus veterum Israelitarum componere. Ut aliquis homo totus et absolute solutisque omnibus naturae vinculis Deo consecretur, est inauditum quid praeter omnem V. T. ordinem et rationem. Unde ea explicandi ratio artificiose conficta appareat necesse est ad illud e s. scriptura eliminandum, a quo interpretis praeiudicium abhorreat. Illud igitur nobis praestandum imprimis, ut demonstremus, exstitisse reapse in V. T. *initium quoddam vitae claustralis*, fuisse moris, ut mulieres se Domino consecrarent aut eidem consecrarentur ».

Argumenta ab ipso *Hengst.*, *Keil, Reinke, Schoenen, Zschokke* (Historia Sacra, Vindob. 1884. p. 174) prolata, ad illud initium vitae claustralis (« ein Ansatz zu kloesterlichem Wesen ») in V. T. demonstrandum, sunt fere haec :

1) Lev. 27, 1-8 exponitur, quanta pecunia vir vel mulier redimendus sit, qui se voto Deo consecraverit : eiusmodi votum seu consecrationem includere perpetuam *virginitatem*, ne verbulo quidem affirmatur neque sponte consequitur ex indole, quantum novimus, Mosaicae religionis. « Vix licet dubitare », suggerit *Reinke* p. 480, « exstitisse plures, qui pietate acti mundi oblectamentis et gaudiis perpetuo renuntiaverint, totamque vitam Deo consecraverint, immo paucos aliquos, dum votum pronuntiarent, se ipsa abdicasse facultate, qua sibi a voto redimi fas esset ». Dubitare certissime licebit, immo oportebit, quamdiu nulla tam gratuitae assertionis confirmatio afferatur. Samson, Samuel aliique, quos Deo consecratos novimus, uxores duxerunt; Iudith et Anna prophetissa fuere viduae; B. V. ea consecratione, quominus nuberet, non est prohibita; ne unicum quidem exstat exemplum virginis, ne dicam viri adolescentis, perpetuam virginitatem profitentis.

2) Auctores illi appellant institutum *Nasiraeatus*, sed a *Schoenen* p. 559 carpuntur, quod res toto coelo diversas confundant : Nasiraei *virginitatem* nequaquam profitebantur.

3) Ex. 38, 8 « Fecit et labrum aeneum cum basi sua de speculis mulierum, quae excubabant in ostio tabernaculi ». 1 Reg. 2, 22 Filii Heli « dormiebant cum mulieribus, quae observabant ad ostium tabernaculi ». Cf. *Cornely* II. I. 75. Verum *Cassel*, eiusdem sententiae patronus, hoc argumentum repudiat ; quid eae mulieres prope tabernaculum egerint, disputatur ; fuerint nuptae an viduae ; perpetua certe virginitas ex textibus erui nequit.

Hinc perspicies, quam gratuito *Reinke* p. 478 asserat, « cur non expressius s. textus affirmet, Iephten filiam non mactasse sed Deo consecrasse, eam esse rationem, quod Israelita quivis non plane rudis et incultus sciverit, Iephten, quae locutus esset verba, nonnisi sensu figurato intelligere potuisse » ; et *Schoenen* p. 565 sq., « quod ne verbulo quidem filia Iephte illam virginum societatem ingressa esse referatur, nihil habere admirationis, cum Israelitae supponendi sint mosaicae legis instituta eamque societatem (?) oppido novisse ». Contra quos *Cassel* : « Factum filiae Iephte tamquam aliquid insuetum nobis proponitur. Virginitas praeservanda defletur et instituto festo celebratur : id sapit rem insuetam, nequaquam ad institutum a priscis susceptum pertinentem ». Hinc idem auctor tantum abest, ut filiam Iephte defendat monasticum aliquod institutum ingressam esse, ut potius statuat, eam *posteris* exstitisse exemplar quoddam virginitatis et dignitatem adumbrasse virginibus in N. T. reservatam.

Tandem, si eiusmodi institutum monasticum ex mente Reinkii et aliorum in V. T. exstitisse supponatur, dicant nobis illi auctores, fueritne illud vitae genus ex opinione Hebraeorum perfectius an imperfectius vita communi coniugatorum. Si imperfectius, ergo non erat materia apta voti, quod esse debet rei perfectioris, neque Iephte maculam religiosae ignorantiae effugit. Si perfectius, cur illud in s. scriptura non magis explicite celebratur? Cogita virginem statum perfectiorem ingressuram atque duos menses cum sociis in plangenda virginitate insumentem ! Adversarii, ideas christianas in V. T. transferentes, effingunt monstrum quoddam, quod caput leonis praefert, sed desinit in piscem.

Iam ad alia transeamus argumenta, quibus adversarii suam thesin fulcire nituntur, illud monentes, plura ex illis iam esse a nobis praeoccupata, quod votum Iephte pariter atque voti impletionem impugnent.

Obi. 1. Scriptura non dicit Iephten filiam immolasse.

Resp. Scriptura v. 31 inducit Iephten voventem « eum holocaustum offeram Domino »; v. 39 « fecit ei », inquit, « sicut voverat » : num id non est idem atque dicere « holocaustum eam obtulit Domino »? Sane *Keil* adversarius p. 299 fatetur, ea verba indubie supponere Iephten filiam obtulisse Domino tamquam עולה.

Obi. 2. Scriptura factum Iephte non vituperat, quod tamen severam merebatur vituperationem.

Resp. Factum malum sua ipsius malitia condemnatur ; condemnatur iis, in quas impingit, legibus aliis scripturae locis inculcatis ; non est necesse singulis eiusmodi factis praesentem comdemnationis notam inuri. Cf. Gen. 38, ubi fornicatio Iudae, nulla reprobationis nota adiecta, narratur. Tanto maior erat ratio supprimendae explicitae condemnationis, ubi de facto viri egregii agebatur ex ignorantia magis, quam

ex malitia profecto; ubi patris triste gestum intime contextum erat cum filiae generosa resignatione. Sane difficultatem non sentiebat *Ambr.* scribens De Virg. cap. 2, M. 16. 267 : « Scriptura divina effectum rei non prodidit, sed refugit parricidii mentionem ». Scriptura, quae gesta sunt, velo quodammodo contegit. Non dicit « immolavit », sed « fecit ei sicut voverat » ; « virginitatem » commemorat, non necem. — *Laudem* vero Eccli. et Hebr. non ad votum et consequenter neque ad voti Iephte impletionem referri, supra demonstravimus. Ceterum, si eam laudem ad Iephte quoque votum referri contenderes, tum libentius tibi concederem, eum *divino instinctu* filiam immolasse, quam virginem perpetuam consecrasse; cum illud minorem quam hoc textui inferat violentiam.

Obi. 3. Repugnat sacrificii humani memoriam festo quotannis recurrente fuisse celebratam.

Resp. Non celebrabatur Iephte facinus, sed filiae praeclara devotio; celebrabatur non tripudiis sed luctu, nam omnium versionum v. 40 interpretationem *plangant* sequimur. Festum non erat a sacerdotibus introductum, non, quantum novimus, in loco sancto vel sacro ritu celebrabatur, sed erat mos a virginibus Israeliticis — saltem transiordanicis, fortasse etiam aliis quibusdam — spontanee susceptus. Si fas fuerat filiae Iephte lugenti v. 38 sociari, fas item erat luctum annuum renovare.

Obi. 4. Si immolanda fuisset filia Iephte, planxisset non virginitatem sed mortem. « Hoc igitur erat, quod subire cogebatur vi voti, sc. perpetuae continentiae addici, quod apud Hebraeos tunc temporis durum et probrosum mulieribus erat » (*Ubaldi*).

Resp. Virginitatem vi voti subire cogebatur *mediate*, neque enim post duos menses moritura nubere decenter poterat. Quod autem prae morte planxerit virginitatem, egregiam commendat fidem puellae, cuius pater fidei laude in scriptura ornatur. Gravius ipsa morte ferebat virgo posteritate praecludi, qua ad messiae tempora pertingeret. Urget *Keil*, qui plangat virginitatem, eum non id deplorare, quod virginem mori, sed quod virginem permanere oporteat. Cui respondeo, plangere perpetuam virginitatem esse plangere virginitatem ad mortem duraturam, quae mors in pluribus post longius tempus naturalis obtinet, in filia Iephte post duos menses violenta erat intercessura. Relege, quae diximus ad v. 37.

Obi. 5. Incisum *et ipsa ignorabat virum* iungendum vel cum prioribus vel cum sequentibus. Si illud, excluditur holocaustum : fecit ei sicut voverat, et hinc ipsa non cognovit virum. Si alterum, vertendum erit : Cumque ipsa ignoravisset virum, increbruit mos etc. Ubi illud displicet, causam luctus virginum assignari virginitatem potius filiae Iephte, quam miserrimam necem.

Resp. Prior constructio excluditur verbis « fecit ei sicut voverat », quorum sensus necessario idem esse debet, atque verborum v. 31 « offeram holocaustum » : quis congressui virili post immolationem locus? Altera non habet difficultatem : filiae Israel luctum filiae Iephte repetebant; unde, si huic fas fuerat virginitatem prae morte lugere, cur non illis? Ceterum tertia et probabilior constructio est, ut verba neque ad priora neque ad sequentia trahantur, sed instar exclamationis inserta concipiantur, qua id, quod in eo eventu atrocissimum fidelibus Hebraeis videbatur, inculcaretur. Locum analogum habes Luc. 7, 12, ubi de vidua Naim dicitur « et haec vidua erat ». Neque ibi iungendum « efferebatur filius unicus matris suae, et hinc illa vidua erat » ; neque « cumque illa vidua esset, sequebatur turba » ; sed linquendus textus, uti iacet.

Obi. 6. Erant inter Hebraeos coetus aliqui mulierum Deo consecratarum et matrimonio abstinentium : ergo praestat horum cuidam, quam infando altari filiam Iephte assignari.

Resp. Eiusmodi coetus fictitios esse, supra demonstravimus. At, dato etiam et non concesso eiusmodi fuisse coetus, nihil est in textu et contextu, quo moveamur, ut filiam Iephte eiusmodi coetui adscribamus.

Haec argumenta infirmiora sunt, quibus retrahamur a sententia, quam expressere *Vulg.*, *Chald.*, *Ios.*, *Rabbini antiquiores* ; quam communiter tenuerunt Patres *Ps. Tert.* (Adv. Marc. III. 4, M. 2. 1073), *Or.* (*M.* 14. 293), *Theodoret.*, *Greg. Naz.* (Or. 15, M. 35. 930; Carm. II. 2, M. 38. 58), *Chrys.* (ad pop. Antioch. Hom. 14, M. 49. 147), *Ps. Chrys.* (In Abraham et Isaac, M. 56. 539), *Aug.* (*M.* 34. 816), *Ephraem*, *Epiphan.* (Haer. 78, M. 42. 736), *Hier.* (In Ier. 7, 31, M. 24. 735), *Ps. Aug.* (V. T. quaest. 43, M. 35. 2239), *Ps. Iustin.* (Ad Orthod. Q. 99, M. 6. 1343), *Ambr.*, (Apol. David cap. 4, M. 14. 858 ; de Off. ministr. III. 12, M. 16. 167 sqq. ; 267 ; De virg. II, M. 17. 263), *Rhab.* (verbotenus ex Aug.), *Isid.* (*M.* 83. 139), *Isid. Pelus.* (Epist. I. 87, M. 78. 244), *Beda* (*M.* 93. 428), *Hugo* (*M.* 175. 92), *Procop.*, *Thom.* (l. c.) aliique ; quamque insignes catholici interpretes profitentur *Cai.*, *Ser.*, *Bonfr.*, *Calm.*, *Tir.*, *Sa*, *Menoch.*, *Natalis Alexander* (l. c.), *Welte*, *Clair*, *Vigouroux* (La Bible III. 341) etc.

Theodoret., *Procop.*, *Chrys.* (*M.* 49. 147), *Hier.* (*M.* 23. 261), *Rup.* censent, ideo Deum hoc sacrificium non uti Abrahae cohibuisse, ut discamus temerariis abstinere votis. De culpa Iephte in voto implendo idem fere erit iudicandum, atque de ipso voto emittendo. Si ibi aliquam culpam admisit, non erit hic ab omni culpa absolvendus. Non est nimium praedicanda eius « fidelitas in promissis » (*Isid.*), « pietatis observantia » (*Ps. Iustin.*), « animi magnitudo » (*Ew.* II 557); nisi novam placeat in Iephte admittere ignorantiam, quod sc. se teneri arbitraretur, ut votum opere expleret, quod minus recte fuisse conceptum perspiceret.

Pro clausula verba *Welte* p. 620 adscribere placet. « Facile animadvertes, non verbis textus permotos esse recentiores interpretes, ut antiquam de immolata filia Iephte sententiam desererent; sed eo imprimis, quod perpenderent sacrificia humana literae et spiritui religionis mosaicae opponi. Accedebat in Hengstenbergio zelus quandoque praeceps defendendae authentiae Pentateuchi, quem iudicum aevo ignotum fuisse ex sacrificio Iephte aliqui inferebant. Aliae, quibus immolationem eliminare conantur rationes, v. g. non explicite commemorari trucidatam filiam, plangi virginitatem tantum etc, evidenter nullius sunt momenti ». *Reuss* p. 124 : « Admiraberis, quomodo textum clarum torqueant interpretes, ut filiam Iephte perpetuae assignent virginitati. Quam torturam vocamus, ea ubique gentium iam est abolita, praeterquam apud exegetas ».

e) Iephte Ephraimitas devincit. — Iud. 12, 1-7

Arg. — Collecto exercitu Ephraimitae Iephten conveniunt, questi se

ad pugnam non fuisse vocatos. Vocatos asseverat Iephte, nullamque inimicitiarum esse causam demonstrat. Illis probra Galaaditis obiicientibus exardescit proelium insignemque nanciscitur Iephte victoriam. Occupatis dein Iordani vadis, Ephraimitae fugientes dialecto agniti conciduntur.

Cap. XII v. 1 « *Ecce autem in Ephraim orta est seditio* », *Hebr. conclamati* i. e. *congregati sunt viri Ephraim* : eadem vox, quae 7, 23 sq. de iisdem Ephraimitis adhibebatur. Eventus utrobique persimilis; utrobique querelae, quod non fuerint ad pugnam vocati, eaeque non omnino verae, nam 7, 24 reapse, licet fortasse serius fuerant advocati, itemque 12, 2 advocati referuntur ; 8, 1 fere, 12, 4 revera ad pugnam ventum est. Ephraim omnium tribuum erat numerosissima et, ob Iosuae memoriam et intra fines asservatam arcam, dignitate praestantissima ; sibi primatum quemdam arrogabat, ad pugnam vocata non alteri quam suo duci paruisset, laudis et praedae sibi potissimam partem tamquam nativo iure vindicasset. Alias tribus prope incolentes contemptui habebat, ut patet cum ex Gedeonis verbis 8, 2 ad compescendos Ephraimitas adhibitis eorumque vanitati adulantibus : « Nonne melior est racemus Ephraim vindemiis Abiezer » ; tum ex Ephraimitarum 12, 4 improperio in Galaaditas : « Fugitivus est Galaad de Ephraim ». Hinc facile colligitur, alias tribus tardiores fuisse in advocandis Ephraimitis, quoties spes esset hostium sine eorum auxilio superandorum. Iudices apud alias tribus suscitati nolebant primas illis partes cedere; immo neque Deus volebat, ut, qui numeris nativoque robori fiderent, suae essent selecta instrumenta providentiae. Hinc nullus praeclariorum, quorum gesta fuse narrantur, iudicum ex Ephraim selectus, dum abortivum Abimelechi regnum ad ipsos pertinuit. Ephraimitae nunquam contenti, semper arrogantes, turbulenti. Advertit *Cassel*, Ephraimitas solum Gedeonis Iephteque Manassaeorum tempore se non esse vocatos conquestos esse : unde non immerito infert, arctiorem quamdam fuisse « domus Ioseph » unionem, in qua Ephraimitae sibi primatum arrogaverint, neque quidquam alios se non consultis agere sint passi. Hinc aegre videntur tulisse, Galaaditas, qui tribus ipsi non essent, sed « fugitivi Ephraim », sibi iudicem constituisse atque feliciter sub eo dimicasse. « *Nam transeuntes contra aquilonem* », — cum aliqua lectione LXX verte *et transierunt in Saphon* (Ios. 13, 27), urbem Galaaditidis trans Iordanem inque eius fluminis planitie : ceterum in eundem sensum trahi possunt *Chald. Syr.*, qui eandem vocem et hic et Ios. 13, 27 habent (*Syr.* ibi una consonante, e suo loco alio delapsa), quae h. l. verti quidem potest *aquilo*, sed aeque bene uti Ios. 13, 27 nomine proprio. Confirmatur id ex nostro v. 5, unde patet Ephraimitas tum reapse trans Iordanem processisse — « *dixerunt*

ad Iephte. Quare vadens ad pugnam contra filios Ammon vocare nos noluisti, ut pergeremus tecum? Igitur incendemus domum tuam », addunt reliqui *super te igne; Germ.* « Wir werden dir das Haus über dem Kopf anzünden ».

v. 2 « *Quibus ille respondit : Disceptatio erat mihi et populo meo contra filios Ammon vehemens* ». *Hebr. Vir rixae ego et populus meus* Galaad *et filii Ammon.* Notat *Calm.*, dici *virum rixae* tam eum, qui moveat litem (Is. 41, 11), quam eum, qui se ab intentata lite defendat (Ier. 15, 10); hoc altero sensu iubet h. l. expressionem intelligi, ut Iephte affirmet, se non aggressorem fuisse, sed sui defensorem. Non efficax contra Ephraimitas expressio hoc sensu intellecta : poterant enim dicere, se fuisse vocandos, sive sui defensorem sive aggressorem egerit Iephte. Expressiones ex איש et alicuius qualitatis nomine compositae, eius qualitatis non solum actum, sed consuetudinem, repetitionem designant : איש דברים, vir eloquens, non solum qui verba aliqua loquatur, Ex. 4, 10; איש דעת, vir sagax, non solum qui aliquid sciat, Prov. 24, 5; איש חיל, non solum qui habet robur, sed qui illud exercere consuevit, vir bellator, Deut. 3, 18. Eodem sensu איש ריב interpretandum est, ergo : Constans mihi et populo meo cum filiis Ammon est concertatio; non penes me fuit pugnam differre, quoad vos opitularemini. Haec reapse ratio confert ad Ephraimitarum querelas compescendas. « *Vocavique vos, ut praeberetis mihi auxilium, et facere noluistis* ». « Plus habetur hebraice », inquit *Cai.* : *et clamavi ad vos*; magna instantia, ut veniretis, invitavi; falso affirmatis, vos non fuisse vocatos. Haec altera ratio eaque efficacissima, neglectum, de quo querebantur, negans. v. 3 « *Quod cernens* » — *Hebr. et vidi te non salvare*; ubi nullum mihi a vobis exspectandum esse intellexi auxilium, rem ipse composui — « *posui animam meam in manibus meis* », periculis me obieci, vitam veluti manu gestans, hostium ictibus patentem, cf. 1 Reg. 19, 5; 28, 21; « *transivique ad filios Ammon, et tradidit eos Dominus in manus meas. Quid commerui, ut adversum me consurgatis in proelium?* » Necessariam pugnam, vestro auxilio destitutus, solus suscepi : *quare igitur hoc die consurgitis adversum me proeliaturi mecum? (Hebr.)*. — Ephraimitae Iephte excusationi surdas aures dederunt; hinc Iephte v. 4 « *vocatis itaque ad se cunctis viris Galaad, pugnabat contra Ephraim, percusseruntque viri Galaad Ephraim, quia dixerat; Fugitivus est Galaad de Ephraim, et habitat in medio Ephraim et Manasse* ». Verte : *Fugitivi Ephraimi vos; Galaad in medio Ephraim et in medio Manasse.*

Accentus *Masor.* utique trahit אתם ad prius illius effati membrum, quod nostra versione expressimus. *Vulg.* vocem ignorat, aut fortasse legebat corruptam in אשר

vertitque *et habitat.* Mire iungit LXX : *quia dixerant fugitivi Ephraim: Vos, Galaad, estis in medio etc*; sed mirum est Ephraimitas dici *fugitivos*, etiam antequam fuerint in fugam acti. Perperam explicat *Cler.* : « Fugitivi vos Ephraimitarum estis, o Galaaditae, *cum vos esse oporteret* inter Ephraimitas et Manassitas. Simile quid supplendum necessario est, nam qui est in medio Ephraimo mediove Manassa, non potest ab iis fugitivus haberi ». At non video, quomodo oportuerit Galaaditas alibi esse, quam ubi reapse degebant. *Mar.* explicat : « Undique cincti estis nostris copiis, ne possitis evadere ». At gratis supponuntur fuisse cincti. — Igitur effatum hoc est bimembre, duobus improperiis Galaaditas impetens. Primum *Fugitivi Ephraim estis vos.* « Vos estis meri miserique Galaaditae, vos estis quisquiliae Israelis, vos estis faex Ephraim et Manasse cis Iordanem habitantis » (*Lap.*). « Galaad fugitivus, i. e. apostata et desertor, qui nos olim reliquit manens ultra Iordanem » (*Menoch.*). Videntur Ephraimitae Galaaditas pro transfugis habuisse, quod ipsis et Manassaeis reliquis cis Iordanem progressis illi trans flumen consederint. Neque opus est, ut convicium ad universos Manassaeos transiordanicos extendamus, sed ad solos Galaaditas. Galaaditidem variarum tribuum homines incolebant, Rubenitae, Galaaditae, praecipue vero Manassaei. Galaaditae non raro veluti a reliquis tribubus distinctum hominum genus efferuntur. Ab illis facile despiciebantur, quasi ex aliis tribubus illuc profugissent. Hinc, quod plerique eorum Iosepho fuerint orti, *fugitivi Ephraim* i. e. Ioseph h. l. appellantur. — Alterum membrum est *Galaad in medio Ephraim et in medio Manasse.* At, inquiunt, Ephraim et Manasse cis, Galaad trans Iordanem incolebat, non ergo hi *in medio* illorum fuisse dici possunt. Sed cur Manassaeorum nomen ad solos cisiordanicos restringemus? Erant trans flumen Manassaei bene multi, praeter Galaaditas, in terra Basan etc. Quodsi per Ephraim et utrumque Manassen lineam ducas, prope medium huius lineae offendes Galaaditas. Sed, quodnam in hoc est convicium? Poteris dicere cum *Menoch.* : « Quid superbitis vos Galaaditae, qui inter fraternas tribus duas, Ephraim sc. et Manasse, habitatis? Nonne ab utraque tribu concludi et deleri nullo negotio potestis? » Malim tamen ita explicare. Qui inter duos vel in medio duorum esse affirmatur, eo ipso ab utroque illorum distinguitur, cum neutro identificatur, ut vertere liceat : Galaad neque ad Ephraim pertinet neque ad Manassen. *Germ.* : « Ausreisser aus Ephraim seid ihr; Galaad ein Zwitterding zwischen Ephraim und Manasse ». Sensum huic omnino oppositum statuit *Ew.* II. 455 : « Galaad pertinet ad Ephaim, pertinet ad Manassen » ; nostri estis, nihil vobis sine nobis agere fas est, praedam, quam modo acquisivistis, nobis tradatis oportet. Sed num Galaaditae negaturi erant, se esse Manassaeos? num, si ad Manassen pertinere concederentur, appellari poterant *fugitivi Ephraim*? — Ephraim 8, 2 verbis Gedeonis, qui erat ex Manassaeis cisiordanicis, se demulceri permisit; ubi autem 12, 2 sq. despecti Galaaditae se excusaverunt, statim ad convicia et pugnam processit.

v. 5 « *Occupaveruntque Galaaditae vada Iordanis, per quae Ephraim reversurus erat. Cumque venisset ad ea de Ephraim (numero) fugiens* », — Lepide *Hebr.* eadem atque v. 4 expressione utitur *fugitivi Ephraim*, « quasi dicat : cum venissent ad ea non iam irrisorie dicti fugitivi Ephraim, sed reipsa fugitivi, ob idque vicissim merito ridendi » (*Bonfr.*) — « *atque dixisset : Obsecro, ut me transire permittatis ; dicebant ei Galaaditae : Numquid Ephrathaeus* », de tribu Ephraim, « *es? Quo dicente : Non sum* », v. 6 « *interrogabant eum : Dic ergo Scibboleth*,

(quod interpretatur spica). Qui respondebat Sibboleth, eadem litera spicam exprimere non valens ». Explicat *Theodoret.* : « Cum (Ephraimitae fugitivi) decipere tentarent et ex aliis tribubus se esse dicerent, praecepit (Iephte), ut interrogarentur verbum quoddam, ex cuius pronuntiatione arguerentur. Quemadmodum enim Osrhoeni, Syri, Euphratael, Palaestini, Phoenices lingua utuntur Syrorum, longe tamen diversa est dialectus : ita Hebraeae quidem erant duodecim tribus sed, ut verisimile est, habebant sua idiomata ob incuriam quamdam et ipsi. Teste enim Syro, aliis spicam vocantibus *sembla*, Ephraimitae ex quadam consuetudine dicebant *semblo*. Hoc probe sciens Iephte pronuntiare iussit, et convictos interemit ». Syrum utique minus accurate Theodoret. reddebat. Notat *Ser.*, similiter Servatoris tempore Galilaeos loquela fuisse manifestos ; alia exempla apud vix non omnes recurrunt nationes.

שבלת praeter *spicam* significat *flumen* Ps. 68 (69), 3. 16 ; Is. 27, 12, quem sensum praefert *Vatabl.* ratus, selectam esse vocem ideo, quod prae oculis adesset fluvius Iordanis. Cui reponit *Bonfr.*, potuisse etiam coram adesse segetes et spicas. Gratuito ceteroquin supponitur, ideo selectam vocem, quod res voce designata prae oculis adesset : selecta vox, quod prima menti occurrerit, quod prima ab aliquopiam fuerit pronuntiata, fortasse quod ob eius praecise vocis pronuntiationem Galaaditae iam pridem et Ephraimitae invicem occinerint. Si in simili eventu Guestphali cogerentur vocem *Schinken* pronuntiare, num inde inferre liceret, sues ad ripas fluminis praesentes adfuisse? Stemus ergo versioni *Vulg. LXX Syr.*; ubi utique verba *quod interpretatur spica* et postea *spicam* a *Vulg.* adiecta sunt. — Codex *Alex. : Dic ergo tesseram* (σύνθημα) : non *tesseram* vertebat is שבלת sed, hebraicarum vocum sonum lingua graeca exprimere non valens, reddidit sensum. Ea vox utique tessera dici poterat, qua hostes ab amicis dignoscerentur. — Ubi *Vulg.* rem explicans *eadem litera spicam exprimere non valens*, ibi *Hebr. et non direxit* sc. cor, attentionem, voce לב uti alias, v. g. 1 Reg. 23, 22, omissa : Ephraimita, dolum haud suspicatus, vocem, qua consueverat ratione, pronuntiavit.

« *Statimque apprehensum iugulabant in ipso Iordanis transitu. Et ceciderunt in illo tempore* », i. e. tota ea expeditione, « *de Ephraim quadraginta duo millia* ». v. 7 « *Iudicavit itaque Iephte Galaadites Israel sex annis, et mortuus est, ac sepultus in civitate sua Galaad* ».

Ita *Vulg.* LXX legentes בעירו (nisi cum *Kaulen* p. 184 בְּעָרֵי declares vetustam formam status constructi pro בערו : sed num eius urbs non erat Maspha 11, 34, et quaenam haec urbs Galaad ceteroqui ignota? *Ios.* « in urbe sua Sebee Galaaditidis » : sed cum פ et ב facile commutentur, puto Sebee hoc nihil aliud esse quam Maspha, omisso מ, fuisseque ex 11, 34 coniectura suppletum. *Hebr. Chald. in civitatibus Galaad*, בערי, quod interpretantur « in aliqua civitate Galaad » scriptori ignota (cf. 2 Esdr. 6, 2) : sed num Samueli ignota erat urbs, in qua sepultus esset Iephte? num is non debuit, uti alii iudices, in urbe sua sepeliri? *Syr. in urbe Galaad*, בעיר, sapit correctionem : quae enim ratio urbis

scriptori indubie notae reticendae? Omnibus perpensis praeplacet *Bonfr.* versio *in urbe sua Galaaditidis*. Ut suffixum nomini affigatur, quod secus in statu constr. scriberetur, rara quidem est constructio (cf. Ez. 16, 27; 18, 7; Hab. 3, 8) et recentiorum auctorum : potuit tamen antiquitus in ea iam regionis parte, ubi primum acta Iephte scribebantur, usuvenisse. Aliter etiam eadem versio fulciri potest, ut *in urbe sua* idem esse statuatur, quod *in Maspha*, quae sine dubio eadem sunt. Ut igitur aliis iudicibus Samuel locum sepulturae eam adscribit urbem, quae revera erat *urbs eorum*, ita h. l. scripsit Iephten sepultum *in urbe sua*, quam ex prioribus novimus fuisse Maspham; sed recordatus aliam esse Maspham Beniamin sui temporis hominibus longe celeberrimam, ne fieret confusio, adiecit *Galaad*. Quam si repudiaveris interpretationem, dicas ב ante *Galaad* excidisse. Cur autem, quod dudum novimus, repetitur, Iephtae urbem in Galaaditide fuisse? Ut intelligatur, eum ad supremum usque diem in Galaaditide, ab Ephraimitis pridem tanto despectui habita, iudicem floruisse.

Abesan, Ahialon et Abdon. — Iud. 12, 8-15

v. 8. 11. 13 ordiuntur vocibus וישפט אחריו, ad imitationem v. 7 וישפט יפתח conformatis. Unde porro infero, suffixum in אחריו non necessario ad iudicem immediate praecedentem referri, ut Abesan successerit Iephte, Ahialon Abesano, Abdon Ahialoni : sed posse omnia illa tria suffixa ad unum referri Iephten, ut illi tres solum affirmentur post Iephten praefuisse, praefuerintque fortasse in diversis tribubus eodem aut fere eodem tempore.

Ergo falso infert *Keil* ex iisdem verbis, illos tres unum post alterum, sed in eadem ubi Iephte regione, praefuisse, et quidem aut solis transiordanicis, aut fortasse etiam cisiordanicis, quae aquilonem obtinerent, tribubus. Certissime non solis transiordanicis, nam iudex quisque, quantum novimus, *saltem suae* praerat tribui.

v. 8 « *Post hunc iudicavit Israel Abesan de Bethlehem* », quam Bethlehem Iudae interpretatus est *Ios.* et credidere catholici vix non omnes. Tamen *Maldonat.* ad Matth. 2, 1 praetulit alteram Bethlehem tribus Zabulon Ios. 19, 15. At cur non additur, quod v. 11, « Zabulonites »? Dicunt Bethlehem iudaicam secus consuevisse designari addito « Iuda » (17, 7. 9; Ruth 1, 2; 1 Reg. 17, 12) aut « Ephratha » (Mich. 5, 2). Quod est verissimum. Tamen si semel h. l. Bethlehem sine addito legatur, num ideo necessario intelligenda erit Bethlehem Zabulon nonnisi semel in V. T. nominata? num non potius ea Bethlehem, quae notior et celebrior? Sed est alia ratio, quae Maldonati suffragatur interpretationi. Uti qui ad calcem secundae aetatis subiiciebantur iudices Thola et Iair reapse aliquam cum fatis domus Gedeonis habebant necessitatem, saltem quod in iis, quae Gedeoni antea obsecutae erant, praefuerint regionibus : ita coniicere fas est, ob similem h. l. rationem Abesanum, Ahialonem,

Abdonem inseri, sc. quod in locum quodammodo Iephte successerint. Atque revera Abdon Ephraimitis praefuit, qui post cladem modo narratam Iephte principatui (cf. 11, 6) paruisse credendi sunt. Zabulonitas Galaaditis conterminos, alias etiam 5, 14 ; 6, 35 communi cum Ephraimitis sorte usos, Iephte paruisse veri non est absimile. E quibus certe fuit Ahialon : cur iisdem non concedatur etiam Abesan? Tribus vero Iuda inde ab Othonielis facinore in Actis Iudicum ignorabatur, nonnisi 15, 10 obiter nominanda.

v. 9 « *Qui habuit triginta filios et totidem filias, quas emittens foras maritis dedit, et eiusdem numeri filiis suis accepit uxores, introducens in domum suam* ». Clarior *Hebr. : et fuerunt ei triginta filii ; et triginta filias misit foras, et triginta filias introduxit filiis suis de foris* ». Est oppositio inter *foras* et *de foris*, quae non sufficienter explicatur, si cum *Ios.* de mero matrimonio intelligatur : « et has quidem viris collocaverat, illis vero puellas adsciverat ». Matrimonia *foris* contracta, contrahuntur saltem extra cognationem, secus nullo modo essent foris, fortasse etiam extra tribum. Hinc Abesani consilium patefit. Nihil attentaverat Gedeon, ut principatus in familia permaneret ; familia caruit Iephte ; Abesan pro numerosa prole opulenta providit matrimonia, quo suam certe tribum, fortasse alias etiam tribus, eidem permanenter devinciret ; quaerebat principatum, aut certe opulentiam permanentem — irrito conatu ! nam filii isti et filiae omnes sine laude abierunt. « *Qui septem annis iudicavit Israel* », v. 10 « *mortuusque est ac sepultus in Bethlehem* ».

v. 11 « *Cui successit Ahialon* » — idem nomen habuerat Hethaeus quidam Gen. 26, 34 et 36, 2, et Zabulonites alter 46, 14 — « *Zabulonites, et iudicavit Israel decem annis* », v. 12 « *mortuusque est ac sepultus in Zabulon* », reliqui *in Ahialon* seu *Aialon terrae Zabulon*. In Zabulonitide eius nominis urbem non novimus.

v. 13 « *Post hunc iudicavit Israel Abdon, filius Illel* », nomen post Christum apud Iudaeos celebre, « *Pharathonites* », ex urbe secundum v. 15 Ephraimitica (cf. 1 Mach. 9, 50 sec. LXX ; 2 Reg. 23, 30 ; 1 Par. 11, 31), hodie Ferata, haud procul Sichimis Ioppen versus. v. 14 « *Qui habuit quadraginta filios et triginta ex eis nepotes, ascendentes super septuaginta pullos asinarum* » ; cf. quae ad 10, 4 diximus. Familia numerosa et opulenta, tamen primatum non retinuit. « *Et iudicavit Israel octo annis* », v. 15 « *mortuusque est ac sepultus in Pharathon terrae Ephraim, in monte Amalec* ». Unde huic nomen, ignoramus.

Samson. — Iud. 13, 1–16, 31

41. Narrationis veritas. — Historia Samsonis non est *mythus solaris.*

Facinora miranda, nullo tamen nomine impossibilia, quae de Samsone narrantur, ansam dedere rationalistis, ut illa conficta esse assererent eorumque explicationem, quam dicunt mythicam, tentarent. Ita *Roskoff*, Die Simsonssage u. der Heraklesmythus, Leipzig 1860 ; *Steinthal*, Zeitschrift für Voelkerpsychologie II. 1862 p. 129 sqq. Secundum ipsos Samson idem est qui *Hercules,* neque alius a sole, a quo etiam eius nomen derivatum. Eius crines solis radios exprimunt, uti etiam Apollo quandoque effingitur solis radiis pro crinibus comatus. Leo, quem discerpsit in via, est ipse leo alias Nemaeus appellatus, flavi coloris bestia atque ardoris aestivi symbolum. Melle in ore leonis reperto docemur, tum abundantissima produci mella, quando sol versatur in signo leonis. Rufas vulpes rursum solis significare calorem, quis non videt? Iam vulpes cum taedis segetibus immissae quid aliud demonstrant, nisi uredine solem segetes corrodere ? Nonnihil obscurior asini maxillae ratio, clarescit tamen, ubi primum advertas, asinum apud Hebraeos a rufo colore nactum esse nomen, iamque facile concedes, asini maxilla fulgur exprimi. Samson portas Gazae humeris gestans est Hercules ab inferis redux. Dalila est Omphale. Columnae templi Gazaei sunt columnae Herculis, quas in extremo occidente describunt poetae. Occidit tandem Hercules Samson in templo Dagon pisciformis i. e. in signo aquarii. Eandem sententiam tuitus est *H. Husson*, Revue Archéologique 1869 II p. 333 ss. Hoc systema pluribus exponit *Vigouroux*, La Bible III. 381 sqq., summoque studio refutat *Floeckner,* Theol. Quartalschrift, Tübingen 1886, p. 449 sqq. 621 sqq. Nobis illud commemorasse sufficiat.

Neque Samsonis *duodecim facinora* in s. textu recensentur.

Haec, uti vides, sententia Herculis utique aliqua similitudine delectatur, tamen Samsonem vixisse concedit, licet eius actorum plurima sint efficta. *Bertheau* igitur duodecim distinguit facinora tribus distincta seriebus. Prima series septem complectitur facinora : 1) occiditur leo, 2) trucidantur Philisthaei triginta, 3) incenduntur segetes, 4) 15, 8 plagam infligit Philisthaeis, 5) rumpit funes, quibus a Iudaeis vinctus fuerat, 6) maxilla asini Philisthaeos prosternit, 7) oratione fontem impetrat. Inter primam tertiamque seriem solum intercedit facinus 8), Samson Gazam descendens. Tertiae seriei facinora libidine in Dalilam concepta veluti vinculo colligantur : 9) rumpit nerviceos funes, 10) rumpit novos funes, 11) extrahit clavum cum licio et crinibus, 12) captus tandem Philisthaeos una secum perdit.

E contra *Ew.* II. 569 sqq. « quinque veluti unius dramatis actus » sibi discernere visus est, quorum priores quatuor singulis facinorum ternariis conficiuntur, quintus unico absolvitur facinore. *Ternarius* 1) : incipit 13, 25 spiritus Domini impellere Samsonem ; occidit leonem ; problema proponit Philisthaeosque triginta interimit. *Ternarius* 2) : vulpes segetibus immittit ; plaga 15, 8 Philisthaeos percutit ; asini maxilla eosdem fundit. *Ternarius* 3) : Gazae portas asportat ; fingi nequit, Philisthaeos portas in potestate reliquisse Iudaeorum, ergo hic aliqua, et quidem duo facinora (secus hic ternarius completus non esset) exciderunt. *Ternarius* 4) : ter Dalilam

decipit. *Conclusio* : captus tandem una secum Philisthaeos perdit. « Non reperies drama ullum neque epos melius digestum. Si horum aliquod e suo contextu avulsum seorsim examinare attentes, totius operis te rationem ignorare demonstrabis ». Monetque tandem Ew., non absimili ratione etiam Canticum Canticorum quinque constare actibus cantibusque tredecim.

Etiam horum refutatione abstinemus : non explicant textum illi auctores, sed suis illum farciunt figmentis.

Gestorum Samsonis ea retinenda *divisio,* quae in ipso s. textu clare indicatur.

Igitur primum cum omnibus separamus cap. 13 *Samsonis nativitatem,* tamquam sequentis narrationis prooemium quoddam. Ipsa acta in fine cap. 15 in duas partes distincta reperis, adscriptis ab ipso Samuele verbis « Iudicavitque Israel in diebus Philisthiim viginti annis », quae eadem verba extremo cap. 16 compendio repetita « Iudicavitque Israel viginti annis » narrationem claudunt (והוא שפט — וישפט). Iam vox « iudicavit » sensum induit « iudicis munus accepit » : cf. 1 Reg. 7, 6 ubi, narrato modo quo populus ad agnoscendum Samuelem ducem adductus sit, adscribitur sententia « Iudicavitque Samuel filios Israel in Masphath », dein v. 15 concluditur gesti eius officii conspectus simili sententia « Iudicabat quoque Samuel Israelem cunctis diebus vitae suae ». Idem sensus, nonnihil etiam clarius, exprimitur 1 Reg. 14, 47 ubi, narrato ante modo quo Saul ad regnum evectus et in eo firmiter stabilitus est, concluditur verbis « accepit igitur Saul regnum », atque hinc ib. cap. 15 statim gressus fit ad narrandam eius ruinam, iis omnibus, quae intercessere, 14, 47 sq. compendio solum descriptis. Similiter igitur Iud. 14 et 15 modum enarrat, quo *Samson iudex effectus* est, cap. 16 modum, quo *Samson interiit.* Hinc etiam, quod aliqui causantur, Samsonem non fuisse iudicem, quales reliqui iudices fuerint, semper solum agere, nunquam exercitum secum habere, id sine sufficiente asseritur ratione. Nihil nobis scriptura de eo tempore, quo iudicis munere functus est, narrat, sed solum apud Ramath Lechi iudicem esse factum ostendit, ac dein qua ratione mulierum amore deceptus, gloriose tamen occubuerit, demonstrat. Putasne, imperatorem universo comitante exercitu meretricum domos aditurum fuisse ? Facile equidem concesserim, eum saltem exiguum Danitarum tractum a Philisthaeis purgasse.

Gesta Samsonis *fide omnino digna* sunt.

Ew. II. 567 sq. Samsonis gesta plus fabularum, quam ceterorum iudicum acta, admixtum habere affirmat, eique uni viro, quae diversi ediderint facinora, adscribi. Similiter *Reuss* p. 125 dubitari posse concedit, fuerintne, quaecunque Iud. 13-16 referuntur, ab unico homine gesta. Hi igitur Samsonem concipiunt ad instar Caroli Magni seu Arthuri Britannorum regis, quibus plura affixit popularium traditio, quae ipsi nequaquam egerunt. Contra quos ostendemus primo, nihil Samsonis actis inesse, cui merito fides sit deneganda ; secundo haec acta, ut sunt pars libri Iud., fide omnino esse digna.

I. *Acta Samsonis in se incredibilia non sunt.* Cf. *Iahn* p. 199 sqq., *Vigouroux* III. 349 sqq. Unum utique in vita Samsonis plane mirabile est, sed, quod diserte Deo auctori tribuatur, simul omnino credibile, eximium illud corporis robur ita cum voti nazaraeorum observantia fuisse connexum ut eo substantialiter laeso evanuerit.

Cetera, quae narrantur, miranda quidem sunt atque ut talia traduntur, nullatenus tamen incredibilia. *Leones* antiquitus et usque ad saeculum p. C. duodecimum in Palaestina abundabant, iique Africae leonibus minores. Sane leonum numerus, quos reges Assyriorum singulis venationibus interimebant, indicat, eas feras minus robore valuisse ac mole. De leonibus suffocatis gloriatur David 1 Reg. 17, 34; pastoribus Hebraeis saepe cum illis erat decertandum. De *melle* in ore leonis invento dicemus suo loco. *Triginta Philisthaei* non omnes simul eodem loco et tempore trucidati scribuntur. *Canes aurei* in Palaestina abundant, et sat facile capiuntur; neque trecentos uno die solus ipse Samson cepisse traditur. Messium vero simili consilio incensarum alia habentur apud historiarum scriptores exempla. *Funes nerviceos novosve* disrumpere, homuncioni vix atque ne vix quidem praestandum, in homine eximii roboris fidem minime superat. *Maxilla asini* recens ad aliquot certe homines interficiendos utilis est; non est autem textus necessario eo detorquendus, ut mille homines Samson maxilla exanimaverit; in fugam egisse sat est. *Portae urbis Gazae* quantae fuerint quantive ponderis nescimus; item quanto itinere distiterit collis ille Hebronem spectans: nihil in ea narratione deprehendimus, quod insignis roboris vir praestare non valuerit. Duabus *columnis* non totum illud tectum, cui tria hominum millia insistebant, sustentabatur, id enim physice impossibile est; sed sola sanctuarii porticus. Eius templi structuram accurate describere non valemus, certe ea fingi potest, cuius aliquam partem insignis roboris vir concussis duabus columnis potuerit prosternere.

II. *Acta Samsonis, qua sunt libri Iud. pars, omnino sunt fide digna.* Libri auctor Samuel ex 1 Reg. 1-7 nobis innotuit tamquam vir eximiae in rebus historicis enarrandis fidei. Idem Iud. 1 se exhibet assiduum simul et prudentem rerum ante actarum collectorem, qui, quae apud suos contribules et vicinos acta sint, penitius noverit, in reliquis indicandis sit perquam ieiunus atque a fabulis recantandis quam maxime remotus. Cap. 2 eum sibi finem scribendi se proposuisse profitetur, quem nisi accurate tradita rerum veritate assequi nulla ratione poterat: qui enim fictarum fabularum ad divinae providentiae illustrandas vias usus? Profitetur etiam, se acta narraturum, non fabulas. Antiquorum illorum acta, qui Iosuae supervixerunt, 2, 7 unica generali sententia absolvit. Othonielis, herois omnium antiquissimi, gesta omnino sobrie perstringit, iis contentus, quae ex certa traditione facillime poterant derivari. Aodi unicum factum fusius narrat, Samgari indicat solummodo. Iam vero Samgar eodem circiter, quo postea Samson, tractu videtur floruisse. Quodsi de hoc, ut adversariis placet, fabulae circumferebantur, cur non etiam de illo? Sed ab eiusmodi, si quae fuerint, recensendis religiose abstinet auctor. Pro sequentibus narrationibus usus est documentis scriptis iisque ita prudenter selectis, ut adversarii rationalistae nullum factorum in illis narratorum in dubium revocaverint. Eventuum tempora locaque accurate adnotat; proverbia, monumenta digito demonstrat, e quibus aliqua confirmatio peti queat. Nulli indulget chronologico systemati compingendo, sed numeros, quales in fontibus reperiebat, transcripsit, approximativos alios, alios praecisos. Estne credibile, auctorem, qui in antiquiorum temporum eventibus narrandis tam sobrium, prudentem, fidum se exhibuisset, in coaevi herois paucisque interiectis lucis incolentis gestis enarrandis gravissime se decipi esse passum atque pueriles fabulas genuinam historiam reputasse? Sane praeiudicium nobis omnino favet veracitatem narrationis tuentibus, dum onus probandarum fabularum in adversarios devolvitur, a quo ipsi se commodius excusant. Tantum abest, ut Samuel ignarus, quid ageret, fabulas pro factis receperit, ut potius ex narrata Samsonis nativitate pateat, optime Samuelem perspexisse se mirabilia quidem, at quae plenam mererentur fidem, referre. Adde, Samsonis lepide dicta, quod adversarii quique fatentur,

charactere authentiae insigniri adnumerarique libri partibus maxime genuinis. — Memineris demum agi de opere auctoris inspirati.

42. Narrationis unitas. — Historia Samsonis una est, *non ex duobus documentis consuta.*

Id asserimus contra *Ew.*, qui I. 222 (cf. II. 567) concedit quidem, cap. 14-16 esse « documentum distinctum suique generis », sed II. 575 pronuntiat, cap. 13 ab ipso libri Iud. redactore recentius esse adiectum, quo tredecim illa Samsonis facinora nazaraeatus consecratione illustrarentur. Hoc vero caput scribens redactor in mente habuisse fingitur antiquiores quasdam angelorum apparitiones Gen. 16 ; 25, 21 ; Iud. 6, 17 sqq., itemque v. 17 amplificat imaginem Gen. 32, 30 (I. 238).

Facile concedimus, 13, 1 (cf. 10, 6 ; 6, 1) esse Samuelis auctoris, uti etiam clausulas 15, 20 et 16, 31, de quibus diximus supra. Non negamus aliquam cap. 13 cum laudatis locis tam rerum quam stili similitudinem. Stili affinitas inde sufficienter explicatur, quod narratori supponantur scripta antiquiora fuisse familiaria ; rerum similitudo inde habetur, cum quia Dei providentia diversis temporibus in eiusmodi apparitionibus consuevit simili ratione procedere, tum quia diversorum temporum Hebraei in eiusmodi similibus inter se apparitionibus eadem fere et senserint et egerint. Nihilominus cap. 13 defendimus eiusdem esse auctoris atque cap. 14-16, sive is asseratur fuisse Samuel, sive alius aliquis. In Samsonis siquidem ad nazaraeatum vocatione tota eius reliqua vita fundatur ; ea explicantur tot stupenda facinora, secretus roboris cum coma nexus, viri ruina gloriosusque interitus, ad eam diserte provocatur 16, 17. 22.

Gratuito supponitur historia Samsonis *ex alio aliquo documento esse excisa.*

Exinde, quod 2 Reg. 21, 15-22 et 23, 8-39 variorum heroum nomina et facinora recenseantur, quorum aliqui Samsonis robur aemulati esse videntur, immerito effinxit *Bertheau* librum quemdam *bellorum Philisthaeorum*, unde etiam 1 Reg. 13 sq. petita sint. 1 Reg. 13 sq. unde fluxerint, suo loco explicavimus. Expressio Iud. 13, 5 « incipiet liberare » utique aliquam continuationem pugnae contra Philisthaeos a Samsone incoeptae indicat ; sed ea habetur in Historia Samuelis et absolvitur eius victoria ad Lapidem Adjutorii parta, quam 1 Reg. 7, 14 concludit formula « liberavitque Israel de manu Philisthinorum », quae formula in libro Iud. uniformiter edicit, opus alicuius iudicis esse ad felicem exitum perductum. Forfice fontes discernit clarissimus Bertheau.

Reuss p. 126 coniicit, nostram narrationem derivari ex aliquo *scripto poetico* versibus concinnato, quod ad prosaicam narrationem revocaverit nescio quis. Argumento sunt effata quaedam metro expressa : problema cum solutione et sequente Samsonis responso 14, 14. 18 ; dictum de maxilla 15, 16 ; epinicium Philisthaeorum (?) 16, 24. Audacis asserti desideraveris argumentum nonnihil solidius. Problemata eorumque solutiones etiamnum in oriente metro haud raro exprimuntur ; Samsonis responsum proverbium erat, proverbia autem rhythmum frequenter induunt. Descripta haec fuere, uti a Samsone fuerant dicta, lepidi ingenii salsique acuminis viro.

43. NARRATIONIS AUCTOR. — Historiae Samsonis exstitisse *Samuelem auctorem,* etsi certis argumentis non demonstretur, probabile tamen affirmatur.

1) Samuel coaevus erat Samsonis, cuius fortiter gesta iis fere vigintis annis attribuuntur, quibus arca 1 Reg. 7, 2 in Cariathiarim substitit ; cf. quae diximus n. 4. Paucis leucis Saraa, patria Samsonis, distabant Maspha, Bethel, Silo, quibus in locis frequenter versabatur Samuel. Facili igitur ope poterat Samuel, quaecunque Samsonis historia narrantur, ediscere. Dein Samuelem ex 1 Reg. 1-7 et fortasse etiam ex 8-16, itemque ex Iud. libro generatim inspecto novimus divino spiritu afflatum in concinnandis historiis excelluisse, dum alium, qui idem praestiturus fuisset, sciamus neminem. Quis profecto ei se operi accinxerit ? an propheta aliquis ? At « sermo Domini erat rarus in diebus illis » 1 Reg. 3, 1. An sacerdos aut levita ? At, qui iam Heli pontifice misere degenerassent, eorumne aliquis remota iam arca, orbata Silunte cultuque incerto censendus est ad opus scriptorium composuisse animum ? Ergo liceat nobis saltem, Samuelem auctorem probabiliter defendere, quoad alius aliquis auctor probabilius demonstretur.

2) Nihil est in tota narratione, quod Samuelem auctorem excludat. Angeli apparitio eo stilo describitur, qui priores quasdam angelorum apparitiones in memoriam revocet : at harum quis magis gnarus Samuele ? Samsonis effata nativam quamdam spirant fragrantiam ; accurate sc. haec Samuel, quae certa traditione compererat, descripsit, verbis non suis sed Samsonis.

3) Immo alia Samuelem suadent adstruere auctorem. Cf. quod 13, 24 habetur, « crevisse » puerum illique « benedixisse » Dominum, cum eo quod 1 Reg. 2, 21. 26 et 3, 19 refertur, Samuelem puerum « crevisse » et « fuisse Dominum cum eo » ; quod 13, 25 dicitur, « coepisse » spiritum Domini in Samsone manifestari, cum 1 Reg. 3, 7 sqq., ubi fuse narratur, quomodo idem spiritus « coeperit » Samueli revelari ; clausulam 15, 20, qua refertur Samson iudicis officium suscepisse, cum 1 Reg. 7, 6, ubi eadem formula eodem sensu de Samuele usurpatur ; et si, quod probabiliter asseri potest, etiam Historiam Saulis (1 Reg. 8-16) Samueli tribuas auctori, cf. nostrae narrationis ordinem, qui a Samsone ad iudicis officium evecto illico ad eius ruinam gressum facit, cum Saulis actis, cuius post regnum firmiter stabilitum illico reprobatio enarratur. Narratio 13, 2 iisdem fere verbis orditur atque 1 Reg. 1, 1 : ויהי איש אחד, ubi imprimis notandum illud אחד ; sequitur locus originis, vir nomen, tandem ad uxorem descendit oratio.

44. NARRATIONIS CUM PENTATEUCHO NEXUS. — Pentateuchi non acta solum sed ipsum textum auctor actorum Samsonis noverat.

Angelus cap. 13 nazaraeatum exhibet ut institutum iam exsistens omnibusque notum. Neque dicat quis, instituti iam antiquitus apud Hebraeos exsistentis tandem in Pentateucho serius edito leges esse scriptis mandatas. Expressiones quippe h. l. et Num. 6. ita sunt eaedem, ut hunc locum ad instar Num. 6 effictum esse demonstrent. Nota imprimis duo. Voces גפן היין praeter nostrum v. 13 copulatae in scriptura non leguntur nisi praecise Num. 6, 4 : habebat sc. noster auctor Num. 6, 4 in mente, dum nostrum v. 13 describeret. Porro v. 4. 7. 14 *bibendi* verbum *edendi* verbo anteponitur, unde infert *Boehme* p. 263, illud de non comedendis

immundis textibus ab aliquo esse additum ad indicandum, iniuncta vini abstinentia nequaquam exemptam fuisse Samsonis matrem a prohibitione ciborum immundorum. Ridicula evasio. Eodem ordine verba scribuntur Num. 6, 3, ubi lex nazaraeorum statuitur, eumque textum noster auctor in mente habebat. — Novit idem 13, 4. 7. 14 leges ciborum immundorum, 14, 3 et 15, 18 circumcisionis, 14, 3 connubiorum cum ethnicis prohibitorum. Verbum עשה nullo addito nomine, uti 13, 19 ita iam Ex. 29, 36 sqq.; Lev. 9, 7; 15, 15; 16, 9 etc, sacrificandi significationem induit. Aliqua, apparitio imprimis angeli Manuae facta, Geneseos quosdam locos ita imitantur, ut, si simul sumpta perpendantur, auctorem non facta solum ibi narrata, sed ipsum textum familiarem habuisse evincant. Angeli verba 13, 3 fere eadem sunt atque illa Gen. 16, 11 ad Agar dicta; 13, 17 interrogatur angelus de nomine, uti Gen. 32, 27 sqq.; de opinione 13, 22, moriendum illico esse ei, qui angelum conspexisset, diximus ad Iud. 6, 22 sq.; fons 15, 19 nomine insignitur, similiter atque alter ille fons Gen. 16, 14.

At, inquies, nihil de arca, quae tamen Samsonis tempore in Cariathiarim atque vix non intra fines Daniticos resedisse alibi narratur. Nihil profecto, cum tamen ex 1 Reg. 1-7 luce clarius pateat, fuisse tum et arcam et tabernaculum, et sanctuarii lampadem et pontificem totumque Pentateuchum. Unde illud colligas, bene potuisse, quo tempore ea omnia praesentia exsisterent, scriptorem iisdem tacitis gesta quaedam narrare, quibus illa non immediate admiscerentur. Inefficax igitur est adversariorum argumentum a silentio.

COMMENTARIUS

a) Samsonis nativitas. — Iud. 13, 1-25

Arg. — Israelitis a Philisthaeis oppressis, necdum tamen ad Deum conversis, apparet angelus uxori Manue Danitae conceptum pueri nuntians, qui futurus sit nazaraeus atque liberandi Israelis initium facturus. De re per uxorem certior factus Manue, ut iterum veniat Dei nuntius, oratione impetrat. Marito ab uxore accersito rursum inculcat angelus conditionem observandi nazaraeatus. Hominem cibum offerentem iubet facere holocaustum atque, in flamma altaris coelum versus delatus, angelus tandem agnoscitur. Manuae terrorem compescit mulier fiduciamque revocat. Nascitur puer Samson.

Cap. XIII v. 1 « *Rursumque filii Israel fecerunt malum in conspectu Domini, qui tradidit eos in manus Philisthinorum quadraginta annis* ». Hac introductionis formula (cf. 3, 12; 4, 1; 10, 6) procedit auctor eam narrare Philisthinorum oppressionem, quam 10, 7 iam annuntiaverat (*Calm.*). v. 2 « *Erat autem quidam vir de Saraa* », civitate planitiei Iuda Ios. 15, 33, sed 19, 41 Danitis concessa, « *et de stirpe Dan, nomine Manue, habens uxorem sterilem* ». Notat *Keil* eandem, quae h. l. et 18, 2. 11 vocetur *stirps* seu *cognatio Dan*, vocari 18, 1. 30 *tribum Dan*, quod ex Num. 26, 42 sq. omnes Danitae unicam

constituerent cognationem Suhamitarum. v. 3 « *Cui apparuit angelus Domini* » : utique specie humana et virili (*Ser.*), cum v. 6 « vir Dei » appelletur, « *et dixit ad eam : Sterilis es et absque liberis, sed concipies et paries filium* ». Nonnunquam ex matre antea sterili nascebantur viri eximii Gen. 16, 11 ; 1 Reg. 1, 20 ; Luc. 1, 31 ; et cf. 1 Reg. 2, 5 « donec sterilis peperit plurimos ». — « Voluit Dominus, ut magnae miraeque prolis magna miraque esset conceptio, in utero gestatio et nativitas. Ideo mittitur angelus nazaraeatusque imperatur caerimonia » (*Menoch.*). Ideo v. 4 « *cave ergo, ne bibas vinum ac siceram, nec immundum quidquam comedas* ». « Ad matrem potius quam ad patrem missus est angelus, quia hanc propria magis angebat sterilitas, et quia in preces et vota pro sibi prole populoque toti salute impetranda incumbebat magis » (*Ser.*). Non tamen cum *Bonfr.* dixerim, quoties quis nazaraeatui perpetuo consecrandus esset, *necesse* fuisse, ut eadem abstinentia matri ante partum indiceretur : nazaraeatus, ut obligationes aliae, nonnisi a partu initium sumunt, sed in Samsone erat specialis dispensatio, qua ostenderetur, quantopere Deus abstinentiam et puritatem in electis suis instrumentis requirat. Facile autem eidem *Bonfr.* concesserim, ex spiritu, si non ex litera, angelici mandati fuisse Samsonis matrem obligatam ad abstinendum vino et immundis, quo tempore puerum ablactaret : quodsi enim sanguis maternus poterat non natum inficere immunditie, quanto magis natum lac ! Pulchre *Basil.* (De Ieiunio Hom. 1, *M.* 31. 172) : « Quid fortissimum Samsonem inexpugnabilem reddidit ? Nonne ieiunium, per quod in matris utero conceptus est ? Ieiunium concepit, ieiunium nutrivit, ieiunium fortem effecit.

שכר Num. 28, 7 pro vino ponitur ; proprie et secundum etymologiam est *id, quod inebriare potest,* quo sensu h. l. et Lev. 10, 9 ; Num. 6, 3 adhibetur ; in libris poeticis cum vino copulatur parallelismi causa Prov. 20, 1 ; 31, 6 ; Is. 5, 11 ; 24, 9 ; 28, 7 ; 29, 9 ; 56, 12 ; Mich. 2, 11. Explicat *Hier.* (Epist. 52, M. 22. 536), ut sit « omnis potio, quae inebriare potest, sive illa quae frumento conficitur sive pomorum succo, aut cum palmarum fructus exprimuntur in liquorem coctisque frugibus aqua pinguior coloratur ». — *Immundum* recte intelligit *Malv.* non illud solum, quo Lev. 11 Israelitae omnes, sed insuper quo Num. 6, 3 sq. nazaraei speciatim interdicebantur, sc. uvas, nam eadem est ratio cibi et potus : si Samson polluendus fuisset potu inebriante a matre gravida hausto, ergo pari ratione cibo etiam nazaraeis prohibito polluendus erat. Interdicebatur autem Samson infans cibis immundis ex se, non vero ex adiectitiis momentis : non interdicebatur matris lacte primo post partum mense, licet illud ex Lev. 12 et 15 eo tempore immundum esset. Ceterum adverte Samsonis nazaraeatum a communi nazaraeatu quadamtenus fuisse diversum : hic per se erat temporaneus, ille perpetuus ; huic a contactu mortuorum Num. 6, 6 sq. erat cavendum, ille Philisthaeorum caedem et necem tamquam finem primarium spectabat.

v. 5 « *Quia concipies et paries filium, cuius non tanget caput novacula; erit enim nazaraeus Dei (ab infantia sua et) ex matris utero, et ipse incipiet liberare* » — « primus omnium liberabit. Hic videtur ostendere, hanc liberationem non absolutum iri ab eo » (*Vatabl.*) — « *Israel de manu Philisthinorum* ». Nazaraeus iubetur futurus tota vita « usque ad diem mortis suae », tum quod ita intellexit et expressit mater v. 7, tum quod mandatum negativum « non tanget novacula » nullum durationis limitem habeat adscriptum, ideoque etiam mandatum positivum « erit nazaraeus » illimitatum concipi oporteat. Illud *erit* hic idem valet ac *sit*, ob idque verba haec non praedictionem sed praeceptum sonant (*Bonfr.*). v. 6 « *Quae cum venisset ad maritum suum, dixit ei : Vir Dei venit ad me, habens vultum angelicum, terribilis nimis* ».

Chald. recte *propheta Dei.* — איש האלהים articulum habet, ergo determinatus propheta, ille sc. de quo modo locutus sum, inquit *Keil* : notandum tamen, LXX *Chald. Syr.* vertere indeterminate. — *Hebr. et aspectus eius sicut aspectus angeli Dei, terribilis valde.* נורא significat *terribilis*, cf. Deut. 1, 19 ; 8, 15 ; Ioel 2, 11 ; 2, 31 (3, 4) etc ; etiam Gen. 28, 17 ; Ps. 98 (99), 3 ; Iob 37, 22 (sec. Hebr.) : ergo perperam *Cai., Amama* « reverendus », fortasse errorem secuti *Ios.*, qui angelum depingit « specie iuvenis pulchri et proceri » et maritum Manue in zelotypiam agit. Nota, hic proxime non tam quaeri, quid mulier viderit, sed quid dixerit : mulierem autem perturbatam aliqua exaggeratione usam esse, facile tibi persuadebis ; unde rursum praeferendum *terribilis.* — *Nomen divinum* quod attinet, generatim hoc capite scibitur יהוה. Tamen v. 6. 8 legitur איש אלהים, « quod איש יהוה sit insuetum » (*Boehme*), et fortasse ob analogam rationem legitur 13, 5. 7 et 16, 17 נזיר אלהים. Uti alias, evitatur יהוה, quando personae loquentes introducuntur, 13, 22 ; cuiusmodi tamen regula exceptionem patitur 13, 23. — 13, 9 primo loco *Vulg. Syr.* legunt יהוה contra *Hebr.* LXX אלהים ; secundo loco certa utique videtur lectio אלהים. Ut autem propter solos v. 9. 23 aliquem cum *Boehme* disceuasten (*germ.* « Bearbeiter ») effingamus, qui hic aliisque quibusdam scripturae locis studiose textum mutaverit, animum inducere haud valemus.

« *Quem cum interrogassem quis esset et unde venisset et quo nomine vocaretur, noluit mihi dicere* ». Aliqui codices graeci καὶ ἐρώτων αὐτὸν πόθεν ἐστί. Sed reliquae versiones *et non interrogavi eum, unde esset ipse, et nomen suum non indicavit mihi.* v. 7 « *Sed hoc respondit : Ecce concipies et paries filium, cave ne vinum bibas nec siceram, et ne aliquo vescaris immundo. Erit enim puer nazaraeus Dei (ab infantia sua), ex utero (matris suae) usque ad diem mortis suae* ». « Quod legitur dictum (v. 5) : Ipse incipiet salvum facere Israel de manu Philisthiim, non est a muliere commemoratum. Itaque et aliquid non dixit, quod audivit ; et tamen nihil credenda est dixisse, quod non audivit : sed scriptura potius non omnia verba angeli posuisse, cum ipsum

mulieri loquentem insereret narrationi » (*Aug.*). Quaeri hic potest, cur Samsonem et Samuelem oportuerit esse nazaraeos, dum de reliquis iudicibus nihil eiusmodi legitur. Ex iis, quae cap. 2 explicavimus, ea lege Deus iudices excitare consueverat, ut prius populus aliquid Deo daret, postea Deus iudicem concederet. Prius sc. populus ad Deum poenitentia convertebatur, inde vicissim Deus poenitenti populo liberatorem suscitabat. Haec in prioribus iudicibus facta leguntur, at non in duobus postremis. Ante Samsonis conceptionem leguntur quidem Israelitae ob sua peccata a Philisthaeis esse oppressi, non vero leguntur peccatorum poenitentes ad Deum clamasse. Clamaverunt quidem postea 1 Reg. 7, 2 sqq., sed cum iam dudum Samuel a Deo in iudicem esset praeordinatus. Ilos igitur iudices oportuit de suo supplere, quod populus praestare negligebat, et pleniore sui devotione Deo vicem rependere. Ad vitam ipsi strictioris abstinentiae adigebantur, quo vegetiores essent non tam ad pugnam cum hostibus ineundam, quam ad precibus conversionem populi obtinendam primum atque inde completam populi victoriam impetrandam. Eiusmodi viros duos eodem ferme tempore Deus suscitavit, Samsonem et Samuelem, illud forte intendens, ut una rem agerent, alter imperator invictus decertaret, alter propheta Dei oracula perciperet. E duobus unus tanto honore se dignum non exhibuit. Ex his autem colligas *voti* nobilitatem, quod homines ad maiora praestanda reddat aptos mundique peccatis medelam afferat. v. 8 « *Oravit itaque Manue Dominum et ait : Obsecro, Domine, ut vir Dei, quem misisti, veniat iterum et doceat nos, quid debeamus facere de puero* », — melius omitte *de* — « *qui nasciturus est* ». Sensus obvius simplicis narrationis est, Manuem nullatenus dubitasse, quin uxor revera prophetam obvium habuerit ; sed, quod ea perturbatior quaedam interrogare neglexisset, dicta quoque non satis praecise retulisset, rogasse, ut Deus prophetam iterum obvium eis mitteret — eis ambobus, quo mariti prudentia uxoris infirmitatem adiuvaret.

v. 9 « *Exaudivitque Dominus deprecantem Manue, et apparuit rursum angelus Dei uxori eius sedenti in agro. Manue autem maritus eius non erat cum ea. (Quae cum vidisset angelum)* », v. 10 « *festinavit et cucurrit ad virum suum, nuntiavitque ei dicens : Ecce apparuit* » — *visus est* : ex voce non sequitur, quod vult *Cassel*, iam agnovisse angelum — « *mihi vir, quem ante videram* ». ביום, *Chald. in die illa, gall.* « un jour ». Minus recte *Bertheau hodie*, ut uno die utraque obtinuerit apparitio. v. 11 « *Qui surrexit et secutus est uxorem suam, veniensque ad virum dixit ei : Tu es, qui locutus es mulieri ? Et ille respondit : Ego sum* ». v. 12 « *Cui Manue : Quando, inquit, sermo tuus fuerit expletus, quid vis ut faciat puer, aut a quo se observare*

debebit ? » *Hebr. Quod erit praescriptum pueri et opus eius? Opus* intellige proxime id, quod in puero parentibus faciendum, tam ante nativitatem quam primis annis post. Cum vero sua quaestione Manue cupiat, non id solum sibi repeti, quod v. 4 de puero nondum nato dictum fuerat, sed aeque illud, quod v. 5 totam pueri vitam spectaverat, hinc neque *Vulg.* versio repudianda, quae hoc alterum distinctius effert. v. 13 « *Dixitque angelus Domini ad Manue : Ab omnibus, quae locutus sum uxori tuae, abstineat se* » ipsa cf. v. 4, nam verbum hebr. est fem. generis ; v. 14 « *et quidquid ex vinea nascitur non comedat, vinum et siceram non bibat, nullo vescatur immundo : et quod ei praecepi, (impleat atque) custodiat* ». Rursum omnia sunt feminina matremque spectant. Hinc ex primis verbis confirmatur, quod ad v. 4 diximus, matrem ea etiam comedere esse prohibitam, quibus ipsi nazaraei interdicerentur. Ad quaestionem, cur angelus ea solum repetat, quae matrem spectent, non quae ipsi filio aliquando futura sint praestanda, sat probabiliter respondet *Ser.*, « responsum quidem ab angelo iis, quae ad puerum spectarent, sed a libri scriptore id omissum, quod ex interrogatione satis videretur posse colligi, responsum fuisse idipsum, quod antea dictum erat v. 5. Neque enim omnia integre semper scribuntur ».

v. 15 « *Dixitque Manue ad angelum Domini : Obsecro te, ut acquiescas precibus meis* », — reliqui *Retineamus, quaeso, te*; v. 16 *Vulg.* idem verbum vertit *si me cogis*. *Clair* « Laisse-nous nous retirer », sed ita non vertitur אותך — « *et faciamus tibi hoedum de capris* ». Perperam affirmat *Aug.* « facere hoedum » non praedicari nisi de sacrificio, quod utique connexum habeat epulum sacrificale : praedicatur de cibo parando, quem adiectum *tibi* demonstrat immediate angelo, qui homo putabatur, destinari. Cf. 6, 19. — v. 16 « *Cui respondit angelus : Si me cogis, non comedam panes tuos ; si autem vis holocaustum facere, offer illud Domino* ».

Hebr. habet verba hoc ordine *si vis holocaustum facere Domino offer illud. Masor. Vulg.* LXX vocem *Domino* ad apodosin trahunt, quod facere licet, dummodo ei voci non insistatur hoc sensu : offer Domino, non mihi. Nam de sacrificio angelo, qui angelus esse ignorabatur, offerendo minime agitur, quod etiam verbis immediate sequentibus confirmatur. Possumus etiam cum *Bertheau* ita iungere : « si vis holocaustum facere Domino, offer illud.

« *Et nesciebat Manue, quod angelus Domini esset* » v. 17 « *dixitque ad eum : Quod est tibi nomen, ut, si* » — melius *quando*, non enim iam dubitat Manue de impletione praedictionis futura (*Ser.*) — « *sermo tuus fuerit expletus, honoremus te ?* » Sed quinam prophetae honor

exhibendus? Post *Ios.* censuere plures, agi de donis illi honorificis mittendis. Melius *Chald. Syr. vocemus te*, sc. invitemus ad pueri nativitatem nobiscum celebrandam, cf. Luc. 1, 58 sq., quae utique invitatio etiam dona coniuncta erat habitura. v. 18 « *Cui ille respondit : Cur quaeris nomen meum, quod est mirabile ?* » seu potius *miraculum*. Eadem nominis quaestio habetur Gen. 32, 29, sed non additur « quod est miraculum ».

Iunius et *Tremellius* novatores vertendum censuerunt « et ipse (sc. Deus) est mirabilis ». Quam versionem tolerat *Calm.*, sequitur *Clair.* Ergo : Quid de me quaeris ? attentionem converte ad Deum mirabilem. Cui explicationi illud obest, de Deo inde a v. 16 non fuisse mentionem. Quod autem pro illa affertur, in Hebr. non haberi *quod est mirabile*, sed *qui* הוא, momenti non est, cum immediate ante legatur מי שמך, *quis nomen tuum*, non *quod*. Quodsi Manue licuit interrogare *quis nomen tuum*, cur non angelo licuerit respondere *ipse est mirabile* ? Una utriusque dictionis est ratio. Quod autem Manue pronomine masc. potuerit interrogare, inde explicant, quia, licet grammatice quaestio ad rem, sc. nomen referretur, tamen revera personam, sc. personae nomen spectabat. — *Calm.* censet item admitti posse sententiam quorumdam, *Pele* fuisse verum nomen proprium angeli loquentis : Cur quaeris nomen meum, quod est Pele ? Verum sic valde languida fit oratio. Etenim rationem, *cur* Manue nomen inquireret, iam didicerat angelus v. 17, sc. *ut honoremus te* ; ergo verba *Cur quaeris nomen meum* ? non tam sunt interrogatio, quam prohibitio : Noli quaerere nomen meum. Esset autem vix non ridiculum, immediate post talem inquirendi nominis prohibitionem ipsum subnectere nomen. *Ser.* aliique coniectantur angeli nomen fuisse Michael. — Igitur *Munst.*, *Vatabl.* aliique פלאי sumunt ut adiectivum et, a sensu radicis *segregare*, derivant significationem eius, quod segregatum, ab hominum cognitione remotum sit, ergo *secretum, occultum* : Noli quaerere nomen meum, quia arcanum est. Planus utique sensus : verum, licet significatio *secretum* radici *segregare* videatur affinis, tamen de facto radix פלא nunquam sensum induit *secretum esse*, semper *eximium, miraculosum esse*. — Unde reliqui cum *versionibus* sensum adiectivi praeferunt *mirabile*. Et plures explicant : Noli quaerere nomen meum, quia illud est mirabile. At ea potius esset ratio inquirendi nominis, neque secus scriptura tanta est in reticendis mirabilibus. Ad genuinum vocis sensum stabiliendum advertere oportet, evidentem aliquam adesse relationem inter פלאי v. 18 et expressionem ומפלא לעשות v. 19, quam agnovere *versiones* eadem utrobique usae radice (LXX recepta v. 19 mendose διεχώρισε ποιῆσαι ; sed alia lectio τῷ θαυμαστὰ ποιοῦντι). Iam illud ומפלא ostendemus verti oportere « et factum est miraculum ».

Cum ergo מפלא *miraculum* exprimat, hinc etiam פלאי vertendum *miraculum* seu etiam *mirabile*, dummodo eam vocem non interpreteris adiective sed substantive, estque nomen angeli assumptitium, quo attentio dirigatur in miraculum modo patrandum, audientesque ad magnum quid praeparentur. Habes idem plane nomen, quod Is. 9, 5 Messiae tribuitur « Admirabilis », utique assumptitium, nam Messias non vocabatur Pele. Sensus verborum angeli est : Noli

inquirere in nomen, quo inter aequales meos appellor ; supponas nomen mihi esse Miraculum, quod illico videbis actis meis aptissime consonare.

v. 19 « *Tulit itaque Manue hoedum de capris et libamenta* », — המנחה : ex Num. 15, 4 sqq. etiam holocaustis praeter cruentam adhibebatur incruenta aliqua oblatio, quam et Manue adhibuisse affirmatur — « *et posuit super petram offerens Domino* », — הצור cum articulo, sive quod ea determinata petra, quae v. 20 *altare* dicitur, pro altari esse iam ante consueverit, sive quod sensus sit « nota illa petra », nota sc. ex eventu modo narrando. Licet autem עלה *elevare* saepe idem sit quod *sacrificare* (*Cler.*), tamen h. l. cum *Vulg.* nativam significationem (*posuit*) retinemus. Certissimum quippe est, Manuen (quem gratuito aliqui levitam supposuere) coram adstante eo, quem ipse prophetam adhuc existimaret, non fuisse attentaturum, ut sacerdotis partes ipse ageret — « *qui facit mirabilia* ». Vertendum *et factum est miraculum dum offerretur* (sacrificium).

Vulg. et LXX *Alex.* expressionem ומפלא לעשות iungunt cum praecedente voce *Domino*, sed obest copula, cuius loco repetendum esset ל. *Bonfr.* : « et (angelo) mirabilem se praedicanti ad faciendum », i. e. ad sacrificandum tamquam sacerdoti ; sed deberet esse לו. Plures alii supponunt angelum sacerdotis partes egisse : at nullibi in scriptura angelus sacrificat, nec tale quid in scripturam introduci fas est. Alii igitur novam faciunt sententiam, cuius aliud alii suggerunt subiectum. Quod utique non potest esse Manue aut uxor, quippe qui statim referantur in ea re non egisse quidquam, sed spectatores adstitisse. *Ios.*, *Vatabl.*, *Sa*, *Lap.*, *Munst.* etc : « et angelus fecit mirabilia ». *Mar.*, *Clair*, *Keil*, *Cassel* : « et Deus fecit mirabilia ». Sed longe planior est quaeque nihil gratuito in textum ingerat, constructio impersonalis Hebraeis haud infrequens : et fecit *aliquis* miraculum, seu : et factum est miraculum. Ad quam propius accedebat *Bertheau* : « Et ecce, miraculum in faciendo ! » sed nulla ratio habetur mutandae cum ipso hebr. punctationis. — עשה Ex. 29, 36 sqq. ; Lev. 9, 7 ; 15, 15 ; 16, 9 pluribusque aliis locis significat *sacrificare sacra facere*. Vertas ergo totam expressionem : Et factum est miraculum in offerendo, sc. dum sacrificium offerebatur.

« *Ipse autem et uxor eius intuebantur* ». Adstabant sc. eodem utrique fidelium gradu, sacrificio testes intererant, non illud offerebant sacerdotes.

v. 20 « *Cumque ascenderet flamma altaris in coelum, angelus Domini pariter in flamma ascendit* », « ut se non hominem prophetam, sed angelum esse ostenderet « (*Lap.*). Neque obstat, quod obiicit *Ser.*, etiam Henoch et Eliam, homines cum essent, coelum versus ascendisse : iudicum tempore certissime prophetae non consueverant in coelum

ascendere, quare Manue, Dei affulgente lumine, perspicere poterat, eum, quem ascendentem videbat, esse plus quam prophetam, ergo angelum.

Iosephum secuti auctores plures arbitrati sunt, ad modum miraculi ignem ab angelo de petra esse productum. Rationes sunt infirmae. « Quia nulla fit mentio lignorum, nulla fit mentio ignis delati, sed solius flammae (non qualiscunque, sed ascendentis in coelos), insinuatur implicite, flammam illam subito ex lapide erupisse angelico ministerio » (*Cai.*). « Omnia fiebant modo extraordinario legesque communes naturae superante » (*Sacy*). « Ad illud miraculum adstruendum inducimur analogia portenti 6, 21 narrati, verbis uxoris v. 23, suscepisse Dominum holocaustum, cf. Lev. 9, 24; 3 Reg. 18, 38; consuevit quippe Dominus igne responsa edicere 3 Reg. 18, 24 » (*Bertheau*). Prudentius et verius *Sa* : flamma « videtur potius excitata ab igne, quem sacrificans paraverat ». Cui assentiuntur *Gord.*, *Calm.* Id omnino patet ex constructione hebr., quae, quod de flamma dicit, in sententiam temporalem relegat, quo non in hoc fuisse miraculum intelligamus : *et factum est, cum ascenderet flamma de altari coelum versus, ascendit etiam etc.*

« *Quod cum vidissent Manue et uxor eius, proni ceciderunt in terram* », terrore perculsi. v. 21 « *Et ultra eis non apparuit angelus Domini. Statimque* » — seu simpliciter *tum*, אז. Quae vox ad ante dicta omnia refertur, ut sensus sit « post haec omnia » ; non ad ultimum tantum membrum, quod videtur sensisse *Bertheau* : « quia angelus ultra non apparuit, hinc cognoverunt etc » — « *intellexit Manue, angelum Domini esse* » v. 22 « *et dixit ad uxorem suam : Morte moriemur, quia vidimus Deum* ». De hac populi opinione vide 6, 22 sq. et cf. Gen. 16, 13; Ex. 33, 20. Ceterum אלהים hic etiam interpretari possumus angelum (*Bonfr.*), cum, qui nunc אלהים, modo v. 21 dicebatur angelus Domini. v. 23 « *Cui respondit mulier : Si Dominus nos vellet occidere, de manibus nostris holocaustum et libamenta non suscepisset* » ; suscepit autem, cum quia ad ea offerenda invitavit, tum quia in eis offerendis tam insigne miraculum patravit (*Bonfr.*) ; « *nec ostendisset nobis haec omnia* », ipsum miraculum, ea, quae matri iamiam observanda sint, quaeque filius in futuro sit praestaturus ; « *neque ea, quae sunt ventura, dixisset* ». *Hebr. et sicut tempus non fecisset nos audire huiusmodi.* Iam כעת, *sicut tempus* 21, 22 significat *nunc* : in *nunc* autem oppositio latet ad aliud tempus sive praeteritum sive futurum. Si prius, sensus erit : et nunc non fecisset nos audire, vel qualia antiqui nunquam audiere, ergo inaudita plane ; vel qualia antiquitus, v. g. Moysis tempore, utique audiebantur, sed iam longo a tempore audiri desiere. Si alterum : et nunc non fecisset nos audire talia, quae in futuro eventura sunt, i. e. *neque ea, quae sunt ventura, dixisset* (*Vulg.*). Hic alter sensus

facilior et vigorosior. Priorem sensum minus apte reddiderunt *Bertheau*, *Keil*, *Clair* : « et hoc tempore, sc. tota vita nostra, non fecit nos audire eiusmodi ». Nulla enim sufficiente ratione destruitur constructio, ut iam hoc membrum non sit tertia apodosis sententiae conditionalis; dein arbitrarie « hoc tempus » restringitur ad vitam nostram *antehac* transactam.

v. 24 « *Peperit itaque filium et vocavit* » mater « *nomen eius Samson* ». Nominis derivationem a שמש « sol » iam communiter reiiciunt auctores praeferuntque eam, quam adstruxisse videtur *Ios.* (ὁ ἰσχυρός, a שמשום, forma intensiva verbi שמם, ergo « depopulator ». Eiusmodi derivationes semper incertae. « *Crevitque puer et benedixit ei Dominus* » eo imprimis, qui v. 25 narratur, modo. v. 25 « *Coepitque spiritus Domini esse cum eo in castris Dan* » — seu potius *in Mahane Dan*; cf. 18, 12 : « qui locus ex eo tempore Castrorum Dan nomen accepit, et est post tergum Cariathiarim » (*Hier.*) ; ibi erat sepulcrum 16, 31 et sine dubio etiam habitatio parentum Samsonis — « *inter Saraa et Esthaol* », urbem intra tribus Iudae fines Ios. 15, 33 sitam, sed 19, 41 Danitis attributam.

פעם significationem habet *agitandi, impellendi* : ergo coepit spiritus quibusdam vicibus eum impellere, veniebant super eum inexspectati impulsus. Sed פעם significat etiam *gressus* : hinc LXX συνεκπορεύεσθαι et probabilius etiam *Vulg. esse cum eo*.

« Iam ex hoc ipso, quod sterili ex matre nasciturus Samson promittitur, magnis et primis comparabilis est patribus Isaac et Iacob et Ioseph, qui omnes steriles diu matres habuerunt omnesque, fide promerente, superno munere deficienti naturae dati sunt, et in factis suis Christi Domini nostri figuram praetulerunt, quem non more suo natura, sed praecipua prae omnibus nazaraeis factum de ventre virgineo protulit gratia. Matris vel mulieris huius sterilitas beatae Mariae secundum figuram est virginitas » (*Rup.*).

b) SAMSONIS GESTA. — IUD. 14, 1-16, 31

Vidimus Samsonem eo tempore populo concessum, quo is Dei misericordiam poenitentia minime promeruisset. Inierat autem Deus cum Samsone pactum veluti quoddam, ut hic quidem nazaraeorum profiteretur abstinentiam, cuius insigne erat caesaries intonsa, Deus vero vicissim eum contra Philisthaeos decertantem adiuvaret atque ad iudicis dignitatem promoveret, ea enim toto nostro libro significatio est vocis « liberare » 13, 5. Aequum sane erat, ut beneficium gratuito acceptum recognoscens Samson sanctam ageret vitam, non potus cibique solum sed omnium vitiorum abstinentia insignem. Tamen vitae sanctitas

non erat materia pacti, unde neque ea deficiente robore illum destitui oportebat; manebatque Deum semper potestas Samsonis peccata puniendi subtracta gratia, qua is suum nazaraeatus votum observaret essetque Dei assistentiae securus. Quod Deus etiam fecit. Cave igitur, ne reverentia s. textus te cogi arbitreris, ut Samsonem sancte vixisse interpreteris, quod is a Deo nondum natus fuerit praesignatus vir eximius. At, inquies, nonne eius Hebr. 11, 32 sq. fides et iustitia laudantur? Fide actus, licet admodum imperfecta necdum iustitiae copulata, in numerosiores toties hostes irruerit: vera tamen et perfecta fide atque ea, quae operit multitudinem peccatorum, iustitia effulsit, quando Philisthaeorum festivam concionem una secum ruinae devovit.

Iam si Samsonis acta rimeris, unam viri interitus causam deprehendes *mulieres*. Mulieribus Philisthaeis erat misere mancipatus, quarum unam duxit uxorem, aliis duabus usus est meretricibus; illud fecerit impulsu divino, certe non hoc. Voluit istud Deus, permisit hoc, ut Samson in se uno sui temporis Israelitas repraesentaret et pudore ad meliora provocaret. Cogita Dei foedus in scriptura constanter coniugio comparatum, idololatriam adulterio, fornicationi; perpende, connubia cum alienigenis inita quam constanter occasio fuerint idololatriae et ruinae; recole « foedera cum habitatoribus terrae » 2, 2 severissime proscripta, connubiorum cum superstitionum communione affinitatem: et intelliges, quam omnino similis Samson Philisthaeam ducens sit prophetae Os. 1, 3 fornicariam ducere iusso. Dura concio, acerba reprehensio, ut ex coniugio cum Philisthaea inito derivanda esset nazaraeo occasio inimicitiarum in Philisthaeos exercendarum Hebraeorumque impoenitentium liberandorum.

Indidem intelliges, cur illud de portis Gazae ablatis cap. 16 sit adiectum; non sane, quod visum est *Ew.* (v. s.), ut earum portarum fata doceremur, sed ut ipsa ruinae initia describerentur. Si advertas, Gazam civitatum Philisthaearum a finibus Danitarum esse omnium remotissimam, suspicaberis Samsonem, postquam 15, 20 iudex factus est, reapse fines saltem Daniticos, fortasse etiam finitimos Iudaeorum pagos Philisthaeis eripuisse et ita veri nominis iudicem fuisse. At temerarium fecit roboris conscientia fidemque vertit in praesumptionem. Iam solus se hostium finibus ingerere atque ipsam urbem omnium munitissimam intrare. Fecit id fortasse, ut munitiones inspiceret ac postea urbem inopinato ingressus in suam redigeret potestatem. Ingressus est fortasse vespertino tempore, quo facilius lateret. Quod 16, 2 dicitur, innotuisse eius adventum Philisthaeis, indicare videtur, latentem fuisse ingressum et qui celari posse speraretur. Verum etsi ingres-

sum praesumptionis absolvas, at certe non vacabit peccato, qui noctem non intra hostium moenia solum, sed in domo meretricia transigendam decrevit. Erat ea sane insignis ironia et a Samsonis ingenio minime aliena, ut intra ipsos munitissimae urbis muros Philisthaea muliere scorto abuteretur : at erat peccatum.

Hinc Philisthaei, qui iam quantovis numero hominem adoriri non auderent, consilium iniere eiusdem perdendi. Quod consilium idem fuit, quo diu ante Moabitae Num. 25 perdiderant Israelitas, illicientes illos ad fornicandum cum mulieribusMoabitis. Usi sunt muliere formosissima, astutissima. Suam peccatum habuit poenam : luxuriantem deseruit gratia, secretum prodidit, robore privatus est. At in vinculis revixit fides, exstincta lumina dispulere tenebras mentis. Fides sanctum fecit, robur instauravit, gloriosum post victoriam sepulcrum tribuit. Discat hinc Israel, nullam tam altam miseriam, e qua fide non valeat assurgere ad gloriae fastigium.

α) *Samson iudex factus.* — Iud. 14, 1-15, 20

Haec pars duobus membris absolvitur. Primum 14, 1-15, 8 inimicitiarum contra Philisthaeos initia describit, alterum 15, 8-20 Samsonem insigni victoria iudicem factum ostendit.

Inimicitiarum initia. — *Iud.* 14, 1-15, 8

Arg. — Inimicitiae natae ex nuptiis Samsonis cum Philisthaea, nuptiae occasio fuere proponendi problematis. Fraude per uxorem amici problematis solutionem eliciunt, quibus Samson triginta caesorum Philisthaeorum vestes pendit. Absentis uxore alteri tradita, vicissim Samson Philisthaeorum segetes incendit. Incensarum segetum causam, uxorem cum socero, comburunt Philisthaei. Qua reparatione nequaquam contentus Samson eis insignem cladem infligit.

Cap. XIV v. 1 « *Descendit ergo Samson in Thamnatha* » vel Thamnam, hodie Tibne, iam patriarcharum tempore Gen. 38, 12 sqq. existentem, in confinibus tribus Iuda Ios. 15, 10 sitam, sed Danitis 19, 43 tributam, haud longe a Saraa, Esthaol, Aialon, Bethsames (cf. etiam 2 Par. 28, 18). Cur descenderit, varias et gratuitas aliqui tentant coniecturas, silente scriptura. Liceat tamen cum *Bonfr.* in memoriam revocare 1 Reg. 13, 20 sq., consuevisse Philisthaeos omnia Israelitis ferrea arma et fabros adimere, ideoque hos in civitates Philisthaeorum descendisse exacuendorum vomerum etc gratia.

Censebat *Arias*, haec cum 13, 25 intime connecti ideoque ab eo versu ordiendum esse caput, dum *Ser.* 13, 25 de Samsonis pueritia intelligit, 14, 1 sqq. de nubili eiusdem aetate. Priorem sententiam commendat facta 13, 25 loci Mahane Dan mentio, quae abundare videtur, si is versus a sequentibus separetur : tum enim locus, in quo cum parentibus degeret Samson, scribendus erat vel 13, 2 vel 14, 1. Aptissima vero est ea mentio, si 13, 25 et 14, 1 intime iungantur : Postquam adolevit puer in Mahane Dan, coepit Spiritus Domini eum impellere, ideoque inde descendit Thamnam. Atqui hinc simul perspicis, v. 24 et 25 cap. 14 item intime copulari inter se ; quare initium capitis scribendum esset 13, 24. Linquatur igitur, ubi nunc in omnibus editionibus habetur, ne eas emendare potius videamur, quam emendemus.

« *Vidensque ibi mulierem de filiabus Philisthiim* », v. 2 « *ascendit et nuntiavit patri suo et matri suae dicens : Vidi mulierem in Thamnatha de filiabus Philisthinorum, quam quaeso ut mihi accipiatis uxorem* ». Quaerunt hic, peccaveritne Samson, dum Philisthaeae iungeretur matrimonio. Ubi *Rabbini* gratuito adstruxerunt, eum illam mulierem primum fecisse proselytam. At istud scriptura nullo verbo significat ; mulierem etiam post contractum matrimonium apud parentes ethnicos habitare passus est 15, 1 sqq. (cf. *Ser.*). Hinc *Lyr.* aliique Samsonem immediata S. Spiritus inspiratione excusant. Id ex ipso textu probat *Cai.* : « Iunge dicta in calce praecedentis capituli, quod spiritus Dei incepit commovere Samsonem, et quod petiit uxorem Palaestinam, ut quaereret occasionem adversus Philisthinos, cum ignorantia parentum eius quod res ista procederet a Deo : et perpendes, quod Samson motus spiritu Dei, sciens et prudens petiit huiusmodi coniugium, quamvis contra legem Moysis ». Ex ignorantia parentum argumentatur *Lyr.* : « Ex hoc, quod scriptura excludit parentes Samsonis tantum ab hac notitia (v. 4), videtur quod Samson cognoverit per revelationem voluntatem divinam circa hoc ». Rursum alii nullam experiuntur difficultatem, quominus Samsonem peccati reum dicant. « Illud *est a Domino* (v. 4) non divinam actionem significat, sed permissionem », inquit *Theodoret.* ; et *Calm.* : « An vero non praestat cum Theodoret. reum agere virum legis apertissime violatae? » Verum neque peccatum concedamus necesse est (*Vigouroux*). Lege positiva Ex. 34, 16 et Deut. 7, 2 sqq. non quaevis cum ethnicis, sed sola cum Chananaeis connubia proscribebantur ; Philisthaei autem Chananaei non erant. At, inquies, connubia cum Philisthaeis erant, si non contra literam, at certe contra spiritum legis, cum idem illis inesset perversionis idololatriae periculum. Esto : verum ei periculo fas erat Samsoni se exponere ob gravem rationem Deoque maiorem gratiam promittente. Ratio autem

sufficienter gravis erat occasio (v. 4) quaerenda litis Philisthaeis movendae, et ex argumento *Cai.* sufficienter colligitur adfuisse distinctus impulsus Spiritus S. ad illud periculum subeundum, addita gratiae promissione. v. 3 « *Cui dixerunt pater et mater sua : Numquid non est mulier in filiabus fratrum tuorum et in omni populo meo, quia vis* » — reliqui *vadis* — « *accipere uxorem de Philisthiim, qui incircumcisi sunt? Dixitque Samson ad patrem suum : Hanc mihi accipe, quia placuit oculis meis* ».

Licet superiora verba a *patre et matre* dicantur profecta, unus nomine amborum ea est prolocutus, quod patet voce *populo meo*, isque unus fuit pater, quod patet cum ex natura rei, tum inde quod Samson soli patri responderit. — Queritur *Calm.*, parentes filium « frigide tantummodo » admonuisse : iniqua querela, cum scriptura nequaquam omnia parentum verba monitionisque fervorem nobis referat, sed solum monitionis factum. Multo verius *Ser.* « parentes illos suo naviter functos esse officio » affirmat. « Et in hac ipsa, quae v. 3 brevissime descripta est, dehortatione, quam insignis et vibrans interrogatio ? quod in ea rationum verborumque pondus ? Nam ratio una est, non licet alienigenam ducere. Altera, non decet circumcisum, i. e. Abrahae filium Deique veri servum, ab incircumcisis uxorem accipere, etc ». Sane parentum monitio ostendit, eo tempore Pentateuchi prohibitionem eiusmodi coniugiorum fuisse notam.

v. 4 « *Parentes autem eius nesciebant, quod res a Domino fieret* », quod filius a Domino regeretur providentia et inspiratione « *et* », quod Samson « *quaereret occasionem contra Philisthiim* », dum illis vel praeter legem divinam favere videretur. Certe postea meliora parentes edocuit eventus : num Samson in ipso itinere verbis eos edocuerit (*Lyr.*), nescimus. Exponit *Cassel*, quomodo mater in corde suo servaverit vaticinium, per filium fore salutem Israeli, quomodo cernens increscens quotidie corporis robur praesentesque divini spiritus motus delectata fuerit, quomodo dein omni sua exspectatione sibi visa sit frustrari filio Philisthaeas ambiente nuptias, nazaraeo quaerente consortium incircumcisorum.

תאנה est ἅπαξ λεγόμενον. *Vulg. occasionem, LXX* ἐκδίκησιν *vindictam*, vel ἀνταπόδομα *retributionem, Aq.* πρόφασιν *praetextum*. Quam vocem *Chald.* adhibet תוסקפא, ea 2 Par. 10, 15 et 22, 7 de *dispositione* divinae providentiae scribitur. Radix אנה significat *occurrere*, sive casu sive disponente Deo ; cuius forma התאנה 4 Reg. 5, 7 *quaerere occasiones* significat. Quo sensu etiam h. l. nomen sumunt omnes et הוא referunt ad Samsonem : solus ad Deum referebat *Abul.*

« *Eo enim tempore Philisthiim dominabantur Israeli* ». « Ad reddendam rationem iustae occasionis quaesitae a Samsone adversus Philisthaeos, adiungitur hic dominium Philisthinorum supra Israel : contra

tyrannos enim iuste quaeritur occasio laedendi » (*Cai.*). v. 5 « *Descendit itaque Samson cum patre suo et matre in Thamnatha* », ut mulierem sibi (v. 7) desponsaret. « *Cumque venissent ad vineas oppidi, apparuit catulus leonis (saevus et) rugiens et occurrit ei* ».

כרם *plantatio*, unde 15, 5 כרם זית plantatio olivarum, *olivetum*. Facilius ibi delitescebant leones, quos ibidem abundasse praeter alia argumenta etiam efficiunt vicinarum urbium nomina Lebaoth Ios. 15, 32 et Beth Lebaoth 19, 6 a leaenis petita. — Quid sit כפיר et quomodo a גור distinguatur, clare prodit Ez. 19, 2 sq. : « Mater tua leaena..... eduxit unum de leunculis suis (גור), et leo (כפיר) factus est, et didicit capere praedam hominemque comedere » . « Itaque quam primum catulus leonis a lacte depulsus praedari incipit et sibimet victum quaerere sine matris opera, tum desinit esse גור et recte vocatur כפיר » (*Bochart*). Ceterum, quod septem nomina attinet, quae leonibus pro ratione *aetatis* tribui affirmant *Rabbini*, audi auctorem eundem : « Ut mollissime dicam, hic grammatici videntur mire sibi indulgere, cum pleraque haec de suo asserant sine ulla probatione idonea. Neque vero credibile est, priscos illos mortales tam accuratos fuisse in re tantula atque in animali fero, cuique cum homine fere nihil est commercii, tam pensiculate singulas annorum minutias ad normam exegisse, neglectis interim specierum et sexus differentiis, quae oculis primo se ingerunt et sunt momenti multo maioris ».

v. 6 « *Irruit autem spiritus Domini in Samson* ». Idem verbum צלח de influxu spiritus tam boni quam mali adhibetur v. 19; 15, 14; 1 Reg. 10, 10; 18, 10; cf. quae ad 3, 10 et ad 1 Reg. 16, 13 diximus. Spiritus Domini hic est *spiritus fortitudinis (Chald.)*, qui occasione accepta animum excitabat ad utendum robore corpori permanenter concesso et ad heroica facinora edenda. « *Et dilaceravit leonem, quasi hoedum in frusta discerpens, nihil omnino habens in manu* », ubi rursum *Cassel* meminit 1 Reg. 13, 20, Israelitas a Philisthaeis oppressoribus armis fuisse privatos. Non inepte coniectat *Ios.*, Samsonem leonis cadaver in saltum a tramite remotiorem coniecisse. « *Et hoc patri et matri noluit indicare* ». « Hinc clare habetur, quod Samson declinaverit a via, qua incedebant parentes eius, et extra viam occurrit ei catulus leonis » (*Cai.*).

Hebr. sicut discerptio hoedi, unde quaeritur, quis discerpere supponatur hoedum. *Aliquis vir* supplent *Ser.*, *Bertheau*, *Keil* : num viri tum discerpendis hoedis indulgebant ? *Ipse Samson* supplet *Cassel* : tam facile discerpsit leonem, quam facile discerpsisset hoedum. Verum istud absurdum est. Quantaecumque fuerint Samsonis vires, certe ei proportione difficilius erat discerpere leonem quam hoedum. *Cler.*, *Ros.* hoedum coquunt : tam facile discerpsit ipse leonem crudum et vivum, atque aliquis prandio assidens discerperet hoedum (bene) coctum. Subiectum supple illam feram, quae hoedos discerpere consuevit, *leonem* : ita facile leonem discerpsit Samson, atque leo hoedum discerpere consuevit. — *Ios.*, qui 1 Reg. 17, 35 feram cauda sublatam terrae allidebat, leonem h. l. non discerpit sed strangulat, vir ad narrationem sacram exornandam et emendandam usque pronus.

v. 7 « *Descenditque et locutus est mulieri, quae placuerat oculis eius* »; melius *quae placuit*. Primo aspectu placuerat v. 3, placuit etiam magis, ubi eius colloquio fruitus est, placuitque ita, ut de matrimonio invicem promiserint. v. 8 « *Et post aliquot dies revertens, ut acciperet eam, declinavit, ut videret cadaver leonis, et ecce examen apum in ore leonis erat ac (favus) mellis* ».

Hebr. post dies, quae expressio eadem esse potest atque *post annum*, quem sensum certe habet 17, 10; et ita explicant h. l. *Rabbini* aliique, atque hinc intulere, viguisse iam tum morem de annuo inter sponsalia et nuptias spatio interponendo. Verum neque hoc facto ille mos demonstratur, neque etiam ex Est. 2, 12, nam quod in aulis Persarum, id non necessario antiquitus per totam servabatur Palaestinam. Ceterum vix est credibile Samsonem, qui occasionem v. 4 quaereret contra Philisthaeos, per integrum annum odia repressisse; et infra v. 15 מימים neque significat annum. Ergo etiam h. l. noli vertere *annum* neque *aliquot dies* (*Vulg.*, *Ser.*, *Bonfr.* etc), multo minus *paucos*, fortasse *novem dies* (*Gord.*), sed *tempus indeterminate* (*Zschokke* p. 193). Ruit ergo, quae ex illa expressione petebatur, difficultas, cum nobis omnino liceat illud spatium tantum extendere aut restringere, quantum rerum narratarum ratio exigit.

מפלת a נפל sicut *cadaver* a *cadere*, LXX πτῶμα a πίπτω; vox Ez. 31, 13 designat truncum arboris deciduum; potest h. l. aut cadaver cum carnibus designare, aut nuda ossa. — גויה est *corpus* (*Syr. Chald.*), *Ios.* scripsit *pectus*; qui *Vulg.* LXX *Symm.* verterint *os*, non est perspicere. — « *Favum mellis* nec Hebr. nec LXX habent, sed *mel*; sed recte intellexit Hier., apes nisi prius constructis favis mellificare non solere, neque alibi mel quam intra favos reponere » (*Bonfr.*).

Iam ex nostro textu nascitur difficultas. Quomodo enim paucorum dierum intervallo tantam mellis copiam efficere potuere apes? — sed hoc dubium solvitur iis, quae modo de sensu expressionis *post dies* disseruimus. Quomodo apes, cadaverum et foetoris inimicae, in cadavere leonis paravere mella? Ubi veteres Virgilii quosdam aliorumque versus citant, quibus apes ex iuvencorum cadaveribus gigni canebantur : cur igitur non ex leonis exuviis pullularint? Sed haec opinio est antiquata. *Ros.* (Das Alte u. neue Morgenland III p. 46 sq.), *Clair*, *Vigouroux* advertunt calorem in Palaestina quandoque efficere, ut animalium cadavera, quin putrescant aut foetorem edant, exsiccentur penitus atque longo tempore immutata perseverent; eiusmodi fuisse leonis cadaver, in quo apes mella paraverint. Idque necessario assumi oportere censet *Keil*, quod certe non in nuda ossium compagine favos construxerint apes. Errat autem. Licet enim costae aut spina ei operi minus fortasse fuerint aptae, at certe maius quoddam et concavum os, quale est

cranium aut pelvis. Dicimus igitur, nuda intra ossa apes favos aedificasse, idque inde etiam confirmamus, quod Samson nullo modo veritus sit manus admovere et mel ex ossibus colligere, veritus autem esset, si ossa carnibus vestita reperisset, quorum attactu fuisset polluendus. Accedit, quod aliud in historia habemus exemplum apum in cranio sedem figentium *Herodot.* l. V. c. 114 : « Onesili Amathusii caput, quia ipsos obsederat, amputatum et Amathuntem delatum supra portas suspenderunt. Illud autem suspensum et iam vacuum effectum, examen apum ingressum favis replevit ». Non spernenda Herodoti auctoritas. Quodsi mireris in Palaestina factum narrari, quod apud nostrates factum nunquam est observatum, recole Palaestinam apibus quibusdam locis ita abundare, ut omnes impleant arbores rupiumque fissuras : quid mirum, si in rebus angustissimis aliqua aliquando apum familia in ipso leonis cranio sedem fixerit ?

v. 9 « *Quem cum sumpsisset in manibus, comedebat in via, veniensque ad patrem suum et matrem dedit eis partem, qui et ipsi comederunt* » ; *Ios.* addit, probabilius de suo, fuisse tres favos eosque puellae muneri esse datos. « *Nec tamen eis (voluit) indicare, quod mel de corpore leonis assumpserat* ». Non legit *voluit* textus *Hebr.* ; factum narratur, non intentio ; falso silentii rationem videtur adstuere *Luc. Brug.*, « ne mel ex cadavere sumptum abominarentur ». Non enim potest probari, animalium ossa carnibus omnino nudata fuisse apud Hebraeos immunda, secus Salomon, quoties in throno eburneo 3 Reg. 10, 18 consideret, contaminatus esset. v. 10 « *Descendit itaque pater eius ad mulierem* ». Cur non nominatur mater ? Solutio eadem esse posset, quae v. 3, sc. solum patrem nominari, quod eius primae fuerint partes. « *Et fecit filio suo Samson convivium* », adduntque LXX *Syr. septem diebus*, quae voces ex v. 12 videntur irrepsisse. Sed contra Vulg. textus reliqui omnes habent *et fecit ibi Samson convivium*, quae lectio critice est praeferenda cum propter numerum testium, quibus opponitur sola Vulg., tum quod versio Vulg. libri Iud. reapse sit liberior ideoque minoris ad restituendum textum auctoritatis. Ceterum nuptias celebratas esse *ibi*, sc. in domo sponsae, certum est, cum etiam post nuptias 15, 1 sqq. mulier in domo parentum Philisthaeorum habitare perrexerit : id autem vix fecisset, si nuptura in domum mariti fuisset traducta. Illa lectio quoad substantiam utique coincidit cum sententia Vulg. ; licet enim Samson dicatur fecisse convivium, patet tamen illud factum esse sumptibus patris, sicque potest aeque dici pater illud fecisse ; tamen suum pondus habet illa vox *ibi*, qua docemur distinctius celebratas esse nuptias in domo sponsae. « *Sic enim iuvenes facere consueverant* ».

Huius moris h. l. mentio ob alterutram tantum duarum rationum scribi potuit, vel quod is usus immutatus tempore scriptoris perduraret, vel quod fuerit ab eius temporis usu diversus. Potuit scriptor lectoribus dicere : En hic ritus celebrandarum nuptiarum, quem hodiedum servamus, iam observabatur Samsonis tempore. Vel sensus hic est : Erat istum quidem celebrandarum nuptiarum ritus, a nostro, quem nunc servamus, utique diversus. Priori sensu si verba intelligantur, vix non futilia apparebunt. Quaenam ratio eius ritus h. l. commendandi ? Num id s. auctor inculcare cupiebat, ut nuptiae in domo sponsae potius quam sponsi celebrarentur ? ut in illis convivium ne omitteretur ? ut convivium certe non minus septiduo celebraretur, quod fere suggerit *Houb.* incertam LXX Syr. secutus lectionem ? Ergo agitur de ritu a recentiore usu diverso. Ast ubi diversitas ? Non sane in convivio, quod ubique terrarum eiusmodi eventui adhibetur; sed in eo, quod convivium celebraretur *ibi*, in domo sponsae, non sponsi. Id a toto, quantum novimus, Hebraeorum omnium temporum usu abhorret : traducebatur e domo paterna sponsa in domum sponsi (cf. 1, 14), ibi nuptiae celebrabantur, ibi iam uxor sedem figebat. Aliud omnino in nuptiis Samsonis obtinuit : nuptiae in domo sponsae celebrantur, nupta in domo parentum perseverat, idque tum universali more fieri *consueverat*. Discimus hinc, uti crediderim, novam aliquam Philisthaeorum ad subiugandos Hebraeos artem. Non repudiabant Hebraeorum cum filiabus Philisthinorum coniugia, sed exigebant ut nupta inter Philisthaeos habitare continuaret, quo maritus quoque inducebatur, ut eodem ex montibus Iudaeae secederet, atque ita cum liberis brevi Philisthaeus et ipse evaderet.

v. 11 « *Cum ergo (cives loci illius) vidissent eum, dederunt ei sodales triginta, ut essent cum eo* » honoris causa. Vocantur illi Matth. 9, 15 « filii sponsi » (cf. Marc. 2, 19 ; Is. 3, 29). Etiam is videtur tum mos obtinuisse, ut non sponsus Hebraeus Hebraeos accerseret paranymphos, sed Philisthaei eidem a sponsae Philisthaeae familia assignarentur : sponsus Hebraeus suam veluti gentem abdicabat.

Aliqua lectio LXX כראותם punctavit tamquam infinitivum quemdam contractum verbi ירא *timere* (cf. *Bertheau*), ergo *cum timerent eum*. Unde *Ios.* finxit, assignatos esse Samsoni sodales « tamquam custodes, ne quid audacius attentaret »: Sed reliquae versiones multo planius formam derivavere a ראה *videre*. Subiectum *Vulg.* supplevit *cives loci illius* : sed ex praecedentibus supple familiam sponsae, sodales illi v. 15 dicuntur a sponsa esse vocati. Censet *Keil*, ideo sodales ex Philisthaeis fuisse invitatos, quod Hebraeos secum non adduxerit Samson. At cur non adduxit ? Sane, quod Philisthaei sodales Hebraeos recipere recusassent, uti etiam sponsum adegere, ut in domo sponsae nuptias celebraret, non in sua, atque ibidem postea uxorem degere pateretur.

v. 12 « *Quibus locutus est Samson : Proponam vobis problema, quod si solveritis mihi intra septem dies convivii, dabo vobis triginta sin-*

dones et totidem tunicas ». Quomodo Graeci etiam assueverint inter convivia proponere enigmata, vide apud *Bonfr.*

סדין, unde σινδών, sane est vestis linea inferior, quae gerebatur « super nudo » Marc. 14, 51, quamque suis ipsa manibus texebat materfamilias Prov. 31, 24. Quid vero חליפות בגדים? חלף *mutandi* sensum habet, ergo *mutationes vestium* : sed vestes, ut mutari queant, saltem duae sint oportet, quare *Syr.* semper vertit *par vestium*. Tamen significatio *par* aliunde non confirmatur mirumque videtur, eas vestes tam in Philisthaea, quam in Aegypto (Gen. 45, 22) et Syria (4 Reg. 5, 5. 22. 23), semper *binas* dari consuevisse. Etiam apud Assyrios eadem vox *genus* quoddam vestimentorum designat, non *numerum*, cf. *E. Schrader* : The cuneiform inscriptions and the O. T., London 1885, I. 140 (ad Gen. 45, 22). Adde, quod v. 19 Samson narretur dedisse sodalibus החליפות, omisso בגדים : ergo illa vox exprimit ipsum vestimentum, non *paria* ; neque censendi sunt illi Philisthaei *binas* simul gestasse vestes. Uti Syr. vertunt Gen. 45, 22 *Vulg.* LXX. — Alibi igitur servatur significatio radicis : 4 Reg. 5, 5. 22. 23 *Vulg. mutatoria*, LXX ἀλλασσομένας στολάς, h. l. v. 13 ἀλλασσομένας στολὰς ἱματίων, sed expressio pleonastica et lectio incerta, aliis primam et aliis tertiam vocem omittentibus ; h. l. στολὰς ἱματίων, ubi plures codices omittunt ἱματίων, et unus in margine habet lectionem ἀλλαγὰς στολῶν. *Samar.* Gen. 45, 22 *mutationes vestium*. Varie varii eas mutationes interpretantur. *Sa* intelligit vestes « pretiosas seu novas, quibus veteres commutantur » : *Menoch.* « eas, quas apud se habere solent nobiles viri et elegantioris cultus studiosi, quas subinde mutant cum aliis communioribus, ne sordes contrahant ». *Cassel* « Staatskleid, Sonntagskleid ». Num illi viri, quos v. 19 interfecit Samson, reapse omnes pretiosis vestibus induebantur ? num elegantioris cultus erant studiosi ? num senatorii ordinis aut sacra facturi ? Ergo planius *Chald.* אצטלין *pallia*, quae vox etymo eadem est cum LXX Ios. στολάς, et *Vulg.* h. l. et v. 13 simpliciter *tunicas*. Cur autem tunica seu vestis exterior *mutatoria* dicitur ? Quia ea frequentius mutatur, deponitur, assumitur, dum vestis inferior praeter nudationem deponi aut mutari nequit.

v. 13 « *Sin autem non potueritis solvere, vos dabitis mihi triginta sindones et eiusdem numeri tunicas. Qui responderunt ei : Propone problema, ut audiamus* ». v. 14 « *Dixitque eis : De comedente exivit cibus* », vel si placeat eandem utrimque radicem exprimere : De comedente exivit comestibile, « *et de forti egressa est dulcedo* ». Inter quae duo adiectiva desiderans antithesin *Syr.* vertebat *de amaro egressa est dulcedo* : infelicius sane, cum מרירא solam amaritudinem, non fortitudinem exprimat, neque leo apte dici queat amarus. Sed dicamus cum *Bonfr.* : « Hebraea vox proprie fortem significat, quamquam nihil vetet fortitudinem hanc intelligere cum quadam duritia et feritate coniunctam atque adeo immitem, cui in saporibus dulce opponitur ». עז designat *forte* in omni genere fortitudinis, ergo, ubi de sapore agatur, *acre*. Est igitur sufficiens antithesis inter *voces* עז et מתוק, licet non sit antithesis inter fortitudinem leonis et dulcedinem mellis. Ipsum enigma supponit, rarissimum tum fuisse eventum, ut mel inveniretur in ore leonis, et

argumentum suppetit contra eos, qui hunc eventum utpote inauditum respuunt. Verba *De comedente exivit cibus* satis obvio sensu de animali rapaci exponebantur ; etiam leonem dici *fortem*, nihil prorsus habet admirationis ; sed de hoc forti exire suavitatem mellis, id utique erat inauditum, et in hoc tota enigmatis solvendi difficultas consistebat. « *Nec potuerunt per tres dies propositionem solvere* ».

v. 15 « *Cumque adesset dies septimus, dixerunt ad uxorem Samson : Blandire viro tuo et suade ei, ut indicet tibi* », — ita etiam LXX ; *Hebr. Chald. Syr. ut indicet nobis*; sensus idem — « *quid significet problema : quod si facere nolueris, incendemus te et domum patris tui* ». Diem *septimum* legebant *Hebr. Chald. Vulg.* ; e contra LXX *Syr. quartum*, quod correctionem sapit a v. 15 suggestam, ubi priorum *trium dierum* habebatur mentio. Ergo tenenda et explicanda lectio *septimus*. Cum *Syr.* aliqui putavere, diem septimum hic non intelligi ultimum septidui nuptiarum, sed quartum, qui tum forte in sabbatum inciderit : verum id est praeter contextum sapitque nugam. Hinc alii defendunt, septimo nuptiarum die adiisse sodales uxorem. Verum si die dumtaxat septimo adierunt Samsonis uxorem, quomodo verum erit, quod habetur v. 17, eam septem diebus convivii ante eum flevisse, tandemque Samsonem die septimo importunitate vicisse ? Ubi *Bonfr.* defendit, sodales a primo quidem die uxorem precibus adiisse, sed septimo tandem die addidisse minas de domo comburenda. Ad quaestionem, quomodo mulier totis illis septem diebus fleverit, respondet *Bertheau* flevisse ex nativa curiositate, dein septimo die minis sodalium territam secretum extorsisse. Planissimam solutionem habet *Drus.* : verba *cumque adesset dies septimus* novam inchoant sententiam narraturam, quomodo septimo die sodales solutionem enigmatis invenerint ; at inchoata sententia auctor *parenthesi* subnectit v. 15 sq. a nobis plus quam perfecto vertendos, ac tandem v. 17 ad septimum diem revertitur. Ergo ita : Cumque advenit dies septimus (dixerant autem ad uxorem etc, quae fundebat apud Samson lacrymas etc), septem igitur diebus convivii etc.

« *An idcirco vocastis nos ad nuptias, ut spoliaretis* ? » Pro *kethib* הלא lege cum *keri, Chald.* הלם *huc.* « Ne autem ab dolosa sponsi sui circumventione abhorreret mulier, duas ipsius animo validas admoverunt machinas : unam *timoris*, quo facile corripi solent feminae, nam se et ipsam et paternam eius domum incensuros minati sunt ; alteram *dedecoris* ac *probri*, quod non viri modo, sed et mulieres fugitant maxime. Magnum, inquiunt, dedecus turpeque opprobrium est, per amicitiae honorisque speciem ad convivium ac nuptias aliquos invitare, ut suis ibi rebus spolientur » (*Ser.*). Nolim primarie cum *Keil* reprehendere avaritiam Philisthaeorum : gravius illi certe ferebant superari et ab Hebraeo superari, quam si

sexaginta illis vestimenta fuissent pendenda : sed mulierem urgent argumento dedecoris. v. 16 « *Quae fundebat apud Samson lacrymas* » — sensum expressionis *flere super aliquem* collige ex Gen. 45, 15, ubi Ioseph narratur flevisse super fratres, sc. illos amplexando — « *(et querebatur) dicens : Odisti me et non diligis* », — *Hebr. tantummodo odisti me,* et nihil in te est dilectionis ; quod sequenti argumento satis declaras — « *idcirco problema, quod proposuisti filiis populi mei, non vis mihi exponere. At ille respondit : Patri meo et matri nolui dicere, et tibi indicare potero* ? » Infirmius argumentum et vacillantis iam animi, cum intimius adhaereat maritus uxori quam parentibus. Debuit dicere : Nolo. « Porro satis est verisimile, patrem et matrem Samsonis non postulasse ab eo enigmatis solutionem » (*Bonfr.*). — Hic terminatur parenthesis v. 15 inchoata.

v. 17 « *Septem igitur diebus convii flebat ante eum* » — *Hebr.* uti v. 16 *super eum* —, « *tandemque die septimo, cum ei esset molesta, exposuit* ». Garrulitatem uxoris veritus erat Samson, non perfidiam ; tam brevi tempore rem non iri proditum confidebat ; id uxori merito concedi reputabat, ut brevi ante amicos secretum resciret ; sex dierum convivialis laetitia confidentem reddebat. Videtur autem die septimo mane Samson secretum prodidisse : illud tempus, quo coniuges diutius soli simul versantur, quoque maxime uxor querelis molesta esse potest. Interdiu affluentibus convivis non is querelis profundendis aut rei clam manifestandae erat locus. « *Quae statim indicavit civibus suis* ». Illi vero usque ad solis occasum, qui septimum diem finiebat (*Calm.*) quique extremus septidui terminus erat, loqui distulerunt, quo securior redderetur Samson quoque inopinatius frustraretur exspectatione.

v. 18 « *Et illi dixerunt ei die septimo ante solis occubitum* » : — *Hebr. antequam iret sol*, quod perperam LXX reddidere *ante solis ortum* — « *Quid dulcius melle, et quid fortius leone? Qui ait ad eos : Si non arassetis in vitula mea, non invenissetis propositionem meam* ». « Arare alterius vitula, hoc est alienae uxoris opera uti ad arcanum aliquod ab eo extundendum ; quamquam latius capi possit et extendi metaphora ad rem quamvis, quae alterius sit, qua quis utitur, ut ei vel noceat vel secretum aliquod eliciat. Itaque nihil hic turpe, quod aliqui faciunt, in illa aratione comminiscendum. Verum recte hic imprimis *vitulae* nomen usurpatum, quod ratione sexus et aetatis apte uxori iuvenculae congruit. Nomen etiam *arandi* usurpatum hic recte ; aratione enim proscinditur, sulcatur, evertitur terra et frequenter, quod intra terram abditum latebat, in lucem eruitur » (*Bonfr.*). « Sensus ergo est : Nisi fraudulenter per uxorem meam perfidam exquisissetis solutionem mei enigmatis, nunquam illud vestro acumine invenissetis »

(*Lap.*). — Ex eo, quod mulier postea uni pronuborum nupserit, nefas est inferre, cum eodem iam ante rem habuisse. Illud tamen cum *Calm.* concedere possumus, *arare* h. l. non solum esse *curiose exquirere*, sed generatim *abuti* : « Nisi abusi fuissetis uxore mea, nisi fidei connubii illa defuisset, nunquam commissum sibi arcanum violasset ».

v. 19 « *Irruit itaque in eum spiritus Domini, descenditque Ascalonem* ». Non agebatur spiritu divino, quando secretum prodidit, at eodem nunc rursum impellitur. Neque tamen ille impulsus unica erat ratio, cur potuerit Samson non iniuste Ascalonitas interficere. Opprimebant tum Philisthaei Hebraeos iniuste : ergo his licebat, ubi id impune facere poterant, illis damnum inferre. Quodsi Samsonem propter recentes nuptias Thamnathaeis specialius devinctum supponas, at non ideo Ascalonitis ; praeterea a Thamnathaeis iniuriam erat passus. Selectam Ascalonem putat *Bonfr.*, quod ibi esset eo praecise tempore aliqua solemnitas hominesque gestarent « vestes novas et splendidiores » : quae expositio tota nititur erroneo supposito, חלפת v. 12 esse vestes pretiosas. « *Et percussit ibi triginta viros, quorum ablatas vestes dedit eis, qui problema solverant* ».

Sed aliter *Hebr.* : *quorum tulit spolia, et pallia dedit eis, qui etc.* Non exprimi *sindones* v. 12, nullam habet difficultatem : « neque enim semper singula minute exprimit scriptura » (*Bonfr.*). Sed textus hebr. locum dat *Drusii* expositioni : « Apparet autem, quod eas exuvias vendiderit et ea pecunia compararit vestes mutatorias, quas dedit sociis suis ». Reapse dono dandae erant omnino vestes novae, vestes triginta virorum novae certe non erant omnes et quaedam fortasse certamine laceratae et conspurcatae. — Non s censendus Samson occi sse « in urbe palam et aperte nec diversis vicibus sed simul omnes » (M ech.). Nihil eiusmodi textus habet, neque res sic agi potuit, quin cum reliqua Philisthaea etiam Thamna in eum concitaretur. Dicamus igitur potius cum *Calm.* : « Samson cepit interfecitque triginta viros facile rusticos et e circumiacenti urbis agro, neque enim percrebruisse in vulgus fama eius necis videtur ». Recole Davidem 1 Reg. 27 continuo eos, qui Iudaei non essent, inopinato opprimentem simulque Achin inducentem, ut Iudaeos caesos existimaret. Hinc neque uno die Samson triginta virorum spolia asportavit, quod sine admiratione fieri vix potuit. Interemit modo unum modo alterum, uti occasio ferebat, tectus tenebris aut locorum solitudine : quodsi enim leones latere poterant occisi, cur non etiam homines, adiuvante maxime Dei providentia, cuius spiritu Samson agebatur ? Hinc etiam iterato Thamnatham rediit, nunc uni, nunc alteri sodalium donum afferens, domum tamen soceri non videtur adiisse, quare is 15, 2 putabat filiam a marito respui.

« *Iratusque nimis* » « et uxori suae, a qua nefarie proditus, et sodalibus, a quibus vafre circumventus fuerat, et civitati toti, a qua praetextu

honoris fuerant ei dati tales nuptiarum socii » (*Tir.*), « *ascendit in domum patris sui* », qui pridem exspectabatur cum uxore inter Philisthaeos sedem esse fixurus. Vituperat hominem *Cler.*, quod uxorem inter Philisthaeos reliquerit : num abducere per cognatos licuisset ? Praeterea illud sane ea egerat, ob quod merito in eam indignaretur maritus atque ad tempus ab ea secederet, cf. 15, 1. — v. 20 « *Uxor autem eius accepit maritum unum de amicis eius et pronubis* ». *Hebr. facta est amico eius, quem ipse sibi elegerat,* ergo pronubo, nymphagogo. Cap. XV v. 1 « *Post aliquantulum autem temporis, cum dies triticeae messis instarent, venit Samson invisere volens uxorem suam, et attulit ei hoedum de capris* ». « Tempus hoc notatur propter narratiunculam, quae sequitur de segetibus per immissas vulpes exustis » (*Bonfr.*). Habebatur ea messis mensibus fere Aprili et Maio.

Hebr. post dies, i. e. post aliquod tempus, quod non accuratius determinatur. Videtur brevius fuisse anno, cum non sit ratio statuendi, narrata cap. 14 etiam tempore messis obtigisse. — *Hebr. in diebus messis triticeae*, non cum illa *instaret* tantum.

« *Cumque cubiculum eius (solito) vellet intrare, prohibuit eum pater illius dicens* » : v. 2 « *Putavi, quod odisses eam* », — « vere enim digna erat odio Samsonis » (*Cai.*) — « *et ideo tradidi illam amico tuo. Sed habet sororem, quae iunior et pulchrior illa est, sit tibi pro ea uxor* ». « Verba produnt patris pavorem. Veritus Philisthaeos non audet Samsoni reddere uxorem ; veritus Samsonem filiam natu minorem offert » (*Zschokke*). ויאמר *Vulg.* vertit *vellet* i. e. cogitavit, LXX *dixit* : utroque modo vox verti potest, utrumque egit Samson. v. 3 « *Cui* » — reliqui *quibus* : sc. patrem loquentem alii eius familiae circumstabant — « *Samson respondit : Ab hac die non erit culpa in me contra Philisthaeos* », *Hebr. purus*, innocens *sum a Philisthaeis* (cf. Matth. 27, 24), « *faciam enim vobis mala* ». « Vobis imputate clades a me inferendas, non mihi » (*Lap.*). Iuste Samson, occasione iniuriae sibi illatae, genti Philisthaeorum inimicitias indixit, cum ob iniurias ab hac gente suis popularibus inflictas, tum ob instinctum divinum.

In sequenti de *vulpibus* narratione primum illud prae oculis habendum, quod iam scribebat *Cai.* : « non dicitur, quod omnes simul emisit » ; uti binas ceperat, ita binas colligabat, emittebat ; diversis e locis in diversos agros, hinc etiam diverso tempore emittebat. Non est necesse, ut cum *Ser.* operis ei plures socios assignemus, cum id in Samsonis historia peculiare sit, eum semper solum et sine sociis agere. Multo minus *Bocharto* assentimur Hieroz. I. 855 scribenti : « Potuit id per amicos facere, aut etiam Iudaeorum universae genti, cui praeerat, aut saltem tribui suae publicam vulpium venationem indicere ». Ad-

verte, Samsonem tum nequaquam a sua tribu fuisse agnitum iudicem. Dicunt, et merito quidem, vulpes difficilius capi : ubi tamen notandus *Ovid.* Fastorum III narrans, Romae quotannis medio Aprili vulpes in circo fuisse emissas, taedis ardentibus tergo affixis. Quod Romani praestitere, id non praestiterit Samson ? Cf. *Bochart.* I. 856 sq. — Ceterum hodie ab omnibus conceditur, שׁוּעָל, licet etiam designet *vulpem*, primarie tamen designare *canem aureum, le chacal.* Quae ultima vox reapse radice eadem est cum שׁוּעָל. Nec infirmatur assertio inde, quod Is. 13, 22; 34, 14 ; Ier. 50, 39 canis aureus ab ululatu vocetur אִי. Immo exinde, quod canis aureus solummodo ter et quidem in libris posterioribus hoc altero nomine veniat, iure inferimus, animal in Palaestina frequentissimum aliis locis praesertim librorum antiquiorum alio nomine exprimi oportere, i. e. שׁוּעָל. Canem aureum in Palaestina esse frequentissimum testimoniis viatorum etiam recentiorum stabilitur, quae videas apud *Vigouroux*, La Bible III. 357 sqq. Quandoque ducenti simul palantur, facilius capiuntur.

v. 4 « *Perrexitque et cepit trecentas vulpes, caudasque earum iunxit ad caudas, et faces ligavit in medio* ». — *Hebr. : tulitque faces, et vertit caudam ad caudam, et posuit facem unam inter duas caudas in medio.* Cur canes aureos selegit ? Quia plurimi erant, nec ita difficile capiebantur. « *Bestias* idem Samson huius incendii dissipatrices malui quam *homines*, quia et citius et minore cum Iudaeorum omnium vel invidia vel calumnia et detrimento voti fiebat compos » (*Ser.*). Vulpes ut quas in caudis cernerent flammas effugerent, in segetes se proiiciebant, huc illuc discurrebant, neque a propagandis incendiis facile desistebant ; ne aut cursu nimis rapido procederent aut in foramina abderentur, prohibebant caudae colligatae (*Bonfr., Lap.*).

Quod habet *Bonfr.*, vulpes faces erectas gestasse, ita certum non est ; neque, si aliter gestassent, necessario exstinguendae fuissent. Id enim pendet ex materia, e qua factae erant. Quam plerique cum *Cai.* censent fuisse lignum, et quidem picem exsudans, *Mar.* vero « materiam tenuem stipulis confertam seu ramusculis avide concipientibus flammam ». Caudas invicem ita insertas supponit *Clair*, ut nodum efficerent ; at ita vix nodus firmus et tenax effici potuit. Dicamus igitur cum *Ser., Lap.* fuisse caudas invicem adstrictas alio quodam ligamine, v. g. fune vel longiore vel breviore. Tandem de modo, quo Philisthaeorum agris ignis iniectus, audi *Ser.* : « Neque simul eodem tempore, neque ex eodem loco ac in eundem emissae videntur omnes (vulpes). Sed Samson magna usus prudentia ex opportuno loco unum vel duos emisit vulpium biniones, ex alio alium aut alios, et ita deinceps, cum in diversa se loca conferret ipse, uno fortassis alterove die. Nam alioqui se ipsas facile impedissent aut combussissent vulpes ». — Commode Samsonem comparat Gedeoni *Cassel* : hunc ex populo ad Deum converso in pugnam secuti sunt homines trecenti ; ille, populo nequaquam ad Deum converso, ex animalibus sibi socias adsciscit trecentas vulpes. Utrique faces hostium finibus inferunt.

v. 5 « *Quas igne succendens dimisit, (ut huc illucque discurrerent. Quae statim perrexerunt) in segetes Philisthinorum. Quibus succensis, et comportatae iam fruges et adhuc stantes in stipula concrematae sunt in tantum, ut vineas quoque et oliveta flamma consumeret* ». *Hebr. vineae olivarum*, quod merito interposita copula dissolvere versiones; sed non est necesse, cum *Calm.* copulam textui hebr. inserere, vites quippe olivis applicabantur, illis adhaerebant, ex illis dependebant, ut unum quid cum illis efficerent. *Hebr. : Et succendit ignem in facibus, et dimisit in segetes Philisthinorum. Et succendit ab acervis ad segetes stantes* (cf. Ex. 22, 5) *et ad vineas olivarum.* Omnia omnino destruxit.

v. 6 « *Dixeruntque Philisthiim : Quis fecit hanc rem ? Quibus dictum est : Samson gener Thamnathaei, quia tulit uxorem eius et alteri tradidit, (haec operatus est)* ». Recte iam *Ser.* exinde, quod tacito nomine proprio vir ille *Thamnathaeus* appelletur, conclusit incendium longe ultra fines Thamnathae esse propagatum. « *Ascenderuntque Philisthiim* », ii qui extra fines Thamnathae incolerent, imprimis sine dubio ipsi reguli » (*Ios.*), « *et combusserunt tam mulierem quam patrem eius* ». Eam igitur poenam tulit mulier, quam evasura 14, 15 secretum mariti prodiderat (*Zschokke*).

Quo impulsi motivo id egerint, disceptatur. Samson haud poterat supponi ei adhuc uxori amanter adhaerere, a qua cum summo ludibrio fuisset deceptus atque desertus : ergo non Samsonis odio movebantur Philisthaei (*Cer.*) eius uxorem comburentes. Sed neque iniuriam Samsoni illatam ulcisci intendebant (*Ser.*). Non novimus eos ulciscendarum iniuriarum Hebraeis illatarum tantopere fuisse sollicitos. Mirum videtur, eos tam graviter laturos fuisse Hebraei Samsonis uxorem alteri tributam, cum ipsi brevi post Hebraei non videntur 1 Reg. 25, 44 indignantius tulisse uxorem Davidis Michol alteri viro traditam. Ergo verius dicendum cum *Lap.*, combustam cum patre mulierem, « eo quod secundis suis nuptiis occasionem dederit Samsoni succendendi suas segetes ». Nihili penderant iniuriam Samsoni illatam; riserant, qui deceptum norant; damnum passi in furorem acti sunt, atque a Samsone quidem absente manus cohibere cogebantur, uxorem vero et socerum interemerunt.

v. 7 « *Quibus ait Samson : Licet haec feceritis, tamen adhuc ex vobis expetam ultionem, et tunc quiescam* ». Licet destructis iis, qui me deceperant, aliquam mihi, si non voluntate at utique re, praestitistis ultionem, hac tamen nequaquam mihi satisfactum est, neque ob eandem quiescam, sed mea ex vobis manu comparabo ultionem. Quod facit Samson v. 8.

Hebr. : Si facitis hoc, quia si ultus me fuero, postea cessabo. Sententia tribus constat incisis, e quibus posteriora duo, testibus *Masor.* Athnach claudentibus primum

incisum, *Chald.* כי אם vertente כד אלהן *tantummodo si*, intime inter se iungenda : nonnisi postquam me ultus fuero, cessabo. Quem sensum etiam habet *Vulg. : expetam ultionem , et tunc quiescam.* Quaestio ergo manet de primo inciso, quod aliqui sequentibus iungunt, alii ab iisdem seiungunt. Si iungatur, optime cum *Vulg. Syr.* prius אם vertimus *licet* habemusque sensum a Vulg. expressum. Alium sensum suggerit *Ser.* : putat Philisthaeos, ruina Thamnathaei nequaquam placatos, contra Samsonem ascendisse, ut ab ipso quoque poenam exigerent; quibus ille dixerit : Si hoc facitis, sc. si mihi manus violentas inferre conamini, tum non cessabo, nisi postquam manu mea de vobis ultus fuero. Hic sensus supponit factum a s. auctore haud commemoratum, sc. ea occasione Philisthaeos Samsonem adiisse. Praeterea bis in nostro contextu habetur vox זאת ; prima vice v. 6 refertur ad factum ante narratum, sc. incensarum segetum; ergo etiam altera vice v. 7 videtur referendum ad aliquid iam narratum ante, sc. incensam domum, non vero ad factum nullibi narratum. *Keil* אם vertit non *licet* aut *etsi*, sed *si* : Si tam rude et crudeliter agitis, atque in causa Thamnathaei et filiae fecistis, tum mihi reapse iustam causam praebetis, a vobis manu mea poenae exigendae. Translatio repugnat Hebraeorum de ulciscendis iniuriis placitis. Samsoni nulla erat ratio conquerendi de caede Thamnathaei; erat ea reapse ultio ipsi Samsoni concessa; neque facile poterat Philisthaeis ruditatem et crudelitatem obiicere Samson, qui modo ipse triginta viros interemisset. — Qui prius incisum a sequentibus seiungunt, aposiopesin aliquam adstruunt, quam ita *Vatabl.* explicat : « Si fecissetis tale quid initio, cum primum sc. adempta fuit mihi uxor mea, fuissem placatus ; sed nunc etc ». Posset etiam explicari ita : Quia hoc fecistis, existimatis mihi esse satisfactum : *nequaquam*, sed manu mea ulciscar. Quae expositio illud habet commodum, quod alias כי אם negationem, aut expressam aut implicitam, supponat, cf. v. g. 2 Reg. 13, 33. Loco aposiopeseos adstruit *Cler.* interrogationem : « Itane vos geritis ? Ego vero de vobis ultionem sumam ». Ut plurimum אם in solis interrogationibus disiunctivis usuvenit, rarius tantummodo in aliis, cf. 4 Reg. 1, 2.

v. 8 « *Percussitque eos ingenti plaga, ita ut (stupentes) suram femori (imponerent)* ». Quod explicat *Aug.* : « Inusitata locutio facit obscuritatem. Ita enim dictum est, ac si diceretur : Percussit eos valde mirabiliter, i. e. ut admirando stupentes tibiam super femur ponerent, tibiam sc. unius pedis super femur alterius, sicut solent sedere, qui mirando stupent ». Ille mos admirationis exprimendae utique non est universalis; insuper *Vulg.* duas voces *stupentes* et *imponerent* textui inseruit, quas ille primitus ignorabat.

In hoc textu exponendo hoc unum omnes concedunt, incerta esse omnia, firmum nihil. Hebr. : *percussitque eos, suram super femur, plagam magnam.* Sed quid *sura super femur*, cum in corporibus bene natis femur sit super suram ? *Kimchi*, tam suras quam femora Philisthaeis adscribens, ita dicit percussisse, « ut fugientes et cadentes crura et pedes illis. rint femoribus » : modus loquendi longius petitus atque nonnihil ludicrus is est; diceres *germ.* « Hals über Kopf ». Suram Samsoni cum Hebraeis quibusdam veteribus assignans *Cler.* et femur Philisthaeis, ait Samsonem penitus inermem, « crure femori impacto » unum post alium Philisthaeos percussisse *Chald. equites super pedites.* Alii praepositioni על tribuunt significationem *cum*

quam habet v. g. Gen. 32, 12; Ex. 12, 9; 35, 22 etc, et expressionem *suram cum femore* statuunt esse proverbium aliquod. *Vatabl.* : « tam in cruribus quam femoribus, h. e. vehementer atque acriter ». *Fürst* « omnino ». *Mar.* : « videtur proverbium, quo significabatur eos omni ex parte verberasse. Nos dicimus, a pedibus ad caput verberasse ». Et *Ew.* II 572 ita explicat : « Ictus in fugientem directus percutit femur; accedit alter ictus percellens suram fugientemque humi prosternens ». Dicamus cum *Cassel*, expressionem minus usitatam *sura cum femore* explicari altera planiore *plagam magnam.*

Samsonis de Philisthaeis victoria. — 15, 8-20

ARG. — Philisthaeis cum exercitu advenientibus a viris tribus Iuda vinctus traditur Samson, at disruptis vinculis et apprehensa asini maxilla hostes in fugam agit. Sitientem Deus miraculo reficit. Iudicis officio fungi incipit Samson.

« *Et descendens* » — codices hebr. plures pro ירד habent ילך *ivit*, consentitque *Syr.* — « *habitavit in spelunca* » — סעיף; *Chald.* שקיף *eminentia; Syr.* סחף — « *petrae Etam* », quae ex v. 9 erat in finibus Iuda eratque fortasse eadem, de qua 1 Par. 4, 3. 32; 2 Par. 11, 6. Eo secessit, « ne urbs, quam adiisset, ipsius causa periclitaretur, cum ille vellet suo se tantum periculo ac virtute tutari » (*Lap.*). v. 9 « *Igitur ascendentes Philisthiim in terram Iuda castrametati sunt in (loco, qui postea vocatus est) Lechi (i. e. maxilla), ubi eorum effusus est exercitus* ». *Hebr. : castrametati sunt in Iuda et se expanderunt* (cf. 1 Reg. 4, 2) *in Lechi.* « Significatur, Philisthaeos convenisse iam magno quidem numero, ut supra v. 7, sed non tumultuarie ac sine ordine : sed iusto cum exercitu, bellica disciplina, militari ordine (*Ser.*). Contraxerant autem exercitum, non ut caperent Samsonem solum, sed ut Iudaeos, ne illi foedere iungerentur, cohiberent. Quod et effecerunt. v. 10 « *Dixeruntque ad eos de tribu Iuda* », satis magno numero v. 11 sed pusillis animis congregati : « *Cur ascendistis adversum nos? Qui responderunt : Ut ligemus Samson, venimus, et reddamus ei, quae in nos operatus est* ». « Egregia offerebatur tribui Iuda opportunitas excutiendi iugi Philisthaeorum. Aderat insignis roboris et animi dux, hostis fusus aliasque sibi timens clades. Si nunc Iuda consurrexisset, Samsoni duci se iunxisset, bellum in nomine Domini indixisset, fracta esset Philisthaeorum potentia. Quid vero Iuda? Philisthaeis imminentibus terretur, cogit virorum tria millia, non qui Samsonem ducem sequantur, sed qui Philisthaeis eum se tradituros spondeant » (*Cassel*). v. 11 « *Descenderunt ergo tria millia virorum de Iuda ad specum silicis Etam* », ut sive volentem sive nolentem captivum ducerent, « *dixeruntque ad Samson : Nescis, quod Philisthiim*

imperent nobis? » De iugo Philisthaeorum excutiendo ne cogitant quidem : quid non sub tali duce egissent virorum tria milla? « *Quare hoc facere voluisti?* » *Hebr. Quare hoc fecisti nobis*? Nobis fecisti, quia nos iamiam poenas sumus laturi; loquuntur autem de iniuriis Philisthaeis ab eo illatis 14, 19 et 15, 4 sq. Ille ostendit, se nonnisi retributionis iure usum esse. « *Quibus ille ait : Sicut fecerunt mihi, sic feci eis* ». v. 12 « *Ligare, inquiunt, te venimus et tradere in manus Philisthinorum. Quibus Samson : Iurate, ait, (et spondete) mihi, quod non occidatis me* ». *Hebr. percutiatis*, sed intelligi percussionem lethalem v. 13 demonstrat; idem verbum sensum induit impingendi in aliquem, occurrendi ei : hinc LXX *occurratis*, minus apte. *Vatabl.* : « Ego sinam me ligari, modo iuretis mihi, quod tantummodo ligabitis me et non irruetis in me ». Cur non incitavit, ut secum Philisthaeos adorirentur? Quia Domini spiritus nondum irruerat in eum, eum ad id non impellebat; neque digni erant ipsi, qui ad operis Domini societatem adsciscerentur. v. 13 « *Dixerunt : Non te occidemus, sed vinctum trademus. Ligaveruntque eum duobus novis funibus et tulerunt eum de petra Etam* ». Volebant secure eum ligare et manibus tradere Philisthaeorum, quo certius ipsi ab omni eximerentur vexatione. « Ostenditur funium et numerus et novitas, ut magis elucescat miraculi, quod iamiam narrandum est, admirabilitas » (*Ser.*).

v. 14 « *Qui cum venisset ad locum maxillae* », — *ad Lechi*, i. e. ad locum, qui postea a facto maxillae nomen accepit, quod hic ei iam proleptice tribuitur, locus ceteroqui ignotus (cf. 2 Reg. 23, 11) — « *et Philisthiim vociferantes occurrissent ei, irruit spiritus Domini in eum et, sicut solent ad odorem ignis lina consumi, ita vincula, quibus ligatus erat, dissipata sunt et soluta* ».

Hebr. : et fuerunt funes, qui erant in brachiis eius, sicut lina — seu *stuppae* : utrumque hebr. vox significat; pluralis veluti secreta lini fila ideoque igni concipiendo aptiora exprimit —, *quae combusta sunt igne, et diffluxerunt vincula eius de manibus eius*. Ubi notat *Keil*, assurgere narrationem ad poeticum membrorum parallelismum, quo efficacius celebretur victoria a Samsone divini spiritus instinctu de Philisthaeis reportata. *Ad odorem* cum *Vulg.* habet etiam *Theodot.* et aliqua lectio LXX : videtur irrepsisse ex 16, 9.

v. 15 « *Inventamque maxillam (i. e. mandibulam) asini, quae iacebat, arripiens, interfecit in ea mille viros* ». Mirabatur iam *Ser.* illud Vulgatae interpretamentum : « Quid opus, latinum (*maxillam*) non ignotum exponere? et quidem per latinum aliud (*mandibulam*) nihilo certe notius, si tamen non ignotius? » Tamen illud interpretamentum omnes habent codices. — Maxillam *Hebr.* dicit טְרִיָּה, cui voci

significationem vindicant *recentem* seu *humidam*, et concordat *Syr.* « Ac sane oportuit maxillam, qua usus fuit Samson, minime fragilem esse ac proinde recentem, nam antiquiora ossa et nimium sicca fragilia sunt » (*Cler.*). *Vulg. quae iacebat* confer cum LXX ἐξεῤῥιμένον, *proiectam*, fortasse pro טריה legens טרוח (*Calm.*); טרח quippe saltem in lingua arabica proiiciendi significationem induit.

« Exaggeratum esse Samsonis factum, dum fando per hominum ora propagaretur, haud dubium » *Rosenmüllero*. Parcat scrupulo Ros., cum *Hebr.* non habeat *interfecit* sed *percussit* : percutitur autem quis, quando vel interficitur vel vulneratur vel fugatur (*Verc.*). Neque cum *Lap.* ad Dei virtutem recurrendum, « quae maxillam in suo robore conservavit, ut tot ictibus allisa duris corporibus non rumperetur ». Res terrore magis quam ictibus gesta est. Processerant Philisthaei securi, iubilantes, fortasse etiam inermes ; adversarium, quem unum pertimescebant maxime, firmiter ligatum cernunt ; cum ecce miraculo quodam vincula disrumpuntur, manus liberatae informe quoddam armorum genus prehendunt et agitant. Feriuntur primi, terga vertunt sequentes atque postremos secum in fugam abripiunt. Idque una effectum est mandibula non tam tergis impacta, quam ante oculos agitata. Quae ubi mox confracta atque inutilis facta est, frustra cum risu proiiciens Samson versiculum hostibus occinit : In maxilla asini percussi mille viros ! Similem omnino victoriam habes 1 Reg. 14, 14. 19, ubi Ionathan cum armigero solus inopinato suo adventu Philisthaeorum copias in fugam egit. — Numerum *mille* esse, quod dicimus, rotundum, quis dubitaverit ? Fortasse etiam, quod Philisthaei « in centuriis et millibus » 1 Reg. 29, 2 incederent, *mille viri* unam designant cohortem, cui praeesset chiliarchus.

v. 16 « *Et ait : In maxilla asini, in mandibula pulli asinarum delevi eos et percussi mille viros* », בלחי החמור חמור חמרתים בלחי החמור הכיתי אלף איש. In primo hemistichio evidens est lusus in tribus vocibus ab una radice חמר petitis. Si attendas ab ea radice, cuius sensus est *rufum esse*, dici חמור *asinum*, vertes ita : *In maxilla rufi* (i. e. asini) *rubicando rubicavi eos, in maxilla asini percussi mille viros.*

Tota difficultas est in verbis חמור חמרתים, quorum tres praecipue traduntur explicationes, secundum tres quae radici tribuuntur sensus.

Prima explicatio est *Masor.*, *Vulg.* ea verba ad nomen חמור revocantium ; tenentque *Ser.*, *Bonfr.* Tum hebraeum ita verti oportebit : *In maxilla asini, asini duarum asinarum, in maxilla asini percussi mille viros.* Cf. *Calm.* Sententia taedii plena est; et quid est *asinus duarum asinarum* ? Certe non sufficit *Castalionis* expositio, asinum asinarium dici eo modo, quo caprum caprinum, bovem bovinum. Reddenda manet numeri dualis ratio.

Syr. vertit *acervos acervavi ; Chald.* similiter *proieci eos acervos.* Significationem *acervi* adoptavere *Rabbini* et, post *Pagnin.*, *Cai.*, interpretes vix non

omnes. Igitur litera ח apud Arabes duplex est, durior altera, altera lenior. Radix חמר cum ח leni sensum habet *excandescere*, *rubrum esse* : hinc חמור *asinus*, a colore dictus. Radici חמר cum ח duro significatio competit *fermentare, spumare* : hinc Hab. 3, 15 חמר *fermentatio* aquarum, 1 Reg. 16, 20 חמור *mensura* solidorum, Ex. 8, 14 (10) et Iob. 27, 16 חמר *acervus*. Vertunt : *In maxilla asini unum acervum, duos acervos* sc. percussi; *in maxilla asini percussi mille viros*. Fingitur veluti Samson per medios hostes perrumpere, dextrorsum et sinistrorsum lethalem maxillam circumagere, utrobique mortuorum acervum prosternere, mille sc. virorum. Verum, cum 1 Reg. 16, 20 probati auctores חמור mendum esse pronuntient ex גמר, nota illa mensura, ruit explicationis alterum fundamentum. « Atqui semper mihi », scribebat *Malv.*, « vocis חמור *acervi* significatio suspectissima fuit, cum ea alibi fere non inveniatur ».

Tertia explicatio sequitur LXX : Ἐν σιαγόνι ὄνου ἐξαλείφων ἐξήλειψα αὐτούς, *In maxilla asini tingens tinxi eos* seu *cruentans cruentavi eos, gall.* « avec la mâchoire de maître Roux je les ai roussés », *germ.* « mit dem Kinnbacken des Rothen habe ich sie roth geroethet ». Huic sensui accommodatur textus hebr. sola punctatione mutata חָמוֹר חֲמַרְתִּים. Assentitur *Calm.* Hic sensus planus, novas radices et significationes non supponit, omnia ex eadem radice *rubrum esse* repetit. Ultimam vocem ut formam verbalem cum suffixo, et non ut dualem, iam intelligebat etiam *Chald.*

v. 17 « *Cumque haec verba canens complesset, proiecit mandibulam de manu et vocavit nomen loci illius Ramathlechi, (quod interpretatur Elevatio Maxillae)* ». Ubi *Vulg. canens*, ibi reliqui textus *loquens*. Unde orta est quorumdam opinio, verba v. 16 esse canticum aut cantici partem. Hinc v. 16 *cantici* exordium putavere *Lyr., Menoch.*; intercalarem versum *Abul.*; compendium quoddam *Cai.* : « Intelligo referri capita cantici : ut primum, quod sola maxilla asini; deinde, quod acervos virorum fugaverit; et demum, quod mille viros percusserit, cecinerit diffuse ». Sed haec fictitia. Breviusculis dystichis delectatur Samson, cf. 14, 14. 18.

v. 18 « *Sitiensque valde clamavit ad Dominum et ait : Tu dedisti in manu servi tui salutem hanc maximam (atque victoriam) : en, siti morior, incidamque in manus incircumcisorum* ». Sitis huius causa exantlatus fuit labor eumque consequens exhaustio (*Ser.*). Num forte semper Samson post inauditi roboris facinora immani cruciabatur siti, sicut ii non raro exhausti concidunt, qui spiritus sive boni sive mali extraordinarios passi sunt influxus? An hac vice tantum eam sitim immisit Deus, qua Samson ut relatae victoriae gloriam Deo disertis verbis concederet, moveretur? Illustre simul adstantibus Iudaeis dabatur documentum, unde ipsis Philisthaeorum oppressione exhaustis petendum levamen, sc. a Domino. Illud *incidam* intelligit *Cler.* « de

cadavere, nisi forte vertendum sit *aut incidam* »; nimium is premit voces *siti morior*, quae non de actuali morte sunt interpretandae, sed de ea virium exhaustarum conditione, quam mors post aliquantum temporis necessario consequatur, quaeque hominem reddat incapacem, ut se hostium e manibus eripiat.

v. 19 « *Aperuit itaque Dominus molarem dentem in maxilla (asini), et egressae sunt ex eo aquae* ». Verte *Et aperuit Dominus Pilam, quae est in Lechi.* In loco, qui modo nomen Lechi seu Ramathlechi acceperat, fecit Deus scaturire fontem aliquem in cavo petrae, pilae seu mortarii formam prae se ferente atque inde postmodum Pila, מכתש dicto.

אשר בלחי vertendum *quae est in Lechi*, loco sc. a maxilla nomen nacto; cavum dentis maxillae scribi oporteret מכתש הלחי vel מכתש בלחי (*Keil*). מכתש Prov. 27, 22 designat mortarium, pilam; Soph. 1, 11 nomen est proprium vallis cuiusdam clivis, uti videtur, ad instar mortarii cinctae. Mortarii nomen apte tribuitur cavitati cuidam rupis, in qua aquae colliguntur (*Vatabl.*). Ita certe intellexit *Chald.* : *et aperuit Dominus petram* (כיפא); *Ios.* « a petra quadam ». Dato tandem et non concesso, מכתש *mortarium* apud Hebraeos ad significationem *cavi dentis molaris* descendere, cuius rei nullum sufficiens habetur fundamentum, dicamus cum *Ghiringhello* (ap. Verc.) : « Cum tractus ille montuosus, ubi asini mandibula Philisthaei fuerant debellati, *elevatio* seu *collis maxillae* ob victoriae monimentum a Samsone dictus sit, eadem metaphora collis aut rupis cavum, unde subitus ille aquae fons scaturivit, *mortariolum* seu *dentis loculamentum* aut ipse aut eius aequales vocaverunt ». Cf. *Calm.*

« *Quibus haustis refocillavit spiritum et vires recepit. Idcirco appellatum est nomen loci illius Fons invocantis de maxilla usque in praesentem diem* ». *Hebr. Fons invocantis, qui est in Lechi usque etc.* Explicat *Chald.* : *fons, qui concessus est orationi Samsonis.* v. 20 « *Iudicavitque Israel in diebus Philisthiim*, i. e, « imperantibus Palaestinis toto tempore illius » (*Vatabl.*), « *viginti annis* ». Hi anni sunt ex numero illorum « quadraginta », quibus imperavere 13, 1 Philisthaei. Ab hac igitur victoria coepit Samson iudicis munere fungi iudexque agnosci. Quid illis viginti annis egerit, non edocemur, iis exceptis, quae cum eius interitu fuere connexa. Cf. quae diximus n. 41.

6) *Samsonis interitus.* — *Iud.* 16, 1-31

Arg. — Qui tot hostes in fugam egerat, a mulieribus ipse circumventus est. Gazae domum meretricis ingressus, media nocte e periculo se proripuit urbisque portas in proximum montem delatas reliquit. Ab altera muliere sui roboris secretum interrogatus ter quaestionem elusit, quarto secretum prodidit. Tondetur dormientis coma, expergefactus liga-

tur, luminibus orbatur, frumentum in carcere molere cogitur, tandem ad celeberrimum Dagonis festum Gazae ludibrio producitur. At renasci iam coeperant crines, revixerat fides invocataque Dei ope duabusque, quibus aedificium innitebatur, concussis columnis ipse cum Philisthaeis plurimis obrutus periit.

Cap. XVI v. 1 « *Abiit quoque in Gazam* » (cf. 1, 18), urbem Philisthaeorum munitissimam, « Philisthaeos despiciens » (*Ios.*), ad dispiciendas fortasse urbis munitiones, qua postea facilius potiretur. Rem palam actam esse non crediderim ; facilius latere poterat Samson, utraque gente eodem utente vestitu ; domum meretricis ideo etiam ingressus censeri potest, quod alio se sine suspicione recipere posset nusquam. Divinus tamen spiritus in ingressu urbis non commemoratur, ut praesumptio quaedam intercessise videatur. « *Et vidit ibi mulierem meretricem, ingressusque est ad eam* ». Frustra cauponariam interpretari conati sunt *Rabbini.* Vox hebr. solam meretricem sonat, item latina, graeca, syriaca. *Chald.* פונדקיתא *cauponariam* quidem sonat, sed teste *Levy* in Targumim solummodo ad designandam *meretricem* adhibetur. Ceterum « verba satis indicant, non venisse eo Samsonem animo turpi et libidinoso, sed oblata dumtaxat occasione et incaute in mulierem meretricem coniectis oculis meretricis captum amoribus fuisse » (*Bonfr.*).

v. 2 « *Quod cum audissent Philisthiim (et percrebruisset apud eos), intrasse urbem Samson, circumdederunt eum, positis in porta civitatis custodibus, et ibi tota nocte cum silentio praestolantes, ut facto mane exeuntem occiderent* ». Cur in portis seu potius « ante portas » (*Ios.*) struxere insidias, et non potius circa domum meretricis ? Tantus omnes obtinebat viri terror, ut nemo auderet cum illo cominus congredi, sed armati delituere in solario unius turrium, in quibus erant portae civitatis, ut eum mane periculi incurium egredientem eminus sagittis aut deiectis saxis opprimerent. Portae noctu semper claudebantur, sed mane fuissent apertae, quo securius ipse egrederetur. Ubi autem is visus est porta humeris imposita egredi, et telis coniiciendis non linquebatur locus et rei admiratio Philisthaeos, quominus quidquam in eum agerent, prohibuit.

Initio textus hebr. cum *Houb.* inserendum ויגד, quod omnes legebant versiones; secus haberetur ellipsis durior et a genio linguae abhorrens. Quis civibus indicavit? an forte mulier illa? semper quippe a mulieribus proditus Samson. — *Hebr. : et circumdederunt,* supple ex sequenti verbo *eum*, i. e. domum in qua erat, *et insidiati sunt ei tota nocte in porta civitatis, et silentio se continuerunt tota nocte, dicentes : usque ad lucem* — supple *exspectabimus*, seu cum *Vulg. exibit* — *et occidemus eum.* ויתחרשו *Keil* explicat, ut custodes dormierint : sed ea vox, uti quas adhibent versiones, non somnum exprimunt sed silentium, immo *Syr.* לחש mussitare, submissa voce loqui.

v. 3 « *Dormivit autem Samson usque ad medium noctis, et inde consurgens apprehendit ambas portae fores cum postibus suis et sera, impositasque humeris suis portavit ad verticem montis, qui respicit Hebron* ». Ita recte vertitur על פני, quod solam itineris directionem (cf. Gen. 18, 16), non longitudinem designat. Ergo non est exaggeranda eius montis a Gaza distantia : potius censendum, Samsonem proximum omnino urbi montem elegisse, cum ut Gazaei suarum portarum aspectu lacesserentur, tum ne sibi onus aequo longius esset portandum. Egredientem urbe non parum iuvit mediae noctis tempus, ut custodes supra murum dispositi non satis, quid fieret, perspicerent neque per tenebras discedentem persequi auderent (*Bonfr.*). — Reliqui *apprehendit fores portae urbis duosque postes, et evellit ea cum sera.*

v. 4 « *Post haec amavit mulierem, quae habitabat in valle Sorec, et vocabatur Dalila* ». Vallis secus in scriptura non nominatur, fortasse nomen acceperat ab excellentibus vitibus, quae Gen. 49, 11 ; Is. 5, 2 ; Ier. 2, 21 שרק dicebantur. *Hier.* in locis hebr. : « Usque hodie ad septentrionalem plagam Eleutheropoleos vicus ostenditur nomine Capharsorec, iuxta villam Saraa, unde et Samson fuit ». — Disputant auctores fueritne Hebraea (*Cai.*) an Philisthaea (*Ios.*), uxor (*Rabbini*) an meretrix (*Bonfr.*). Sane fiducia, qua Philisthaeorum reguli eam mulierem adeunt, Philisthaeam prodit, uti et modus despectum et odium redolens, quo eadem v. 19 cum Samsone agit. Praeterea, « meritricium nescio quid in historia tota subolet » (*Ser.*). Non tam fidenter principes adiissent uxorem. Non tam facile in uxoris domo iterum atque iterum latuissent Philisthaeorum haud pauci. Plura vide apud *Ser.*

v. 5. « *Veneruntque ad eam principes Philisthinorum* », quinque illi, de quibus Ios. 13, 3 et 1 Reg. 6, 16, « *atque dixerunt : Decipe eum* », — est eadem vox, quae 14, 15 vertebatur « blandire ei » — « *et disce ab illo, in quo habeat tantam fortitudinem, et quomodo eum superare valeamus et vinctum affligere* ». *Hebr. et ligabimus eum, ut affligamus eum.* Verbum *affligendi* generaliorem quemdam habet sensum, non distinctius exprimens, quod genus poenae ipsi intenderent infligere Samsoni. Ita facilius ad eum tradendum inducebatur mulier. « Credebant magica nescio qua arte Samsonem sibi tantum robur comparare » (*Cler.*). « *Quod si feceris, dabimus tibi singuli mille et centum argenteos* », ergo universi 5500 siclos i. e. Kg. 80·025 argenti, seu 250 077 fr. Sed *Bertheau*, comparatione facta cum 17, 2, non improbabiliter coniicit expressionem *mille et centum* idem sonare, quod *mille et amplius* : tum 5000 sicli aequarent Kg. 72·75 et 227 343 fr., magnum sane argenti pondus quodque demonstrat, quanto Samsonis terrore tenerentur universi Philisthaei. Reguli vero « tum auctoritate, domina-

bantur enim Palaestini Hebraeis, tum magnitudine pecuniae, tum levitate mali, quod comminabantur inferre Samsoni, non enim eum emebant ad occidendum aut vulnerandum, sed ad affligendum, facile muliebrem animum corruperunt » (*Cai.*). v. 6 « *Locuta est ergo Dalila ad Samson : Dic mihi, obsecro, in quo sit tua maxima fortitudo et quid sit, quo ligatus erumpere nequeas* ? » Ita non infeliciter *Vulg.* circumscribit *Hebr. et in quo ligeris ad afflictionem tuam.* « Prodiderat Thamnathaea Samsonem aut terrore aut patriae amore compulsa, prodit avaritia Dalila » (*Zschokke*). Sane compendio solum h. l. traduntur Dalilae verba. Cf. *Ser.*

v. 7 « *Cui respondit Samson : Si septem nerviceis* » (cf. *Verc.*) « *funibus necdum siccis et adhuc humentibus ligatus fuero, infirmus ero* » *et ero* « *ut ceteri homines* ». Cum hi funes a funibus lineis v. 11 (עבתים) nomine distinguantur, non inepte *Vulg.* LXX cogitavere de nervis animalium, dum vincula viminea *Rabbinorum* mera sunt coniectura etymologica. Samson enuntiat tamquam conditionem omnino necessariam, ut ii funes sint recentes; hinc eam conditionem duplici voce exprimit *humentes, qui non sunt sicci.* « Fraudem intellexit Samson », exclamat *Cler.*, « ideoque artem arte delusit ». Melius *Bonfr.* : « Mulierem in petendo molestam et importunam dolosa et mendaci responsione a se avertit; sed ut suae responsioni veri speciem affingat, certas conditiones et circumstantias requirit, ex quibus verisimilitudo nascatur ». « Cur vero non respondet mulieri? Debuit tum deserere meretricem, quod nolebat ipse » (*Zschokke*).

v. 8 « *Attuleruntque ad eam satrapae Philisthinorum septem funes, ut dixerat; quibus vinxit eum* », — *ut* intellige *quales*, nam *Hebr.* repetit conditionem *humentes, qui non erant sicci* — v. 9 « *latentibus apud se insidiis (et) in cubiculo (finem rei exspectantibus); clamavitque ad eum : Philisthiim super te, Samson. Qui rupit vincula, quomodo si rumpat quis filum de stuppae (tortum putamine), cum odorem ignis acceperit; et non est cognitum, in quo esset fortitudo eius* ». Improbabiliter asserit *Cassel*, Dalilam funes palam adhibuisse atque a Samsone veniam petiisse, ut se ligari pateretur. Quid tum iuvasset clamare : « Philisthiim super te »? Dormiens igitur ligatus est Samson. Gravis somnus, quo ea omnia agi potuere in Samsone : num forte suspicari licebit, eum, qui Dei praecepta flocci faceret, virum etiam nazaraeatus votum iam neglexisse atque meretriciis compotationibus inebriari consuevisse?

Putamina alicuius rei ea sunt, quae tamquam inutilia abiiciuntur : ergo *stuppae putamen* est stuppa abiectanea. Vox in *Hebr.* desideratur, sed respondet ei, quam

expressit LXX ἀποτινάγματος, itemque *Theodotion*. De Vulg. ad h. l. variantibus lectionibus cf. *Verc*. — *Hebr. cum illa* (stuppa) *odoratur ignem* : odorem etiam exprimunt *Vulg. LXX Syr*. Sed *Chald*. pro בהריחו videtur legisse בהאריחו, *cum illam pervadit ignis*, quae lectio solidam habet probabilitatem.

Dalila a proposito nequaquam deterrita secundo Samsonem tentat. v. 10 « *Dixitque ad eum Dalila : Ecce illusisti mihi et falsum locutus es : saltem nunc indica mihi, quo ligari debeas* ». *Hebr. Ecce lusisti mecum* : ipsa se non offensam conqueritur, sed delusam, quo sibi ius quoddam acquisivisse videtur veritatis nunc tandem addiscendae. v. 11 « *Cui ille respondit : Si ligatus fuero novis funibus, qui nunquam fuerunt in opere* », — rursum conditionem, quam fingit necessariam, duplici effert expressione ; debent funes esse novi, nullo ante usui applicati ; videtur igitur Dalila factum 15, 13 ignorasse, quo Samson novos funes disruperat — « *infirmus ero et aliorum hominum similis* ».

Si ligando ligaverint, « i. e. diligenter et exacte » (*Vatabl.*). — עבתים, eadem vox quae 15, 13 ; ubi *Amama* : « Ascendit Samson a funibus Samsoni constringendo minus idoneis ad magis validos. Hoc ostendit vox hebr. qua hic utitur Samson, quae vox est a themate עבת, quod significat *contorsit* contorquendoque condensavit. עבות ergo erit funis tortilis seu contortuplicatus adeoque densus ». Sed contorqueri possunt funes tam tenuiores quam crassiores ; et *Calm*. advertit, eadem voce Ex. 28, 14. 24 designari aureas rationalis catenulas. Ergo verius *Ros*. : « עבתים quo discrimine distincti fuerint a יתרים et חבלים, hodie vix quisquam definiat ». — *Novos* exigi funes putabat *Cler.*, « ne forte triti viderentur minuereturque specimen virium, quod edere cupiebat Samson inspiciente Dalila ». Vix ea erat ratio : sed sicut res novae facilius cultui divino adhiberi consueverant, ita funibus novis facilius affingi poterat vis quaedam magica, qualem Dalila et Philisthaei exquirebant.

v. 12 « *Quibus rursum Dalila vinxit eum et clamavit : Philisthiim super te, Samson ! in cubiculo insidiis praeparatis. Qui ita rupit vincula quasi fila telarum* ». v. 13 « *Dixitque Dalila rursum ad eum : Usquequo decipis me et falsum loqueris? ostende, quo vinciri debeas. Cui respondit Samson : Si septem crines* », seu potius *cincinnos*, « *capitis mei cum licio plexueris et clavum (his circumligatum) terrae fixeris, infirmus ero* ».

Ἅπαξ λεγόμενον מחלפות non immediate significat *crines* : mire quippe *omnes crines* (*Cai.*) redderentur expressione *septem crines* cum articulo, ergo septem determinati crines. LXX *Chald*. intellexere *cincinnos*, crines sc. ad instar funium contortos ; *gall*. « tresses », *germ*. « Zoepfe ». Omnis igitur Samsonis caesaries, quae longissima erat et abundantissima, in septem cincinnos gestabatur collecta. — Ἅπαξ λεγόμενον מסכת a נסך *texere* recte *Vulg. LXX Syr*. vertunt *licium*, non *liciatorium* (*Chald.*). « Porro quod Hier. licium dixit, si proprie capiatur, est textorum filum, quod primum et ante omnia secundum longitudinem disponitur, cui deinde subtemen seu trama radio percurrente transversim inseritur et coaptatur. Hebraice est מסכת,

quod plerique volunt significare *pectinem* vel *radium*; alii significare volunt *iugum liciatorium*, cui iam contexta tela obvolvitur. Sed nescio, qui vel radius textorius vel iugum illud ad crinium colligationem usurpari potuerit. Alii igitur hanc difficultatem praevidentes non ipsum iugum, sed *telam iugo circumvolutam* accipiunt. Verum nec illa ad cincinnorum colligationem valde accommoda est; nisi in vittas parvulas concidatur. Et hi omnes divinare mihi videntur » (*Bonfr.*). Sane cum cincinni *cum* illo מסכת plectendi dicantur, hac voce *licium* designatur seu filum, quod et ipsum plectitur : instrumentum enim aliquod plectendi praepositione non עם sed ב efferretur. — יתד uti alias *clavum, paxillum* designat, quo iugum liciatorium, ex quo licium dependebat, sive humi iacens sive ad parietem applicatum figebatur, ut immotum perseveraret; duo clavi uni adhibebantur iugo. Priorem, quo figeretur liciatorium, modum prae oculis habebat *Vulg.* suppleta voce *terrae*, alterum LXX suppleta voce *ad parietem*. Utrumque modum ex monumentis aegyptiacis depictum habes apud *Vigouroux* l. c. III. 369. — Textus, qualis hic et v. 14 apud *Hebr. Chald. Syr.* prostat, certe est mancus : *Si septem cincinnos capitis mei cum licio plexueris : et fixit clavo, et dixit ad eum.* Integer textus erat : *Si septem cincinnos capitis mei cum licio plexueris et fixeris clavo* liciatorium cum licio, *infirmus ero et ero sicut alius homo. Et factum est, dum dormiret ipse, sumpsit Dalila septem cincinnos capitis eius plexuitque cum licio et fixit clavo. Et dixit ad eum.* Quem integrum textum praeservavit LXX. Reliqui ab uno בִּיתֵד ad alterum transiliere. *Vulg.* id, quod in suo textu hebr. evidenter excidisse sentiebat, secundum sensum supplevit *infirmus ero. Quod cum fecisset Dalila.*

Priora tria responsa a Samsone Dalilae data non sunt arbitrarie selecta, sed quasi totidem aenigmata veram responsionem adumbrant. Robur in crinibus erat (modo infra explicando), crines gerebantur in cincinnos seu funes collecti, erantque intacti adhuc, recentes, usui novaculae nondum inservierant; ligandus erat Samson suis ipse crinibus, i. e. illis praecisis vinculis mancipandus. Iam primo responso Samson se affirmat ligandum *funibus recentibus*, iisque *septem*, qui numerus erat cincinnorum eius. Altero responso clarius exprimit illud *recentibus*, suggerens funes, *qui nunquam fuerint in opere.* Tandem tertio responso *crines* nominat, sed modum, quo crinibus sit perdendus, dissimulat : fingit se illis contexendis, non praecidendis ligandum esse. Cf. *Cassel.* Iste modus rei aenigmatibus adumbrandae omnino Samuelem sapit, qui aenigmatibus et acute dictis delectaretur. Simile a texendi opere nequaquam longius petebatur, quod Dalila supponi queat ejusmodi operi domi suae incubuisse.

v. 14 « *Quod cum fecisset Dalila, dixit ad eum : Philisthiim super te, Samson! Qui consurgens de somno extraxit clavum* » *textoris* « *(cum crinibus) et licio* ». v. 15 « *Dixitque ad eum Dalila : Quomodo dicis, quod amas me, cum animus tuus non sit mecum? Per tres vices mentitus es mihi et noluisti dicere, in quo sit maxima fortitudo tua* ». v. 16 « *Cumque molesta esset ei et per multos dies iugiter adhaereret, (spatium ad quietem non tribuens, defecit anima eius) et ad mortem usque lassata est* ». « Hyperbolico sermone describitur lassitudo animi usque ad mortem » (*Cai.*).

Quanta fuerit ea molestia, pluribus demonstrat *Ser.* Primum accusatur Samson, quod eam, quam se amare toties tamque ardenter professus sit, re non amet, cum omnia intima pandere recuset. Dein, quod ter unicam rem rogatus ter amatam deceperit. Eae querelae iterabantur *omnibus diebus* (*Hebr.*) erantque taedii plenae, tum quod ipsa continuo molesta esset et premeret, tum quod ipse summopere per haec lassaretur. Querelis autem continuo iungebantur blanditiae.

v. 17 « *Tunc aperiens veritatem rei dixit ad eam : Ferrum nunquam ascendit super caput meum, quia nazaraeus (i. e. consecratus) Deo sum de utero matris meae. Si rasum fuerit caput meum, recedet a me fortitudo mea et deficiam eroque sicut ceteri homines* ». Ex his utique patet, quod etiam aliis pluribus efficitur, hoc donum roboris in Samsone fuisse omnino praeter naturae vires. Quomodo autem illud cum coma connectebatur ? Somniatur *Ios.* affirmans, fuisse illud in tantum augendum, in quantum cresceret coma, ut pro longitudine caesariei crescerent vires : sane tenuis erat v. 22 caesaries, quando totam domum subvertit Samson. Dicendum cum *Ser.* : « Erat in Samsonis capillo robur *tamquam in signo* gratiae huius gratis datae, seu in symbolo mutui cuiusdam inter ipsum ac Deum *foederis,* quod erat, ut Samson Dei servus esset ac nazaraeus istamque servitutem et cultum prae se semper ferret ac exteriore prolixorum crinium nota profiteretur : Deus vero ei adesset eique corporis vires daret ingentes, quae in eo tamdiu manerent et vigerent, quamdiu crinitum illud religionis insigne gereret ». Cf. *Lap., Menoch.* Deus se quodammodo obligarat, ne invito et innocenti comam praecidi permitteret ; sed Dei item providentia factum est, ut arcano nefarie prodito « Samson ob praecedentia peccata et libidines a Deo desertus puniretur ; quamquam et hoc ipsum Deus in Philisthinorum calamitatem converterit, edita a Samsone in morte eorum strage maxima » (*Bonfr.*). — Ad quaestionem num, si Samson in alio quodam a nazaraeorum legibus defecisset (puta in bibendo vino), robore privatus esset, respondeas, quantum ex s. textu colligi potest, non fuisse privandum, cum et ipse h. l. unice comae meminerit et angelus 13, 5 ex variis nazaraeorum legibus solam comam nutriendam disertis verbis inculcaverit.

v. 18 « *Vidensque illa* » « ex ratione et vultu, quo Samson rem declararat » (*Cler.*), facile enim eiusmodi perspiciunt mulieres, « *quod confessus ei esset omnem animum suum, misit ad principes Philisthinorum ac mandavit : Ascendite adhuc semel, quia nunc mihi* » — pro *kethib* לה sume *keri* לי, cui suffragantur codices hebr. boni et multi et versiones omnes — « *aperuit cor suum. Qui ascenderunt assumpta pecunia, (quam promiserant)* ». v. 19 « *At illa dormire eum fecit*

super genua sua (et in sinu suo reclinare caput), vocavitque tonsorem et rasit septem crines eius », vel potius *cincinnos*.

Hebr. vocavit *virum* האיש, cum articulo. Hinc *Bertheau* illum, qui v. 9. 12 narratur in insidiis adfuisse : at perperam is unicus fuisse supponitur, cum haud liceat dubitare, Philisthaeos numero plures Samsoni tetendisse insidias. *Vulg. Syr.* et aliqua lectio LXX vertunt *tonsor*; ubi dubium movet *Calm.*, fuerintne inter Hebraeos tonsores, cum ii barbam radere non consueverint. *Tonsorem* h. l. possumus intelligere non eum, qui tondendis crinibus continuam navaret operam, sed cui pro hac vice condictum fuerat, ut ad tondendos Samsonis crines praesto adesset; האיש, ille certus homo, cui fuerat condictum. — Verbum hebr. est femininum, hinc *Calm.* : « ipsa per se mulier comam abrasit »; melius *Bonfr.* : « ipsa per tonsorem; et vero moraliter id facimus, quod curamus iubemusque fieri ».

« *Et coepit abigere eum* » — v. 5. 6 idem verbum *affligere* vertebatur; sensum explicat *Vulg.* sequenti addito — « (*et a se repellere*), *statim enim ab eo fortitudo discessit* ». *Coepit*, i. e. ipsa prima repulit, afflixit, forte in faciem percussit, et ita Philisthaeis prope delitescentibus animos addidit, ut palam progrederentur. Ultimum incisum quomodo cum reliquis connectatur, non est ita clarum. Si construatur plus quam perfecto (*discesserat enim ab eo fortitudo eius*), quod recidit in *Vulg.*, at ille fortitudinis discessus ante v. 20 narranda sciri non poterat. Melius hoc incisum iungas sequentibus, ut, postquam v. 19 acta Dalilae narravit, v. 20 narret ea, quae in ipso Samsone acta fuere : ubi s. auctori utique primum commemorandus erat recessus spiritus divini tamquam effectus omnium potissimus, licet eius sibi Samson non illico conscius fuerit. v. 20 « *Dixitque : Philisthiim super te*, *Samson! Qui de somno consurgens dixit (in animo suo) : Egrediar*, *sicut ante feci, et me excutiam* » — *Vatabl.* « a Philisthaeis »; minus feliciter *Syr.*, *Calm.* « a vinculis », nam vinctus esse hac vice Samson non refertur. Hinc etiam *egrediar* melius intelligitur ad pugnam contra Philisthaeos suscipiendam, quam « egrediar illaesus » (*Bertheau*) aut « egrediar e periculo » (*Keil*) — « *nesciens*, *quod recessisset ab eo Dominus* ». Modo dicebatur *fortitudo* recessisse : ergo *Dominus* eius fortitudinis auctor.

v. 21 « *Quem cum apprehendissent Philisthiim, (statim) eruerunt oculos eius* ». En afflictio, quam v. 5 se ei illaturos edixerant. « *Et duxerunt Gazam vinctum catenis* » (cf. 2 Reg. 3, 34) — secundum *Hebr.* prius Gazam ducitur, ibi dein vincitur — « *et clausum in carcere molere fecerunt* ». Is labor erat servorum et feminarum, cf. Ex. 11, 5 : « a primogenito Pharaonis, qui sedet in solio eius, usque ad primogenitum ancillae, quae est ad molam ». Etiam alias captivi leguntur ei operi esse attributi : *Odyss.* VII. 103 ; *Sueton.* Tiber. 51 ; Is. 47. 1 sq.;

Thren. 5, 13. Domus quaeque suam habebat molam et singulis diebus frumentum molebat, panes pinsebat. Mola constabat duobus lapidibus molaribus rotundis superpositis, catillo et meta, רכב et פלח תחתית. Grana foramine, quod in medio catillo erat, immittebantur et inter utrumque lapidem molebantur. Lapis superior duobus insertis ligneis paxillis huc illucque manibus vertebatur, farina in subiecta tela colligebatur. Eius generis molendina etiamnum in Palaestina usu venere. Cf. *Vigouroux* l. c. 370 sqq. Gazam prae aliis urbibus ignominia v. 3 affecerat Samson: ibi igitur maior Philisthaeorum et idolorum triumphus Hebraeorumque dedecus (*Ser.*).

v. 22 « *Iamque capilli eius renasci coeperant* ». Addit *Hebr.* כאשר גלח. Quod vertit *Vatabl.* « ut erat, quando rasus fuit »; tam longi erant ac, quo tempore radebatur. Id vero inepte exprimeretur verbo *germinare coeperant*, neque tres menses (*Ser.*) ad id suffecissent. Melius igitur *Chald. Syr.* vertunt *postquam rasus est*, seu distinctius *Keil* « ubi primum rasus est »; et sufficit cum *Abul.* concedere unum mensem, vel etiam minus. Festum v. 23 reapse videtur institutum ad celebrandam brevi ante de Samsone partam victoriam. Eo etiam intervallo « factum est, ut accedente poenitentia et oratione denuo disponeretur ad recuperandum donum fortitudinis, quod imprudentia sua amiserat et quo amisso in summam calamitatem venerat » (*Bonfr.*). Nihil autem habemus, quo defendamus, *debuisse* renascente caesarie donum illud fortitudinis redire: quin immo v. 28 Samson, ut illud sibi « reddatur », petit. v. 23 « *Et principes Philisthinorum convenerunt in unum, ut immolarent hostias magnificas Dagon* » (cf. quae diximus ad 1 Reg. 5, 2) « *deo suo et epularentur* » — *Hebr. et laetarentur,* sc. epulo — « *dicentes : Tradidit deus noster inimicum nostrum Samson in manus nostras* ». Censent *Ser., Bonfr., Menoch.* aliique, hoc festum habitum esse in honorem capti Samsonis, eaque reapse opinio haud exiguam habet probabilitatem. Etenim v. 22 ostendit, festum habitum esse brevi post captum Samsonem, verba principum et populi evincunt recentem tum adhuc fuisse eius victoriae memoriam, veri simillimum est in honorem tantae victoriae aliquod habitum esse sacrificium et epulum, et quidem maxime solemne, quale h. l. narratur. « Quamquam fieri potuerit, ut idem quotannis dies recurrens solemnitatem et panegyria afferret, sed eo anno captus Samson valde festivitatem auxerit, ita ut tota solemnitas eum eiusque captivitatem spectare videretur, conversis ob eam rem omnium studiis ad gratiarum actionem, hilaritatem publicamque laetitiam » (*Bonfr.*). v. 24 « *Quod etiam populus videns laudabat deum suum eademque dicebat : Tradidit deus noster adversarium nostrum in manus nostras, qui delevit terram nostram et occidit plurimos* ».

Hebr. et vidit ipsum (masc.) *populus*. Unde quaeritur, quemnam viderit populus. Samsonem, inquit *Ros.*, at ex v. 25 Samson tum adhuc erat in carcere et a conspectu populi remotus. Posset quis utique coniicere, v. 24 primitus post v. 25 esse scriptum; sed cum inversi postmodum versuum ordinis nullum in codicibus aut versionibus exstet vestigium, ea coniectura ut audacior erit repudianda. Dantur exempla in antiquioribus maxime V. T. libris generis masc. pro latinorum neutro adhibiti : unde eiusmodi exemplum etiam h. l. erit statuendum, licet is vocis אתו usus aliunde confirmari nequeat, eritque cum *Vulg.* vertendum *quod*.

v. 25 « *Laetantesque (per convivia, sumptis iam epulis)* » — *Hebr. et cum hilare factum est cor eorum*; id non in sacrificio v. 23, sed in epulis sacrificalibus factum esse, per se patet — « *praeceperunt, ut vocaretur Samson et ante eos luderet* ».

Duo verba piel שחק et צחק sensum induunt ridendi, iocandi, saltandi, ludendi (sed lusus musicus adnexam habebat saltationem). *Chald.* vertit *iocari*, *Syr. saltare*, LXX παίζειν ; *Vulg.* 1 Reg. 18, 7 et 2 Reg. 6, 5 *ludere*, sed nota ib. lusum adnexam habuisse saltationem. Num ergo illum saltasse coram Philisthaeis affirmabimus ? Noluerim id absolute negare; potuit id facere, quo certius recuperatae vires et animus Philisthaeos laterent, quo securius postea permitteretur columnas quietis capiendae praetextu adire. Ast aliis id non placet. « Inducere in animum non possumus », inquit *Calm.*, « Samsonem ludicra et mimica exercuisse ad recreandos Philisthaeos ; sed libentissime credimus, calonum lixarumque turbam circa illum confertam indigna plurima viro ludentes irrogasse, Samsonem vero pluribus conantem, ut illos repelleret, ridendi materiem uberem spectatoribus exhibuisse ». Cf. *Bonfr.* Sane LXX inserunt textui verba καὶ ἐῤῥάπιζον αὐτόν, *et alapis percutiebant eum*, quae tamen non sunt nisi altera versio praecedentium vocum hebr. paulum defiguratarum. Alia lectio LXX habet ἐνέπαιζον αὐτῷ, *illuserunt ei*. Ios., non vertens sed sensum exprimens, ait productum esse Samsonem, « ut ei inter compotandum illuderent ». Puto equidem, rem omnino actam esse, uti a laudatis auctoribus describitur, licet asserere dubitem, verbis hebr. proxime competere sensum *risus materiam praebere* : is quippe sensus ex aliis textibus non confirmatur.

« *Qui adductus de carcere ludebat ante eos, feceruntque eum stare inter (duas) columnas* ». Duas postea v. 29 columnas concussit, sed numerale h. l. nondum exprimitur. « Sic etiam cruentas gladiatorum pugnas, crudelia cum feris certamina, inhumanas hominum caedes post dapes merique haustus largiores plerisque legimus placuisse » (*Ser.*). v. 26 « *Qui dixit puero regenti gressus suos* » — *Hebr. tenenti manum eius*, non satellitis instar et adhibitis etiam funibus vel manicis (*Ser.*), sed « qui manu deducebat eum » (*Vatabl.*) oculis orbatum — : « *Dimitte me, ut tangam columnas, quibus omnis imminet domus, et recliner super eas (et paululum requiescam)* ». Id impetravit Samson « sive intelligens templa omnia Philisthaeorum geminis columnis fulta esse, sive exploratam habens peculiarem delubri illius structuram » (*Calm.*).

Multum eius templi structura torsit interpretes. Sane convivium non instituebatur in adyto, ubi erat statua Dagon, cf. 1 Reg. 5, 5. Quo excluso duas partes effert noster textus, בית *domum* et גג *tectum*. Iam cum ex eo *tecto* hominum tria millia potuerint in interiora templi prospicere, oportet sane illud fuisse tectum porticus cuiusdam columnarum, uti videtur, ordinibus distinctae, quae atrium quoddam sat amplum ad instar porticus Salomonis et porticuum templorum aegyptiorum cingeret. Sed praeterea erat *domus*, quae, cum tota quanta duabus columnis niteretur tam exiguo intervallo separatis, ut unus homo simul utramque manu prehendere valeret, non poterat esse valde magna. Crediderim intelligi porticum quamdam eius similem, quae in templo Salomonis aditum aperiebat ad sanctum habebatque columnas Iachin et Boas. Cogita igitur magnum atrium et apertum templi Dagon porticu circumdatum. Intra illud aut in uno eius latere assurgit domus, cuius pars nobilissima adytum. Gradibus ad illam ex atrio ascenditur, perveniturque primum in porticum domus, duabus in medio columnis suffultam. Utrum solam hanc porticum cum suis impleverint principes Philisthaeorum, an insuper etiam sanctum penes illam constructum, non ausim affirmare. Nescio, fueritne sanctum ab adyto distinctum in templis Philisthaeorum. Non dicitur, quot Philisthaei in domo consederint, sed dicitur domus fuisse plena. Concussis columnis tota saltem porticus concidit illosque oppressit. Facile adiacentis exterioris porticus columnae aliquae loco etiam cessere, atque ita pars tecti cum hominibus ex ea prospicientibus corruit. Non dicuntur illa hominum tria millia esse oppressa, sed solum v. 30 « multo plures, quam ante vivens occiderat ». A vivo occisi narrantur solum triginta 14, 19 et aliqui alii 15, 15, cf. quae diximus ad eum locum.

v. 27 « *Domus autem erat plena virorum ac mulierum, et erant ibi omnes principes Philisthinorum, ac de tecto (et solario) circiter tria millia utriusque sexus spectantes ludentem Samson* ». « Spectatores hi posteriores erant, ii qui in solario erant ; convivae, qui intra domum » (*Bonfr.*). v. 28 « *At ille invocato Domino ait : Domine Deus, memento mei et redde mihi nunc fortitudinem pristinam, Deus meus, ut ulciscar me de hostibus meis et pro amissione duorum luminum unam ultionem recipiam* ». Audi Samsonis vocem Iahven in templo Dagon invocantis ; audi humile « memento mei », poenitentis latronis Luc. 23, 42 tesseram ; audi orationem fidei et fiduciae plenam, qua amissum culpa roboris donum gratuito sibi restitui confidenter orat. Imaginare Philisthaeorum stuporem, ubi, qui modo illudebatur impune, qui fessus ad columnam reclinare credebatur, se erigit et firma voce in ipsa idoli domo infensum numen proclamat. Revixere antiqui terrores, exanimes primum admiratio tenuit, mox vesano impetu in pedes assurgunt fuga vitam redempturi — incassum ! iam enim concussi tecti mole obruuntur.

Hebr. et robora me, quaeso, solum hac vice Deus, et ulciscar ultione una pro duobus oculis meis a Philisthaeis. Hunc sensum versiones exprimunt, itemque *Masor.* interposito makkeph voces נקם et אחת intimius iungentes. Expetit sibi igitur Samson ultionem *unam* tam magnam, ut *duobus* oculis effossis ulciscendis par sit. Sed *Vatabl.* aliique plures, *Rabbinos* secuti, censent omnino verti oportere : *et ulciscar ultione pro uno oculorum meorum a Philisthaeis.* Cuius sententiae duplicem reperi explicationem. Secundum *Bertheau* tantopere indignatur Samson ob amissos duos oculos, ut magnam quam effecturus est stragem, ad unius tantum oculi ultionem sufficere affirmet. Alia explicatio ex *Cassel* peti potest, qui quidem, ab ea versione ipse abstinet : Samson amissa lumina ideo vel maxime dolet, quod sint omnino necessaria, ut eo, quod ipsi dedit Deus, officio Philisthaeos plectendi fungatur; hinc ultionem expetit non iniuriarum et carceris, sed exstinctorum luminum tantum vel unius luminis. Has explicationes cavillationem sapere neque dignas esse Samsone tam solemniter loquente, quamvis alias idem acute dictis delectatus sit, quis non videat? Ex altera parte consensus versionum et Masor. argumentum efficit haud spernendum, quo prior vertendi textus hebr. ratio commendetur.

v. 29 « *Et apprehendens ambas columnas, quibus innitebatur domus, alteramque earum dextera et alteram laeva tenens* », v. 30 « *ait* » : — *Hebr. et apprehendit Samson duas columnas medii, super quas domus stabat, et innixus est illis, alteri etc.*

לפת h. l. omnes vertunt *apprehendit*, Ruth 3, 8 *conturbatus est*, dum Iob 6, 18 versiones differunt, fere tamen ad *incurvandi* significationem convergunt, quae in lingua arab. radicis propria est. Ex hac etiam h. l. lexica repetunt significationem *circumplectendi* seu *apprehendendi.* Quomodocunque tandem variae significationes ex una deriventur, standum est h. l. ei, cui omnes suffragantur versiones, *apprehendit.* Quod exprimunt *Kimchi* « inclinavit » et *Ros.* « inflexit », id, uti bene notavit *Bertheau*, nonnisi v. 30 narratur. — Ex *Masor.* accentu intulerim, eos ita iunxisse : *super quas domus stabat et super quas nitebatur*, sc. domus. Cf. *Ser.* Ast ita fere pleonasmus habetur, qui evitatur, ubi primum Samson refertur columnas *prehendisse*, dein illis *esse obnixus* (*germ.* « sich stemmen »), tandem illas *concussisse.*

« *Moriatur anima* » i. e. vita « *mea cum Philisthiim. Concussisque fortiter columnis, cecidit domus super omnes principes et ceteram multitudinem, quae ibi erat* ». Non dicuntur occisi illa tria millia, quae v. 27 de tecto narrantur prospexisse; sufficit intelligere illos « viros ac mulieres », de quibus ib., qui cum principibus erant sub porticu domus. *Hebr. et extendit in robore*, sc. brachia et cum illis columnas, ut loco cederent ; *Chald. Syr. traxit cum robore*, ergo attrahendo illas loco movit ; LXX *elevavit cum robore.* « *Multoque plures interfecit moriens, quam ante vivus occiderat* ». Num ergo s. narrator supponendus est summam computasse eorum omnium, quos diversis temporibus Samson occidisset ? Sufficit eum verbis sensum tribuere, ut plures occiderit moriens, quam singulis quibusque vicibus ante interemisset.

Sed nequaquam necesse est supponere, eum morientem praeter principes aliosque illis proxime assidentes tria etiam hominum millia, qui e tecto prospiciebant, interemisse. v. 31 « *Descendentes autem fratres eius et universa cognatio* » — *Hebr. domus patris eius; fratres* intelligit *Bonfr.* uterinos, quos uxor Manue post Samsonem genuerit; melius *Ser.* cognatos, ut iidem sint qui *domus patris eius*, et habeatur ἓν διὰ δυοῖν, « quomodo in evangelio aliquoties vocantur fratres Christi, et Abraham ad Lot nepotem suum dicit Gen. 13 : Fratres enim sumus » (*Est.*). *Ios.* una voce οἱ συγγενεῖς — « *tulerunt corpus eius* », *et ascendere fecerunt* (*Hebr.*) in montana, « *et sepelierunt inter Saraa et Esthaol, in sepulcro patris sui Manue. Iudicavitque Israel viginti annis* ». Fueritne iam mortuus Manue, ex voce *in sepulcro patris* colligere non possumus ; sepultus est Christus in sepulcro Iosephi superstitis (*Ser.*). Recte idem auctor adstruit Samsonis fratres « *repetiisse* cadaver, non autem vi palam aut dolo clam abstulisse ». Quod autem *concesserint* Philisthaei explicat *Bonfr.*, quod supra modum ista clade debilitat fuerint. *Guérin*, Judée III. 324 sqq., sepulcrum Samsonis putat exstitisse in loco Weli Schech Gherib vel Kefr Schamschun appellato, qui est in Chirbet Aselin, inter Sara (Saraa) et Eschua (Esthaol ?).

ISRAEL SINE REGE

IUD. — 17-21

ISRAEL SINE REGE. — IUD. 17-21

Ostendimus n. 2, narrationem Iud. 17-21 unum constituere *supplementum* facta quaedam ineuntis iudicum aetatis enarrans, quae ab Actis quidem Iudicum, quod nihil ipsis cum gentilium idololatria iudicumve administratione commune, excludebantur, sed, quod demonstrandae regiae potestatis excellentiae in religione moribusque tuendis inservirent, ad calcem Actorum adscripta fuere. Inquirendum iam superest, quis ea facta adscripta formula « non erat rex etc » in unam narrationem *redegerit*, quis narrationum primus *auctor* fuerit, quae narrationis *veritas*, qui supplementi *cum Pentateucho et libro Iosue nexus* deprehendatur.

45. Narrationum redactor — probabilius fuit ipse Samuel.

Id cum Rabbinis censent, quicunque librum Iud. universim Samueli tribuunt. Speciali argumento idipsum probat *Herbst* (ap. Welte p. 124 sq.), dum *Scholz* p. 298, tacito Samuelis nomine, supplementum ortum defendit ante Saul regem. E contra recentiores protestantes (*Eichhorn* p. 470, *Bertholdt* p. 835, *Bertheau* p. 195, *Reuss* p. 343 etc) et etiam *Welte* p. 121 ex 18, 30 inferunt scriptum esse post exsilii assyriaci initium : quos eius textus discussione suo loco refutabimus.

Primum itaque supplementum utique in praesentem formam redactum est *post Acta Iudicum*, cum tam evidenter supplementi instar illis appendatur. Scriptum porro est *ante mortem Salomonis*. Ubi enim 3 Reg. 12, 29 in ipsa civitate Dan Lais Ieroboam vitulum aureum constituerat, ridicule fingeretur scriptor asserere, efficacius regia potestate quam iudiciali auctoritate reprimi superstitionem. Neque vero ex formula « non erat rex etc » cum *Reuss* p. 127 inferre fas est, diu post exstinctum regnum Iuda scripsisse redactorem, qui sc. regum idololatriam et luxuriam non iam ita distincte mente attendisset : etenim peccatorum sub regibus patratorum Israelitae, tam durante exsilio quam post illud, et recordabantur distincte eademque libere fatebantur. Neque cum aliis ex eadem formula concludas, diu iam apud Israelitas reges fuisse, quod scriptor actorum tempus nonnisi « formula perquam vaga » (*Eichhorn* p. 469) definire valeat, quod « lectores fere supponit ignorare, ullo unquam tempore gentem sine regibus fuisse » (*Bertholdt* p. 834). Etenim n. 2 demonstravimus, non ideo proxime eam formulam describi, ut chronologiam, sed ut regiae administrationis excellentiam doceamur.

Immo scriptum crediderim supplementum *ante peccatum Davidis*. Sane infanda sodomia, quam attentarant Gabaitae, magis quam adulterium : at credideritne quis, post Davidis adulterium homicidio iunctum scripturam fuisse hominem inspiratum librum aliquem, quo defenderet in regia potestate reperiri efficax luxuriae remedium ? Davidis quoque peccatum maximarum turbarum civilium causa fuerat.

Difficile porro animum induxerim, ut admittam cap. 17-21 concinnatum esse regnante Davide needum peccati reo. Si qua Davide rege opportuna regni apologia, non tam regni prae iudicum administratione, quam regni Davidici prae Saulitici apologia in votis erat; vix formam ea induisset supplementi Iudicum Actis appensi. Quibus reapse in *Samuelis* tempora reiicimur, cui cum iudaea traditio, quam in librorum Samuelis et Actorum Iudicum scriptoribus assignandis reperimus genuinam, haec quoque capita constanter attribuerit, a tantae auctoritatis testimonio sine gravi ratione recedere profecto nefas est.

At nulla eiusmodi ratio comparet. Sane commendandae regiae auctoritatis prae ceteris Samuel studiosus. Demonstrabamus ad 1 Reg. 8, 6, quam universale quamque legitimum Samuelis aevo Hebraeos obtinuerit regni iam in Deut. praenuntiati divinitus instituendi desiderium. A quo desiderio certe non alienum fuisse Samuelem, inter alia evincunt, quae de altero editorum Iudicum Actorum n. 2 fine disserebamus. Non potuit quidem Samuel, quin regnum trepide expetitum (ib.) severe reprobaret, regnum Saul ministrationem irae esse intelligeret : at regni institutionem generatim a Deo esse decretam ideoque ab omnibus religiosis viris toto animi ardore expetendam atque promovendam, id Samuelem latere non poterat. Scripsit igitur hoc supplementum, quo ex factis quibusdam aevi iudicum memoria dignis ostenderet, quam impune regno nondum instituto superstitio et luxuria inter Hebraeos sint grassatae, quantoque iure eorumdem malorum a regia potestate medela speraretur. Ex verbis « non erat rex etc » videtur tandem posse concludi, collectum esse supplementum *post Saulem regem factum* : eum quippe crediderim sensum maxime obvium, fuisse iam regem aliquem, quo tempore ea formula scriberetur. Eo tempore eiusmodi regni recens instituti apologia erat perquam opportuna ; non pauci 1 Reg. 10, 27 eidem erant infensi desiderabantque prioris aevi licentiam legum et vectigalium ignaram ; amabat etiam Saulem Samuel, cf. 1 Reg. 15, 35. Eo igitur tempore duas historias idoli Michae et sceleris Gabaitarum sibi aliunde notas in unam Samuel compegit narrationem, partibus ea formula connexis, quae regni prae iudicum regimine extolleret excellentiam.

Contra quae illud obiici potest, scivisse Samuelem Gabaam esse patriam Saulis, ideoque haud amico in illum animo patriae dedecus propalasse. Sciebat atque inspirante numine propalabat, ut et populo prodesset et regi, illum a superstitione et luxuria, hunc a violentia et impietate retraheret ; et ut omnes postmodum tanto facilius perspicerent, Saulis regnum, quod turbulenter fuerat expetitum, in ipsa sua veluti radice reprobum fuisse ruinaeque devotum.

43. NARRATIONUM AUCTORES — fuere eventibus, quos narrant, fere coaevi.

A coaevis sane auctoribus haec capita scribi oportebat, in quibus tot hominum dicta factaque tam accurate referantur (cf. *Scholz* p. 299 sqq.). Adde, cum ex Pentateucho et Iosue tum ex Iudicum Actis compertum nos habere, consuevisse eventus memorabiles ab auctoribus coaevis describi ; ergo minime dubitandum, tribus Levi homines, quae haud procul a tabernaculo « in monte Ephraim » accidissent, et quorum levitae quidam pars aliqua fuissent (cf. 17, 7 ; 18, 30 ; 19, 1 ; 20, 28), scriptis mandasse. Neque miraberis, Samuelem iuvenem apud tabernaculum Siluntinum reconditam reperisse coaevam aliquam actorum Michae et Gabaitarum narrationem.

Confirmatur assertio refutatis iis argumentis, quibus aliqui demonstrare nisi sunt, diu post eventus scriptum esse cap. 17-21 ; ubi ea omittimus, quae redactorem, non

auctorem diu post eventus vixisse efficiunt, e quorum numero etiam illu 18, 31 est, recessisse tum tabernaculum Silunte, quem versum redactori tribuimus. Igitur *Eichhorn* p. 469 sq. contendit, nomen « domus Dei » 18, 31 ante aedificatum templum de tabernaculo non praedicari. Repetenda hic fere, quae ad 1 Reg. 1, 9 dicebamus de expressione היכל, ex qua item aliqui posteriorem eius libri originem intulere. Dicendum, Samuelis tempore eas expressiones, licet forte essent minus usitatae, iam fuisse in usu ; idque tanto magis est obvium, quod omnes circum nationes sua sanctuaria « templum » et « aedes » appellaverint. Aliam obiectionem profert *Iahn* p. 211, ignorasse auctorem 19, 1 nomen levitae urbemque, in qua habitaverit, ergo diu post illum vixisse. Ergo item ignoraverit Samuel 1 Reg. 2, 27 nomen et originem « viri Dei », qui Heli reprehensurus adfuit, itemque « viri prophetae » Iud. 6, 8 ; ipsum nomen levitae, qui idolo Michae inserviebat, crediderim a primo narratore esse suppressum, sed a Samuele redactore 18, 30 ad calcem esse adiectum.

Argumenta a quibusdam prolata, quibus ostendant, ab uno eodemque auctore mutuatam esse utramque Michae et Gabaitarum narrationem, id ad summum efficiunt, utramque eodem fere loco et tempore natam esse.

Argumenta vide apud *Bertheau* p. 192, *Scholz* p. 299 : vide etiam *Keil* p. 326. Dicunt : utrumque documentum praeterito absque copula narrationem continuat : 18, 17 לקחו ,באו ; 20, 43 כתרו, הרדיפהו, הדריכהו ; ubi etiam conferri potest ואמר 19, 30 et ונעל 3, 23. Utrumque plures iungit infinitivos cum ל : 18, 9 ללכת לבא לרשת ; 20, 10 לעשות לבאום לגבע ; 19, 15 לבוא ללון. Iuxtaponuntur 18, 19 et 21, 24 ut synonyma שבט et משפחה, secus ac aliis locis. 18, 20 ; 19, 6. 9. 22, uti etiam Ruth 3, 7 usuvenit expressio יטב לב et, quod 18, 10 et 19, 19 legitur מחסור, secus in solo Prov. libro recurrit. Affinitatem haec aliquam produnt, quae tamen abunde explicatur, si auctores eodem circiter tempore et loco scripsisse adstruamus, quin unicus auctor necessario defendendus sit.

Sufficientibus argumentis non fulcitur assertio, eundem esse auctorem cap. 17-21, qui etiam priorem cap. 1 partem conscripserit.

Id defendit *Bertheau* p. 193. Cui merito reponunt *Keil* p. 326 et *Reuss* p. 343, nullam expressionum, quas ille istius auctoris proprias esse pronuntiet, aliis scripturae textibus non legi. Sic v. g. ויואל לשבת 1, 27. 35 et 17, 11 habetur Ios. 17, 12, et analogae expressiones ויאל ללכת 1 Reg. 17, 39 et הואלתי לדבר Gen. 18, 27. Iud. 1, 1 sq. non coincidit verbotenus cum 20, 18 ; similitudo vero sententiarum sufficienter inde explicatur, cum quod utrobique quaestio et responsio reapse fuerint eadem, tum quod Samuel factum 1, 1 sq. enarrans expressiones antiquioris narrationis cap. 19-21 in mente habuerit. Quod utrobique omnes tribus convenerint, Dei oraculum requisierint et impetraverint, id non ex identitate scriptoris, sed ex unitate politica et religiosa tribuum repetatur oportet, quae primis post Iosuen annis 2, 7 feliciter obtinuit atque uniformitatem quamdam comitiorum habendorum consequentem habuit. Iuda primus ad certamen prodire iubetur non secus, atque Num 10, 14 (cf. 2, 3 ; 7, 12) primae eidem itineris partes assignantur.

47. NARRATIONIS CUM PENTATEUCHO NEXUS. — Cf. *Smith* p. 151 sqq., *Hengst.* p. 37 sqq.

Narratorem cap. 19-21 Pentateuchum novisse omnes concedunt estque illud luce clarius. Habes tribuum distinctionem et conventum, tribus Iudae primatum, arcam 20, 27, pontificem Aarone natum v. 28 et eum quidem (cf. Deut. 10, 8) « stantem ante Dominum », oraculum v. 18. 23 sine dubio per Urim et Thummim petitum, holocausta et pacifica 20, 26 et 21, 4. Gabaitarum scelus 19, 22 iis narratur verbis, quae ex sola cum facto Sodomitarum similitudine non explicantur, nisi praeterea supposueris nostrum auctorem textum Gen. 19, 4 sqq. in mente habuisse. « Ipso », inquit *Hengst.*, « verborum delectu suum auctor de eo scelere iudicium fert, quod verbis *Lightfootii* exprimere placet : adeo ut Gabaa, civitas Israelis, aeque sit facta abominabilis ac Sodoma ». Cum verbis 20, 6 « Nunquam tantum nefas et tam grande piaculum factum est in Israel », cf. Gen. 34, 7; Lev. 18, 17; Deut. 22, 21. Cum 20, 13 « auferatur malum de Israel », cf. Deut. 13, 5; 22, 21. Bellum in Beniaminitas suscipitur plane ex praescripto legis Deut. 22, 22, iidemque ex lege anathematis funditus exterminantur. Difficultas conservandae tribus Benjamin tota nititur prohibitione ducendarum uxorum gentilium, dum conservendae tribus studium 21, 17 spiritui legis est conforme, quae summo studio familiis conservandis invigilat, ut vel fratris defuncti uxorem duci praecipiat.

Pauciora cap. 17-18, attamen omnino sufficientia deprehenduntur Pentateuchi vestigia. Illud ipsum, levitam 17, 7 (cf. 19, 1 sq.) in alicuium finibus peregrinum fuisse, prodit alicubi fixam assignatam habuisse sedem. Levitae 17, 13 legitimi sacrorum ministri esse pronuntiantur; adest ephod 17, 5 et 16, 14 sqq., vestis sacra; adsunt secundum probabiliorem 18, 3 interpretationem tintinnabula vesti pontificis affixa. Secundum aliam probabilem interpretationem habes 17, 2 Michae matrem iuramentum ex Lev. 5, 1 exigentem. Mitto 18, 31 redactorem meminisse tabernaculi Siluntini.

At, inquiunt, Michae superstitio nulla affixa reprehensione narratur, ut auctor eam approbasse censendus sit. Praepostera, etsi vera esset, conclusio : at vera non est. Certe reprehensiones continent redactoris verba 18, 30 sq. narrationi appensa, quem aliunde novimus Pentateuchum calluisse : quid ex Pentateuchi mente atrocius, quam coli « sculptile Michae, quod fecit » (*Hebr.*) ? Singulae voces vituperium sonant : quod fuerit ibi *sculptile*; quod fuerit aliquod genus sacrorum, quod privatus aliquis *Micha* suum vocare potuerit, quod fuerit *manufactum*. Reprehensionem sonat *filii Moysi* appellatio, tam abiecti cultus sacerdoti affixa : reprehensionem *sacerdotium* filio non Aaronis sed Moysis attributum. Reprehensionem item continent redactoris, quorum alibi sensum discussimus, verba brevi intervallo repetita 17, 6 et 18, 1 : « In diebus illis non erat rex etc », quibus et cultus privatus Michae et multo magis levitae in eodem ministerium reprobatur. Quae verba, ni reprehensionem sonent, otiosa sunt : utquid enim post primos quinque versus illa verba, et rursum post alios septem, et iterum post alios triginta, ac tandem nonnisi tribus integris interiectis capitibus? Iniqua haec distributio. At omnia clarescunt, si iis verbis reprehensionem exprimi memineris. Narratur 17, 1-5 domestica Michae superstitio, affixa reprobationis nota; narratur 17, 7-13 sacrilegum in eiusmodi superstitione levitae sacerdotium, et repetitur formula; narratur 18, 1-31 illud sacrilegium ad dignitatem publici cultus promotum, iterata formula; narratur per modum unius scelus Gabaitarum cum omnibus ex eo consecutis, concluditurque eadem tessera.

Verum urgent, licet redactorem, at non ipsum narratorem Samuele antiquiorem ullam actis Michae notam affixisse. At quis certior narratoris interpres redactore?

Quid opus erat, narratorem gestorum exprimere abhorrentiam, quam hinc Pentateuchus illincque Samuel abunde profitentur? Adversarii hunc nexum toti antiquitati sacrum negligunt, historiam Michae cum a praecedentibus tum a sequentibus separant, ac tandem queruntur desiderari in illa superstitionis Michae reprobationem. Ceterum aliqua reprobationis vestigia deprehendes. Verba 17, 5 « *viro* autem Michae erat aedes sacra » (*Hebr.*), nonne quamdam sapiunt admirationem, habuisse aedem suam virum privatum? Laetaque exclamatio 17, 13 « Nunc scio, quod benefaciet mihi Deus habenti levitici generis sacerdotem », nonne prodit praevium aliquem Michae scrupulum de cultu illo privato et sacerdote filio?

48. NARRATIONIS VERITAS. — Factum tam Michae quam Gabaitarum fide est omnino dignum.

Narrationem Michae fatetur *Reuss* p. 126 « magis quam Samsonis acta sigillo veritatis historicae insigniri », et p. 342 « narrare factum, quod fide omnino dignum sit neque vel minimum a rerum natura abhorreat ». Putat utique idem auctor p. 127, ex quatuor unius rei nominibus (sculptile, conflatile, ephod, theraphim) effici, aut duas narrationes in unam coaluisse, aut textum glossis esse defiguratum : at ista quatuor non esse unum, suo loco demonstrabimus. Narrationi Gabaitarum vitio vertit *Wellh.* p. 245, quod « adamussim iis satisfaciat conditionibus, quas in sacra quis historia requirat », dum *Reuss* p. 128 fatetur, « nihil ab eius aetatis moribus absonum narrari ». Tamen idem p. 342 praetendit, « natam esse e duabus in unam compactis fabulis » : unica asserti ratio prolixitas quaedam dictionis, qua auctor aliqua repetit.

Ceterum ad totius narrationis veritatem stabiliendam fere sufficiet, quae contra eandem l. c. profert *Wellh.*, describere. « Ut Gabaitarum narrationem », inquit, « iusto pretio aestimes, confer eam, quaeso, cum praecedenti narratione de Danitis septentrionem versus emigrantibus. Quorum sexcenti ex improviso adoriuntur Chananaeorum civitatem Lais, non quod ea intra fines populo Dei attributos contineatur sitque ex religione capienda, — quamquam enim oraculum consulunt, minime cogitant de appellando iure divino in libro Ios. expresso — sed quod incolae securum sint pacisque amans hominum genus, quod se a desperatis hominibus haud sit defensurum. Nec minori perfidia in Micham Israelitam agunt. Quod lubet faciunt, nullum verentur ius, a nulla temperant licentia. Tamen religionem sui generis profitentur; nisi enim Dominum vererentur, eius simulacrum et sacerdotem non utique furarentur. In ritibus, quos duo illa capita commemorant, vix ulla desideratur abominatio lege proscripta : privatam aedem habet Ephraimita Micha, Moysis nepotem sacerdotem ducit, ephod et theraphim cultui Iahve adhibet, quae omnia ita narrantur, ac si legitima penitus et innocentia sint, non ut temporarii aliqui abusus referantur, sed origo sanctuarii cuiusdam apud antiquos Hebraeos primario omnino honore habiti. Toto coelo differt sequens de scelere et punitione Gabaitarum narratio. Non iam uti secus in libro Iud. singulae agunt tribus, ne populus quidem Israel, sed ecclesia, quae ex foedere cum Deo inito ortum duxit. Agit ob peccatum in populo commissum et expiandum; foederis sanctitas haec quadraginta virorum millia in aciem producit, pietate illos et fortitudine inspirat. Huic turbae uniformi legis praecepta vita sunt et pro sanguine venas permeant; automata crederes universis constanter in eosdem actus conspirantibus; non individua conspicis, non nomina audis, non singulorum facinora, nihil certe praeclari mores sapiunt. Ab impiis iuvenibus Gabaitis abuti se volentibus ut se extricet levita, uxorem eisdem permittit, neque inauditam viri ignaviam vel unica vocula reprehendunt Israelitae rati, uti videtur, peioribus sanctum

virum haec agendo praecavisse ». Tandemque verbis Wellh. *Bertheau* accedit : « Nulla in his capitibus legis mosaicae mentio, at spiritu, qui legem inspiraverit, agi ecce etiam ib. agentem, ecquem fugiet? Si plures haberemus similes narrationes, multa, quae iam obscura sunt in Pentateucho, clarescerent. Ubi regum aevo populus Israel tam robustus, sincerus, sponte supremum discrimen pro bonis maxime sacris subiens! » Ultimis verbis nos quoque subscribimus, priora commenta sunt, non commentarius.

COMMENTARIUS

a) IDOLUM MICHAE. — IUD. 17, 1-16

ARG. — Michas quidam, montis Ephraim vir, pecunia a matre accepta sculptile cum sacra supellectili comparat atque, instructa domi suae aedicula, filiorum unum sacerdotem instituit.

CAP. XVII v. 1 « *(Fuit eo tempore) vir quidam de monte Ephraim* » (cf. 3, 27; 4, 5) « *nomine Michas* ». מיכיהו seu contractum v. 5 etc מיכה idem est nomen, quod prophetae Michaeae, de quo vide *Knabenbauer*, Proleg. in eundem prophetam. Nominis interpretatio *quis sicut Iahve?* ironiam sapit in viro mox gravis superstitionis convincendo. Sacerdos quoque, quem instituit Michas, 18, 30 Ionathan i. e. « Iahve donum » audiebat. « Non Theodorus quivis », inquit *Cassel*, « Nathanael aut Theophilus eam vitam agit, quam nomen exprimit ».

Ex adiectis vocibus *eo tempore* perperam quidam intulere, censuisse *Hier.* accidisse haec Samsonis tempore. Rectius *Bonfr.* : « Crediderim, eum noluisse certum aliquod tempus indicare, sed indefinite totum illud tempus, quod sub iudicibus illis antecedentibus fuit. » Ita iam *Lyr.* aliique. Cui exactius tempori eventus attribuendi, ad 18, 1 dispiciemus. — Orditur nostra narratio formula vix non eadem atque illa, qua 1 Reg. 1, 1 narratio certe et Iud. 13, 2 altera narratio probabilius Samueli auctori tribuenda incipit. Quo aliqua fortasse efficitur probabilitas, Samuelem etiam huius pericopae esse auctorem.

v. 2 « *Qui dixit matri suae* » : — Impiorum reticetur pater et progenies. Mater erat vidua dives (*Ser.*), ut ex narratione patet; erat eadem adultior (*Menoch.*), cuius sc. nepos v. 5 ea iam esset aetate, qui sacerdotis partes suscipere posset — « *Mille et centum argenteos* » (cf. quae de his numeris diximus ad 16, 5 et cf. etiam 20, 17), 3437,50 fr. vel 2750 M., « *quos separaveras tibi et super quibus me audiente iuraveras, ecce ego habeo et apud me sunt* ».

Hebr. : Mille et centum argentei, qui sumpti sunt tibi, et tu iurasti et etiam me audiente locuta es, ecce argentei mecum sunt, ego sumpsi eos ». Duplici ratione haec verti possunt, neque satis liquet, utra sit praeferenda. Utramvis seligas, idem sensus erit tribuendus voci לקח atque voci לקחתיו.

Itaque *Vulg.* voces אשר לקח לך ita interpretata est, ut לך dativum commodi construeret : argentum, quod sumptum est tuo usui, quod tu tibi separasti. Item *Symm.* οὓς ἐξαιρέτους εἶχες, LXX οὓς ἔλαβες; alia versio LXX ληφθέντας σοι est indifferens. Secundum hanc interpretationem, paulum mutata Vulg. et LXX interpunctione, ita vertimus : Argentum, quod separaveras tibi, et de quo iuraveras et etiam me audiente locuta eras : Ecce argentum mecum est et ego illud separatum servo — supple : quid tandem de illo argento faciemus? Genus est anacoluthi Hebraeis familiare. Contra hanc interpretationem illud est, segregandi significationem verbo לקח remotius affingi. Pro eadem est auctoritas *Vulg. LXX Symm.* Placet etiam לך construi dativum commodi, nam sensus privativus *furto ablatus tibi* verius exprimeretur per לקח בינך, quod iam notabat *Iarchi* (ap. Drus.). Secundum hanc interpretationem Michae mater argenti pondus seposuerat, sepositum filio servandum commiserat, usu futuro vel nondum fortasse plane determinato, vel iam ex fixo consilio consecrandi sculptilis; filius, cui tandem usui ea pecunia applicanda esset, dubitari capit. — Parum differt propiusque etiam ad Vulg. accedit versio *Ew.* II. 491 : Mille et centum argenteos, quos separaveras tibi, et de quibus iuraveras et etiam me audiente locuta eras, ecce illos ego habeo et separatos servo; i. e. pecuniam, quam a te mutuatus sum, cum lucro recepi tibique iam restituere paratus sum. Mater pecuniam anathemati veluti conficiendo impendit. Non tamen cogimur ita vertere, neque satis explicatur iuramentum.

Aliter vertunt *Chald. Syr.* et post ipsos *Rabbini*, *Cai.* et recentiores plures : Argentum, quod furto ablatum est tibi, occasione cuius iuramentum praestiteras meque ipso audiente pronuntiaveras, en argentum hoc mecum est, ego illud abstuli. Furti igitur vel ante admissam superstitionem reus fuerat egregius ille Michas. Matri amantissimae argenti pondus suffuratus erat. At norat Lev. 5, 1 mater : « Si peccaverit anima, et audierit quis vocem iuramenti (seu exsecrationis, קול אלה), et ipse fuerit testis qui vidit aut noverit, nisi indicaverit, portabit iniquitatem suam ». Ea igitur exsecratione iudiciali usa est mater pecunia spoliata praesente filio; terrore perculsus ille furtum declaravit, pecuniam restituit. Hanc interpretationem commendat vox אלה hic et Lev. 5, 1 usurpata, leve quidem argumentum, quod tamen eo confirmatur, quod nostro versu narrata legi ib. expressae sat commode adaptentur; obtinetur insigne quoddam argumentum unius alicuius Pentateuchi legis iudicum aevo cognitae et observatae. Obest לך, ubi exspectares בינך, quod reipse *Chald.* substituit.

« *Cui illa respondit : Benedictus filius meus Domino* »; vel potius *fili mi* (*Mar.*). Disputant h. l. auctores antiquiores, idololatriane peccaverit mater pecuniam sculptili conficiendo attribuens. Nomen filio « quis ut Iahve? » imposuerat, filium benedicit invocato Iahve nomine, v. 3 argentum Iahve consecrat; concludit igitur *Cai.* : « arbitrabantur obsequium se praestare Deo vero venerando idola quaedam nullius specialis Dei nomine insignita ». E contra *Lyr.* : « Dominum vocat falsum deum, quem colebat ». Tamen lis videtur esse magis de verbo, quam

de re, dicamusque cum *Ser.* deliquisse mulierem ea idololatriae specie, qua Deus verus colatur cultu indebito. Potest eadem ignorantia quadam excusari, quo tempore frequens apud contribules grassaretur suoque fere iure vigeret superstitio. — Benedictionis verba sic explicat *Vatabl.*: « sis felix et beatus, et prospere eveniant tibi omnia a Deo ». Cur autem filio benedixerit, varie interpretantur secundum diversum praecedentium verborum sensum. *Bonfr.*, *Menoch.* benedixisse affirmant ob asservatam fideliter, quam sibi seposuisset, pecuniam; *Calm.* ob sinceram ablatae pecuniae confessionem.

v. 3 « *Reddidit ergo eos matri suae* », — cum אשיבנו (*Vulg. trado*) redditionem rei, minime tamen iniuste ablatae, significet, ergo etiam וישב non confirmat opinionem tenentium, Micham pecuniam matri esse furatum — « *quae dixerat ei* », seu potius *dixit (Cai.)* : « *Consecravi (et vovi) hoc argentum Domino, ut de manu mea suscipiat filius meus, et faciat sculptile atque conflatile; et nunc trado illud tibi* ». Consecraveritne iam antea mulier illud argentum Domino, sive absolute (*Vulg.*) sive apposita conditione, si furto ablatum recuperaret (*Cler.*), an tunc tandem de eo consecrando cogitaverit (*Keil*), non liquet. *Hebr. de manu mea*, — hicque secundum accentum *Masor.* scribe comma — *filio meo*. Ergo « e manu mea, i. e. ut e manu mea exeat, ut sit Iahve, et non amplius in libera mea manu » (*Ros.*). Verba autem *filio meo*, i. e. pro filio meo, sequentibus evolvuntur *ut faciat etc*, sc. filius meus. Sensum feliciter reddidit *Vulg.*

Quae sit inter פסל et מסכה differentia, disquiritur, quae voces ex etymo *sculptile* et *fusile* significant. Igitur פסל certissime designat imaginem *sculptam*, et quidem sive ex ligno (Deut. 7, 5. 25 ; Hab. 2, 18 ; Is. 40, 20 ; 44, 15. 17 ; 45, 20 ; Ier. 10, 3) sive ex metallo (Is. 40, 19 ; 44, 10 ; Ier. 10, 14 ; 51, 17) ; insuper designat idola generatim (Deut. 7, 25 ; Is. 10, 10 ; 21, 9 ; Ier. 8, 19 ; 2 Par. 33, 22). מסכה semper ex metallo est. Quandoque designat idola universim (Ex. 34, 17 ; Lev. 19, 4 ; Num. 33, 52 ; 3 Reg. 14, 9 ; Is. 42, 2), alias uti nostro loco cum פסל copulatur (Deut. 27, 15 ; 2 Par. 33, 7 ; 34, 3 ; Nah. 1, 14 ; Hab. 2, 18), speciatim de vitulis aureis usurpatur, addito vel non addito עגל (Ex. 32, 4. 8; Deut. 9, 12. 16 ; Ps. 106, 19 ; 4 Reg. 17, 16). Ex his apparet, מסכה intime ad ipsum simulacrum pertinuisse, non fuisse basin aliquam (*Keil*) aut aediculam. Iam nostro versu non possumus cum *Drus.*, *Calm.* vertere « sculptile *aut* fusile », cum 18, 14 legamus « ephod et theraphim et sculptile atque conflatile », et 18, 17 sq. « sculptile et ephod et theraphim atque conflatile », quae non disiunguntur sed copulantur. Neque licet cum *Ser.*, *Bonfr.*, *Lap.*, *Menoch.*, *Tir.*, *Clair* duo adstruere idola, i. e. duas statuas, ligneam unam vel marmoream (?), argenteam alteram. Quamvis enim מסכה semper conflatile designet ideoque metallicum quid, at פסל etiam de statuis ex metallo adhibetur, nunquam ex marmore aut lapide. Licet autem istae voces non duas statuas, at certe duas res distinctas exprimunt, quod patet enumerationibus 18, 14. 17. 18. Iam adverte, statuas pretiosas apud Iudaeos ita fere confici consuevisse, ut sculptile ex ligno seu viliore

metallo laminis argenteis aureisve contegeretur (Is. 40, 19 ; Ier. 10, 3 sq.; Os. 13, 2). Hinc planissima expositio nostri textus haec est, ut פסל interpretemur ipsum simulacrum probabilius ligneum, מסכה vero eius indumentum aureum vel argenteum. Illud sacrius, hoc pretiosius. Hinc intelliges, quam merito 18, 17 sq. non « conflatile » solum sed etiam « sculptile » praedae adnumeretur, et quidem interiectis « ephod et theraphim ». Latro sola avaritia instigatus abstulisset pretiosum conflatile, vili sculptili relicto ; at pii atque superstitiosi latrones, quales erant Danitae, potissimum sculptile ambiebant, pretiosum tamen conflatile, ephod et theraphim minime neglexerunt. Indidem intelliges, cur illud idolum 18, 20. 30. 31 simpliciter פסל appelletur, omissa voce מסכה : sculptile siquidem erat pars potior et sacrior. Aliis vero locis simulacra מסכה audiunt, nomine a parte pretiosiore petito, quaeque intuentium oculos suo nitore percelleret. Cf. *P. Scholz* : Goetzendienst u. Zauberwesen, Regensburg 1877, p. 42 sqq.

v. 4 « *Reddidit igitur eos matri suae, quae tulit ducentos argenteos et dedit eos argentario* », illi sc. fabro, qui metalla conflabat (cf. *Chald. Syr.*), « *ut faceret ex eis sculptile atque conflatile, quod fuit in domo Michae* ». Primum versus incisum non id edicit, secunda vice Micham pecuniam reddidisse matri seu, quod scribit *Malv.* : « quamvis instante matre, detinere apud se recusavit »; sed simpliciter redit ad initium v. 3. Eo versu referebantur *verba*, quae mater filio reddenti pecuniam dixit; nostro versu referuntur *acta*, quae ipsa peregit recepta pecunia. Neque necesse est cum LXX v. 3 vertere tempore futuro *tradam*, postquam sc. ducentos dempsero argenteos (*Bonfr.*) ; vel *tradam*, non quidem pecuniam sed ipsum, quod vovi quodque iam confici iubebo, idolum (*Bertheau*). Simplicius dicamus cum *Cai.*, intelligendam esse matrem tulisse atque argentario dedisse eos argenteos non ipsam, sed « per filium », ut idem fuerit « tradere » pecuniam filio, et « tradere argentario » eiusdem partem. Quid de nongentis argenteis residuis fecerit mulier, textus non dicit; fortasse eos in ephod, theraphim aliamque sacram suppellectilem impendit (*Abul.*) ; iniuste *Arias* et *Cassel* mulierem avaritiae et impietatis arguunt, quod illos sibi reservaverit v. 5 « *Qui aediculam quoque in ea Deo separavit* ». *Hebr. Et vir Micha ipsi erat domus Dei*, ubi recte *Vulg.* LXX vertunt *Dei*, contra *Chald. Syr. deorum.* Non immerito *Calm.* adiectam censet vocem *vir*, ut exprimatur admiratio, hominem inter Hebraeos privatum suum habuisse templum. Perperam totum versum *Bertheau, Keil* vertunt plus quam perfecto, ut ideo mater pecuniam consecraverit, quod aediculam iam ante exstructam habuerit. Sensus possibilis, sed minime necessarius. Neque pro solo ephod aut pro solis theraphim exstruebatur aedicula (cf. Gen. 31, 19; 1 Reg. 19, 13); e contra procuratum semel simulacrum aediculam sacramque vestem providendam suggerebat, in qua dein aedicula theraphim forte iam ante exstantes collocabantur.

« *Et fecit ephod* », de qua veste sacra cf. 8, 27 et quae ad 1 Reg. 2, 18 scripsimus, « *et theraphim* », idola tutelaria (cf. ad 1 Reg. 19, 13 et etiam *Knabenbauer* in Os. 3, 4), « *(i. e. vestem sacerdotalem et idola); implevitque unius filiorum suorum manum, et factus est ei sacerdos* ».

Unus filiorum non est necessario primogenitus, quod voluere *Mar., Tir.*; alias filii natu minores a providis parentibus sacerdotio permitti consuevere. — *Implere manum* idem esse, quod sacerdotio initiare, omnes admittunt. Colligitur id ex 3 Reg. 13, 33: « Quicumque volebat, implebat manum suam et fiebat sacerdos excelsorum ». Ex. 29, 22. 26 sq. aries, qui in sacerdotum consecratione immolabatur, vocatur איל מלאים, « aries impletionum »; dies consecrationis Lev. 8, 33 « dies impletionum » audit, « quoniam septem diebus implebantur manus vestrae ». Verum reddenda expressionis ratio. Aliqui ad ritum consecrandorum sacerdotum recurrunt; et *Bonfr.* quidem ad consecrationem manuum adhibito oleo Ex. 28, 41: at num manus oleo « implebantur »? num quis suas ipse manus 3 Reg. 13, 33 oleo implere potuit? *Sa* impletas a patre manus censet « dando in manum, quod offerret » (cf. Ex. 29, 22 sqq.); consentiunt *Mar., Gord., Calm.* potestque in eundem sensum trahi *Chald. obtulit sacrificium*. Sacerdos et partes victimae Deo comburendas, et quae ipsi sacerdoti cedebant, et quae fidelibus permittebantur, eas omnes manibus attrectabat: eius utique manus « implebantur ».

v. 6 « *In diebus illis non erat rex in Israel, sed unusquisque, quod sibi rectum videbatur, hoc faciebat* », cf. 18, 1. 31; 21, 24. Perperam certe *Kimchi* censuit, *rex* h. l. idem sonare quod *iudex*, ideoque tantae superstitionis eam s. auctorem proferre excusationem, quod tum temporis nullus agnosceretur iudex. Cum regia etiam iudicialem complectatur potestatem (cf. 1 Reg. 8, 6), ergo si auctor acta iudicum aevi describens hanc tantummodo potestatem desiderasset, utique scripsisset: non erat iudex in Israel. « Potius ille, qui librum hunc recensuit, post constitutos in Israel reges scribens, animadvertendum censuit, reges tunc nullos fuisse, ut singulis regendi se ad arbitrium data esset potestas, quin causam cuiquam dicere cogerentur » (*Calm.*).

b) LEVITA SACERDOS. — IUD. 17, 7-13

ARG. — Ionathan, levita vagabundus, a Micha laeto excipitur et sacelli domestici pontifex creatur.

Declarata iam Michae superstitione procedit auctor ostendere, quomodo is levitae ministerio eandem illustraverit. v. 7 « *Fuit quoque (alter) adolescens de Bethlehem Iuda, ex cognatione eius; eratque ipse levites, et habitabat ibi* », sc. in Bethlehem, quae addito *Iuda* ab altera Bethlehem tribus Zabulon (12, 8; Ios. 19, 15) secernitur. *Hebr. peregrinus*

erat ibi. « Non fuit sane Bethlehem assignata levitis ad habitandum, sed, ut quidam existimant, cum tum iam essent omnia perturbata, serviebat ibi servitutem (?) » (*Mald.*). Plures, quae levitis fuerant assignatae, urbes in potestate erant gentilium ; hinc ortum duxisse videtur levitarum genus quoddam vagum atque ad licentiam pronum.

Hebr. legit מבית לחם יהודה ממשפחת יהודה והוא לוי, et consentiunt *Vulg. LXX Chald.* Error tamen indubie subest. Nam illud *ex cognatione Iuda* neque ad iuvenem referri potest, qui levita fuisse affirmatur, neque ad Bethlehem (*Vatabl.*), cum ex praecendente *Iuda* abunde determinetur, neque urbes sed homines cognationibus adscribi consueverint. Putabat quidem *Iarchi* maternum levitae genus e tribu Iuda repeti : at non a matre genealogia duci consuevit. Arbitratur *Keil*, id tantum efferri, eum levitam quoad domicilium tribui Iuda fuisse adnumeratum : verum *cognatio* non domicilium, sed originem exprimit, neque is cognationi Iuda ullatenus adscribi potest, qui, cum Iudaeus non sit, intra fines tantum tribus Iuda *peregrinatur*. Rursum censet *Bertheau*, fuisse ex illis levitis, quibus Ios. 21, 9-19 intra fines tribus Iuda fuissent sedes attributae, idque ideo h. l. inculcari ut perspiciamus, levitas montem Ephraim incolentes omnem cum Micha communionem declinasse, dum levita Iudaeus nullo scrupulo retardatus fuerit, quominus apud illum sacris litaret. Gratuito effingitur illud de montis Ephraim levitis ; insuper *cognatio* non domicilium, sed originem exprimit. Hinc cum uno codice hebraeo *Houb.* omittit *ex cognatione Iuda*, dum LXX *Vatic.* prius *Iuda* ignorat : perperam uterque. Solutionem intelligas ex *Syr.* מבית לחם יהודה ושמו לוי, *de Bethlehem Iuda, et nomen eius Levi*. Habet quidem et haec lectio errorem, cum ex 18, 30 viri nomen non Levi fuerit, sed Ionathan. At facile, literis quibusdam transpositis aliisque defiguratis, corrumpi potuit ושמו יהונתן in ממשפחת יהודה, ut genuinus textus sit *de Bethlehem Iuda, et nomen eius Ionathan, et ipse levites*. Mirum sane, adolescentis nomen tota primum narratione suppressum tandem 18, 30 abrupte adscribi.

v. 8 « *Egressusque de civitate Bethlehem peregrinari voluit, ubicumque sibi commodum reperisset* ». « Ingenio levi et inconstanti et, quod deterius est, a suorum pietate ac religione degenerante levites hic fuit » (*Menoch.*). « *Cumque venisset in montem Ephraim, iter faciens, et declinasset parumper in domum Michae* », — *Hebr.* simpliciter : *cumque venisset in montem Ephraim usque ad domum Michae, iter faciens* — v. 9 « *interrogatus est ab eo, unde venisset. Qui respondit : Levita sum de Bethlehem Iuda et vado, ut habitem, ubi potuero (et utile mihi esse perspexero)* ». v. 10 « *Dixitque Michas : Mane apud me et esto mihi parens ac sacerdos* ». Idem levita 18, 19 iterum *pater* salutatur, ut is titulus sacerdotibus vix non communis fuisse videatur. Eodem nomine Gen. 45, 8 designatur Ioseph, 4 Reg. 6, 21 et 13, 14 Elisaeus, et generatim viri in Oriente auctoritate praevalentes. Ergo non est cum *Cassel* premenda antithesis, qua v. 11 tamquam *filius* esse habitus narratur idem, qui v. 10 *pater* salutabatur. Crediderim autem meros levitas patres haud fuisse appellatos, cum nostro levitae aeque *patris* ac *sacer-*

dotis titulus acquirendus proponatur. « *Daboque tibi per annos singulos* » — ita vertendum לימים, 1 Reg. 1, 3; 27, 7 et *Chald. tempore statuto*; male LXX εἰς ἡμέραν, ubi etiam pecunia singulis annis pendenda omnem modum excederet — « *decem argenteos ac vestem duplicem, et quae ad victum sunt necessaria* ».

Reliqui addunt *et ivit levita*, quod facile vel excidere vel irrepere potuit ob similitudinem duarum sequentium vocum. — ערך proprie est *series*, quam seriem determinantes *Vulg. Chald. Aq. Symm. Theod.* scripserunt *par*. Cur autem par? *Rabbini* : vestem unam hiemalem, alteram aestivam. Alii : unam domi gestandam, alteram in publico ; unam diebus festis, alteram feriatis : *Calm.* tunicam et pallium. Cur non potius : duo pallia? Qui praebet vestimentum, potius censendus est dare vestem exteriorem, qua quis in publicum prodeat, interiorem privato studio procurandam permittens. LXX seriem indeterminatam relinquit : στολὴν ἱματίων (cf. 14, 12), *Cai.* « integra provisio vestium », *Cler.* « vestes necessarias ». Crediderim, Micham pactum esse numerum vestium *determinatum*.

v. 11 « *Acquievit* » — ita recte *Vulg. Chald. Syr.*, licet verbum alias etiam sensum *coepit* (LXX) induat, qui tamen h. l. non quadrat — « *et mansit apud hominem, fuitque illi quasi unus de filiis* », tam carus et familiaris, cf. 2 Reg. 12, 3. — v. 12 « *Implevitque Michas manum eius, et habuit puerum sacerdotem apud se* » : v. 13 « *Nunc scio, dicens, quod benefaciet mihi Deus* » — reliqui *Dominus* : Iahve se praestare obsequium homo arbitratur — « *habenti levitici generis sacerdotem* ». Legem transgressus est ille levita, licet malitia an ignorantia id egerit, nostrum non sit definire. Levita cum esset, sacerdotis officia usurpavit; iis functus est coram simulacris lege proscriptis (*Theodoret*). Bene autem monet *Lap.*, nos facto doceri, « quanta olim fuerit opinio et religio status levitici et ecclesiastici ». Sane eo tunc honoris loco levitae habebantur, quem illis Moyses legislator assignaverat. Micham bona fide actum esse, dubitare vix possumus : « hominis imperiti sermo », inquit *Malv.*, « et in pietate parum instituti ». Iahve appellat, benedictionem se promereri confidit; cur eius verba sincera fuisse infitiamur, nulla omnino est ratio. Gratuito autem avaritiae virum damnat *Calm.*, quod putaverit ex maiori iam populi concursu maius sibi lucrum esse proventurum : tale lucrum *divini beneficii* nomine significari, audacius asseritur. Supprimendus est pruritus Michae in omnibus et per omnia carpendi : tota haec narratio affertur, qua condemnetur non tam rudis Michae inculta mens, quam potius cultus superstitiosus ex eius domo in Dan Lais translatus, cum gravi populi hebraici scandalo.

CAP. XVIII v. 1 « *In diebus illis non erat rex in Israel* ». Reliqui praeter Vulg. omnes pergunt : *et in diebus illis tribus Dan etc.* Quae si prioribus iungantur, habetur tautologia bis repetitis vocibus *in diebus*

illis. Hinc nostrum incisum censeo ad priora esse trahendum. Illud in his capitibus quater legitur, semperque unam narrationis paragraphum seu stropham concludit. Narratur 17, 1-6 privata Michae superstitio, concluditurque formula « In diebus illis non erat rex ». Eadem superstitio 17, 7-13 demonstratur adhibito levita in iustae veluti religionis locum promota, eademque formula 18, 1 narratio absolvitur. Illa superstitio 18, 1-31 exhibetur e privata facta publica, et subiungitur v. 31 eadem formula (quam quidem ibi *Hebr. Chald. Syr.* ad sequentia trahunt). Sequitur narrata strages Beniaminitarum, concluditurque 21, 24 eadem illa formula. Habes hic disponendae narrationis rationem, qua Samuelem usum esse aliunde novimus. Cf. quae diximus de septem paragraphis, quibus coalescit 1 Reg. 1-7; item de strophica serie narrationis 1 Reg. 18, 6 29, quae vel Samuelem ipsum, vel certe eius discipulum Gad habet auctorem. Indidem inferas, cap. 17-18 et 19-21 non esse duas distinctas appendices, sed unam continuam narrationem. Quod ad tempus, quo Michas vixerit, definiendum plurimum confert.

c) IDOLUM APUD DANITAS CELEBRE. — 18, 1-31

ARG. — Danitae finibus angustioribus compressi exploratores mittunt, qui novas sedes circumspiciant. Hi levitam in domo Michae offendunt, qui eorum expeditioni prospera quaeque apprecatur. Quibus reversis sexcenti Danitae subigendae civitati Lais se accingunt. Idolum Michae cum s. supellectili vi asportant, ipsi levitae, ut eis se iungat, persuadent, Michae querelas minis compescunt. Tandem civibus Lais nec opinantibus oppressis, ib. idolum constituunt.

« *Et tribus Dan quaerebat possessionem sibi, ut habitaret in ea; usque ad illum enim diem inter ceteras tribus sortem non acceperat* ». Vel *Ios.* intellexerat, id intelligi oportere non de sorte generatim, sed de sorte *sufficienti*. Ipso v. 2 docemur, Danitas tum Saraam et Esthaolem possedisse; soli sexcenti viri armati v. 11 migrant in Lais, dum Num. 26, 43 sexaginta quatuor millia quadringenti Danitae « a viginti annis et supra » (v. 2) numerabantur. Quod autem Danitarum fines non omnibus suffecerint, *Ios.* merito rationem repetebat ex 1, 34, ubi narrabantur iidem in montibus ab Amorrhaeis esse coarctati. Negligentiae cuiusdam argui Danitas censet *Cai.*, cum dicantur *usque ad illum diem* sorte caruisse : negligentia est, si conferas cum 1, 27-36, cuius sane loci sensus is est, tribuum negligentia factum esse, ut singulae serius suos fines a gentilibus purgarint. — Demonstrabamus n. 3, accidisse haec omnia circa tempus mortis Iosue.

v. 2 « *Miserunt ergo filii Dan (stirpis et) familiae suae quinque viros fortissimos de Saraa et Esthaol, ut explorarent terram et diligenter inspicerent, dixeruntque eis : Ite et considerate terram* ».

Hebr. Chald. : *de cognatione sua quinque viros, de finibus suis* (מקציהם) *viros fortes*. Cum vox אנשים bis scribatur et utrobique sequatur vox incipiens a מ, facile apud *Vulg. LXX Syr.* alterum excidit incisum. Sed quid significat מקצותם ? Utique *de finibus suis*, non tamen ut cum *Ser.* intelligamus *territorium*, cum quippe sensum vox induit nunquam. Ea Num. 22, 41 designat *extrema* castrorum, 3 Reg. 12, 31 et 13, 33 extremos seu *infimos* populi : ergo etiam h. l. *de extremo agmine suo*, qui possessionem nondum acceperant, primis omnia occupantibus. Tamen Gen. 19, 4 ; 47, 2 מקצה videtur etiam habere sensum *de totalitate*, ergo h. l. *de toto suo numero* (*Keil*). Prior sensus videtur praeferendus.

« *Qui cum pergentes venissent in montem Ephraim et intrassent domum Michae, requieverunt* », pernoctaverunt « *ibi* ». v. 3 « *Et agnoscentes vocem adolescentis levitae utentesque illius diversorio, dixerunt ad eum : Quis te huc adduxit ? quid hic agis ? quam ob causam huc venire voluisti ?* » Ultima quaestio in *Hebr.* : *quid tibi hic* ? cum sequatur responsio « mercede me conduxit », etiam verti potest : Quid tibi hic emolumenti ? Ceterum contextus clarius patet in *Hebr.*, apud quem v. 3 explanat illas v. 2 voces *pernoctarunt ibi*. Habet igitur : *Et ipsi quidem prope domum Michae fuerant, et agnoverant adolescentis levitae vocem, et diverterant illuc*. Etiam Danitas visitaverat iste levita vagabundus, fortasse superstitiosis quibusdam artibus eorum favorem promeritus erat. Putaverat *Cai.* dialecto agnitum levitam ; immo *Lyr.* putabat, ex dialecto Danitas perspexisse iuvenem Bethlehemitam esse. Num igitur tanta erat dialectorum diversitas, ut singulae urbes dissono ore loquerentur ? Num sola dialectus viris armatis tantam admirationem fecit ? Sed aliam solutionem probabiliorem suggerit *Cassel*. Ex. 28, 33 sqq. praescribitur vestis pontificis ornanda tintinnabulis, « ut audiatur sonitus (קול), quando ingreditur et egreditur sanctuarium ». Iam hanc pontificis vestem imitatus erat noster levita, neque mirum est, summa admiratione perculsos esse Danitas, ubi virum pontificio ornatu deprehenderunt. v. 4 « *Qui respondit eis : Haec et haec praestitit mihi Michas, et me mercede conduxit, ut sim ei sacerdos* ». v. 5 « *Rogaveruntque autem eum, ut consuleret Dominum, ut scire possent, an prospero itinere pergerent (et res haberet effectum)* ».

Hebr. LXX Deum, unde *Cai.* : « parva istis cura fuit, an verum Deum an opinatos deos consulerent ». Melius *Calm.* : « Usi sunt nomine אלהים, quod de fictis numinibus interdum usurpatur. Sed levites respondet nomine יהוה ; quod in eam persuasionem inducit, utrosque, tam consulentes quam respondentem, verum Deum coluisse,

quamquam cultu superstitioso neque sincero ». Minime sane cum *Drus.* vertendum *deos.*

v. 6 « *Qui respondit eis : Ite in pace ; Dominus respicit viam vestram (et iter), quo pergitis* ». *Hebr. coram Domino est via vestra.* « Vulg. sensum optime expressit, nam quae sunt coram nobis, ea adspicimus ; eaque, quae adspicimus, probare dicimur, nam quae odimus, ab iis oculos avertimus » (*Cler.*). Quam ad bellum expediti essent Danitae quamque incurii cives Lais, in comperto erat : tribues igitur oraculum aut daemonis praestigio aut fraudi levitae (*Calm.*).

v. 7 « *Euntes igitur quinque viri venerunt Lais* » seu *Lesem* Ios. 19, 47, regionis Rob ob Iud. 18, 28, postea Lais vel Lesem Dan appellatam, nunc Tell-el-Kadi, ad ipsos Iordanis fontes sitam, septentrionem versus, terminum extremum terrae sanctae, quae « a Dan usque Bersabee » porrigebatur ; « *videruntque populum habitantem in ea absque ullo timore, iuxta consuetudinem Sidoniorum, securum et quietum, nullo ei penitus resistente, magnarumque opum, et procul a Sidone atque a cunctis hominibus separatum* ». Enumerantur rationes, quae eam urbem specialius Danitis commendarent. Primum generalius affirmantur incolae habitasse securi iuxta consuetudinem Sidoniorum. Transierant modo exploratores prope Chananaeorum civitates renascentis iam tum post inflictam a Iosue cladem Asoritarum confoederationis, civitates munitissimas omnique belli apparatu instructas : percellit Laisitarum securitas apertam urbem incolentium, rei non bellicae sed mercatoriae unice intentorum. Habitant atque *securi et quieti*, ex vicinis quippe *nemo eis vel minimam molestiam inferebat* (דבר recte *Vulg.* vertit *penitus*), a longinquis nihil sibi timebant. Praeter imbellem vero securitatem alliciebant Danitas *magnae opes*. Porro vix quisquam Laisitis opem ferre poterat, *cum longo itinere distarent ipsi a Sidoniis, nec esset eis verbum cum ullo homine* — sed pro אדם plures codices LXX legebant ארם, quae « lectio est non spernenda » (*Calm.*), ut sensus sit : *nec haberent ullam cum Syris societatem.* Inter Syros quippe et Sidonios incolebant.

כלם primitus significat *confusione afficere* (LXX), dein *damnum inferre* (*Chald.*), *molestia afficere* (*Vulg.* ad 1 Reg. 25, 7 ; cf. 20, 34). Addunt reliqui *in terra*, in vicinia. — Varie vertunt יורש עצר, ubi perperam *Vulg. Syr.* copulam praefigunt : asyndetice, sicut in voce שקט, novum motivum inducitur. Unam vocem repetitam et defiguratam legebat et *Syr. quaerens molestiam et angustiam* : יורש דרש עצר ; et similiter LXX *possessor exspectans thesauros.* Iam missis his erroribus, *Syr.* retinuit radicis עצר sensum primarium *concludere,* hinc *angustiare, molestia afficere. Chald.* consonantes alio ordine legebat צער, hinc *possessor parvitatis*, negans quemquam Laisitarum inopia laborasse. *Vulg.* LXX radici עצר, quae cum עזר constanter permutatur, eam significationem vindicant, quae ei 1 Reg. 9, 17 indubie competit, ut expri-

mat cuiusvis generis *adminiculum, alimentum*, hinc *imperium, opes*. Et haec significatio omnino praeferenda, nam inter exterminandorum Laisitarum rationes eorum opes minime silentio praetereundae erant.

v. 8 « *Reversique ad fratres suos in Saraa et Esthaol et, quid egissent, sciscitantibus responderunt* » : v. 9 « *Surgite, ascendamus ad eos: vidimus enim terram valde (opulentam et) uberem. Nolite negligere!* » Qui possessionem sibi a Deo attributam occupare neglexerant, iam in subigenda regione, quam ipsi sibi elegunt, omnem excutiunt negligentiam (*Cai.*). *Hebr. et vos siletis*, quod construendum interrogative, *silendi* verbo uti 3 Reg. 22, 3 *negligendi* significationem induente. Minus bene *Cler.* : « Quare tacete — ne rumor ullus de vestro consilio ad illos perveniat ». « *Nolite cessare ; eamus et possideamus eam* ». *Hebr. Non sitis remissi ad eundum, ut veniatis ad possidendam terram.* « *Nullus erit labor* » ; quibus verbis *Vulg.* reddit, quod reliqui ad sequentia trahunt, incisum *Ubi veneritis etc.* v. 10 « *Intrabimus ad securos, in regionem latissimam* », *Hebr. latam utrimque*, longe lateque patentem (cf. Gen. 34, 21 ; 1 Par. 4, 40 ; Ps. 103, 25), « *tradetque nobis Dominus* » — *Hebr. LXX Syr. Deus* — *eam in manus* : id ex levitae oraculo inferunt exploratores (*Keil*) ; « *locum, in quo nullius rei est penuria eorum, quae gignuntur in terra* » « hac, vel in qualibet terra » (*Drus.*) : hoc alterum melius.

v. 11 « *Profecti igitur sunt* » — *inde* addunt reliqui, quod *Ros.* interpretatur *tunc*, sed Os. 2, 15 (17) eam significationem haud confirmat. Primum locus profectionis generatim indicatur *inde*, dein nominantur *Saraa* et *Esthaol* — « *de cognatione Dan, (i. e.) de Saraa et Esthaol sexenti viri accincti armis bellicis* », cum familiis et impedimentis, sed non necessario sexcentae familiae (*Cassel*), cum virorum quidam fortasse uxoribus caruerint. v. 12 « *Ascendentesque manserunt in Cariathiarim Iudae* », cf. 1 Reg. 6, 21, hodie Kariet-el-Enab, secus viam quae Hierosolymis descendit Ioppen. Patet *in* h. l. idem esse quod *prope* (*Cai.*). « *Qui locus ex eo tempore Castrorum Dan nomen accepit et est post tergum* », i. e. ab occidente, « *Cariathiarim* ». De loco Mahaneh Dan cf. 13, 25 : ibi describitur fuisse « inter Saraa et Esthaol », hic « ab occidente Cariathiarim », perperam *Ros.* duos locos distinctos facit. Perperam ex loci nomine infert *Keil*, ib. Danitas *diutius* consedisse : quam longo brevive tempore morati sint, nescimus. Potuit utique is locus seligi, quo ex variis partibus sexcenti viri confluerent (*Cler.*) ; vel forte ib. prima itineris nocte substiterunt. v. 13 « *Inde transierunt in montem Ephraim. Cumque venissent ad domum Michae* », v. 14 « *dixerunt quinque viri, qui prius missi fuerant ad consideran-*

dam terram Lais, ceteris fratribus suis : Nostis, quod in domibus istis sit ephod et theraphim et sculptile atque conflatile ? Videte, quid vobis placeat ». *Bonfr.* aliique ultima verba interpretantur sic : Videte, utrum istas res auferre velitis, necne. Immo *Calm.* : Videte, velitisne iam consilium, quod ante cepistis de iis rebus auferendis, executioni mandare. Reapse, v. 15 sqq. suggerit, eos eo consilio venisse, ut eas res furarentur. — Cur *in domibus ? Keil* domum Michae putat in aliquo vico fuisse. *Bertheau* verba cum aliqua ironia interpretatur : En domus istae ne quidem urbem aut arcem efficiunt, exiguamque sanctuario praebent protectionem ; verum longius id petitur. Sed ex v. 22 (*Hebr.*) discis, plures eo loco fuisse domos.

v. 15 « *Et cum (paululum) declinassent, ingressi sunt domum adolescentis levitae, qui erat in domo Michae, salutaveruntque eum verbis pacificis* ». *Hebr.* absolute *domum Michae* : domus levitae videtur fuisse pars domus Michae, vel potius domuncula quaedam ad illam pertinens. v. 16 « *Sexcenti autem viri ita, ut erant armati, stabant ante ostium* ». « Eo igitur venientes Danitae quinque e suis, qui prius ad inspiciendam Laisam venerant, quique cum levita illo in priori itinere consuetudinem aliquam habuerint, ad eum miserunt. Horum alii virum sermonibus detinebant deludebantque ad reliquum agmen non procul positum, reliqui vero sacellum ingressi, quidquid in eo nacti sunt, abstulerunt redieruntque ad socios » (*Calm.*). In fine versus reliqui addunt *qui erant de filiis Dan.* — v. 17 « *At illi, qui ingressi fuerant domum iuvenis, sculptile et ephod et theraphim atque conflatile tollere (nitebantur), et sacerdos stabat ante ostium* » *portae*, « *sexcentis viris fortissimis (haud procul exspectantibus)* ». v. 18 « *Tulerunt igitur, qui intraverunt, sculptile, ephod et idola atque conflatile* ».

Sensus planus, sed textus ex parte incertus. Primum *Vulg.* perperam scripsit domum *iuvenis*, ubi h. l. LXX et v. 18 omnes habent domum *Michae*. Ergo, dum iuvenis sacerdos ante domum *suam* cum sexcentis colloqueretur, quinque viri clam *domum Michae* intraverunt, non domum in qua Micha habitabat, sed aediculam de qua 17, 5. v. 18 excidit ואת ante אפוד et fortasse item articulus ante פסל : cf. eandem enumerationem v. 17. — Insuper initium v. 17 utique est corruptum : duo verba באו et לקחו sine ו scribi non possunt ; insuper v. 18 idem omnino, et quidem verbis vix non iisdem, edicit atque v. 17, quam tautologiam *Vulg.* tollere attentavit inserta voce *nitebantur*. Iam adverte v. 17. באו שמה et בית מיכה videri ad unum eundemque textum revocari, cum illud habeat *Hebr. Chald. Syr.*, alterum *Vulg.* (correcto הנער in מיכה, uti modo monuimus), LXX utrumque coniungat. לקחו את facillime oriri potuit ex corrupto לקחת את, atque ita v. 17 primitus incipiebat sic : ויעלו חמשת וגו׳, בית מיכה לקחת את וגו׳, *et ascenderunt quinque viri, qui iverant ad considerandam terram, in domum Michae, ut tollerent etc.* En tibi v. 17 solum consilium, v. 18 ipsum facinus enarrat, tolliturque tautologia.

« *Quibus dixit sacerdos : Quid facitis?* » v. 19 « *Cui responderunt: Tace et pone digitum super os tuum* », — *ponere manum super os* etiam alias silentium exprimit Job. 29, 9; 39, 34; Prov. 30, 32; Eccli. 5, 14 — « *venique nobiscum, ut habeamus te patrem ac sacerdotem. Quid tibi melius est, ut sis sacerdos in domo unius viri, an in una tribu et familia in Israel* »? Non integra tribus erant illi sexcenti viri, sed suam causam nonnihil exaggerant, exaggerationem postea adiecto *et* (vel *aut*) *familia* corrigunt. v. 20 « *(Quod cum audisset), acquievit (sermonibus eorum)* » — *Hebr. hilare factum est cor sacerdotis*, cf. 1 Reg. 25, 36; 2 Reg. 13, 28. Non sine terrore viderat auferri sacra, quorum cultus ipsi annonam et honorem suppeditabat : ubi audiit, sibi cum illis profecturo meliorem etiam locum reservari, sui unice sollicitus terrorem commutat laetitia atque, ne vale quidem Michae dicto, proficiscitur — « *et tulit ephod et idola ac sculptile, et profectus est cum eis* » vel potius *in medio populi* : adverte etiam foederis arcam, quando populus proficiscebatur, in medio agmine Num. 10, 21 processisse; Iahve cultum in omnibus imitatur noster levita. Hoc versu non enumeratur *conflatile* ; hinc perperam infert, *Cassel* rapaces Danitas pretiosum hoc conflatile e manibus non dimisisse.

v. 21 *Hebr.* incipit : *Et converterunt se* (« declinaverant » enim v. 15) *et iverunt et posuerunt etc.* « *Qui cum pergerent, et ante se ire fecissent parvulos ac iumenta et omne, quod erat pretiosum* », v. 22 « *et iam a domo Michae essent procul, viri, qui habitabant in aedibus Michae, conclamantes secuti sunt* ». Perperam *Mar.* intelligit *pretiosa*, quae praeter res sacras e domo Michae fuerint abrepta. Perspexerat *Cai.* agi de familiis, gregibus universaque supellectili, quae in novas sedes migraturi Danitae secum ex pristinis sedibus attulerant. Haec praemittebant, atque ipsi agmen claudebant. — Clarius *Hebr. : viri, qui erant in domibus, quae erant prope domum Michae. LXX Michas et viri etc* : Micham cum viris fuisse ostendit v. 23, eius autem h. l. nomen scribi non potuit, quia niphal verbi non significat *conclamantes*, sed *convocati* seu *congregati sunt* (*Vatabl.*), non ab alio sane quam ab ipso Micha (*Calm.*). v. 23 « *Et post tergum clamare coeperunt. Qui cum respexissent, dixerunt ad Micham : Quid tibi vis? cur clamas?* » Secundum modo dicta verte *cur convocamus* seu *congregatus es?* (*Chald.*), sc. tu cum tuis. v. 24 « *Qui respondit : Deos meos, quos mihi feci, tulistis, et sacerdotem* », *et abitis.* אֱלֹהַי, quod *Masor.* pluresque versiones interpretati sunt pluralem *deos meos*, aeque punctari potest singularis *deum meum*, quod fecit *Chald.* et *LXX Alex.* : perperam igitur *Cassel* affirmat, qui ante semper Iahve nomen in ore habuerit Micha, eundem iam ad extrema redactum secreta cordis pandere seque deorum plurium

cultorem profiteri. — Pro « *et omnia, quae habeo* », verte secundum *Hebr.*: *et quid ultra habeo?* « Sublatis diis et sacerdote quid mihi superest? » (*Mar.*). Haec mihi prae ceteris et unice pretiosa. « *Et dicitis: Quid tibi est?* » quae tibi causa querelarum? v. 25 « *Dixeruntque ei filii Dan: Cave, ne ultra loquaris ad nos, et veniant ad te », et irruant in vos, « viri animo concitati, et ipse cum omni domo tua pereas* ». *Viros amari animi* interpretatur *Vatabl.* « iracundos, biliosos, promptos ad iram », ergo habitu iracundiae infectos. Fortasse melius *Bonfr.* « exasperati et ira inflammati », ob eum qui praecessit eventum, cf. 1 Reg. 30, 6. Nonne aequum erat, ut sacra illa penes integram Danitarum cognationem asservarentur potius, quam apud unam Michae familiam? Quis aegre ferret, eos, dum ad extremos terrae sanctae limites proficiscerentur, aliquid rerum sacrarum secum asportasse, quo, qui a Silunte proxime abessent, minime indigerent? Insignis fuerat abstinentiae praeter sacra illa nihil Michae auferre, non annonam, non greges. Nunc vero furti accusantur, premente eorum vestigia armato et turbulento agmine. Quis hoc ferat? cuius non animus amarescat? v. 26 « *Et sic coepto itinere perrexerunt. Videns autem Michas, quod fortiores se essent, reversus est in domum suam* ».

v. 27 « *Sexcenti autem viri tulerunt sacerdotem et quae supra diximus* ». *Hebr.*: *Et ipsi tulerunt id, quod fecerat Michas, et sacerdotem, qui erat ipsi.* Praeclara ad bellum praeparatio! Simulacrum manu factum furtoque ablatum eis animos addit, ut nec opinantes adoriantur et trucident. « *Veneruntque in Lais ad populum quiescentem atque securum, et percusserunt eos in ore gladii urbemque incendio tradiderunt* », v. 28 « *nullo penitus ferente praesidium, eo quod procul habitarent a Sidone, et cum nullo hominum haberent quidquam societatis ac negotii* ». Cf. quae diximus ad v. 7. Quae omnia fiunt nomine Iahve, bona apprecante sacerdote levitico, ad instar anathematis in lege praescripti Deut. 7, 2 sqq.; Ios. 6, 21 sqq.: civitas quippe anathemati tradita incendio delenda iubebatur, percussis in ore gladii incolis universis. Verum adverte Deut. 20, 16 sqq. anathema limitari « his civitatibus, quae dabuntur tibi », Lais autem non fuerat a Deo Danitis concessa: restringitur ad civitates Hethaeorum, Amorrhaeorum, Chananaeorum, Pherezaeorum, Hevaeorum et Iebusaeorum, e quorum numero non censebantur esse Sidonii. Causa vero, cur anathemate destruenda aliqua civitas, haec describitur: « ne forte doceant vos facere cunctas abominationes, quas ipsi operati sunt diis suis, et peccetis in Dominum Deum vestrum », cf. Deut. 7, 2 sqq. « *Erat autem civitas sita in regione Rohob* », *Hebr. in valle, quae versus Beth Rohob protenditur.* De Rohob diximus in 2 Reg. 10, 6. « *Quam rur-*

sum exstruentes habitaverunt in ea », v. 29 « *vocato nomine civitatis Dan iuxta vocabulum patris sui, quem genuerat Israel; quae prius Lais dicebatur* ».

v. 30 « *Posueruntque sibi sculptile* ». Facilem victoriam simulacro acceptam referebant. Posuerunt igitur illud *sibi*, qui verus est dativus commodi; constituerunt in loco honorifico, quo ei de cultu, sibi de protectione prospicerent. « *Et Ionathan, filium Gersam, filii Moysi, ac filios eius sacerdotes in tribu Dan usque ad diem captivitatis suae* ». Tribum Dan intellige, non universam (*Cai.*), sed « Danitas extra sortis suae limites habitantes » (*Bonfr.*). Cum ad 18, 1 ostenderimus, hos eventus circa tempus mortis Iosue accidisse, non est, cur Ionatham immediatum Moysis ex Gersam Ex. 2, 22 nepotem fuisse infitiamur.

Contra *Vulg.* et *keri* h. l. omnes adhaerent *kethib* pro משה legenti מנשה cum נ suspenso. Explicant *Talmudistae*, Gersonem hunc filium Moysis fuisse, sed ob pravitatis opera inserto נ dici filium Manassis, i. e. impii filii Ezechiae regis. Lusus est rabbinicus, is vero perquam antiquus, quem h. l. revera obtinuisse iam omnes fere concedunt. Cf. *de Rossi*.

v. 31 « *Mansitque apud eos idolum Michae* » — *Hebr. Statueruntque sibi sculptile Michae, quod fecerat*, — « *omni tempore, quo fuit domus Dei in Silo. In diebus illis non erat rex in Israel* ». Quamdiu fuerit domus Dei in Silo, scimus : tamdiu sc. quoad Deus « repulit tabernaculum Silo » (Ps. 77, 60), quod factum est arca a Philisthaeis capta. Vix credendum, s. auctorem tabernaculum arca orbatum appellaturum fuisse *domum Dei* ; ceterum ipsum etiam tabernaculum, Samuele adhuc superstite, iam Silunte discesserat 1 Reg. 21, 7. Auctor scribens, quo tempore domus Dei non iam esset Silunte, verbis *statuerunt omni tempore, quo etc* evidenter exprimit, post illud tempus istud idolum non exstitisse.

Sed difficultatem non exiguam faciunt suprema v. 30 verba עד יום גלות הארץ cum v. 31 componenda. *Hebr.* habet : *et erexerunt sibi filii Dan sculptile, et Ionathan etc, ipse et filii eius, fuerunt sacerdotes tribui Dan usque ad diem denudationis terrae.* Ultima verba reddidit *Vulg. diem captivitatis, LXX diem migrationis, Chald. diem qua migraverunt habitatores, Syr. diem qua feriata est terra.* Omnes igitur in sensu *captivitatis* conveniunt seu *migrationis*. Eadem expressio in libris posterioribus solemnis est pro exsilio assyriaco vel babylonico 4 Reg. 17, 23. 28; 18, 11; 24, 14 sq.; 25, 21; Is. 5, 13; Ier. 1, 3; 40, 1. Obiicit *Cassel*, secus *captivitatem* praedicari de Iuda, Ierusalem, Israel, Samaria etc, quae sint nomina populorum; non posse praedicari de *terra*. Respondeo, secus captivitati addici urbes pro incolis, tamquam continens pro contento : ergo etiam eidem addici posse terram pro incolis, quos contineat.

Ergo cum versionibus h. l. vertendum *usque ad diem captivitatis terrae.* Ubi *terra* intelligi potest vel regio circa Dan Lais, quod intellexit *Vulg. suae*; vel tota terra sancta, regio scriptoris inspirati. Tandem contextus efficit, *usque ad diem captivitatis terrae* non solum fuisse sacerdotes in Dan Lais, sed eosdem ibi apud Michae simulacrum sacris litasse. Id suadet nexus sententiarum : *erexerunt sibi sculptile, et Ionathan et filii fuerunt sacerdotes.* Item : *erexerunt sibi sculptile filii Dan, et Ionathan et filii sacerdotes tribui Dan.* Ergo tamdiu duravit sacerdotium, quamdiu sculptile; sed hoc cessavit, quo tempore domus Dei recessit Silunte; ergo re idem est *dies captivitatis terrae* atque *tempus, quo recessit arca de Silo.*

Quare non miraberis, praeter *Rabbinos* interpretes plures (*Ser., Vatabl., Lyr., Abul., Sa, Est., Malv., Lap., Tir., Gord., Sacy, Clair* etc) recurrere ad captivitatem aliquam, quae locum habuerit, quo tempore arca in manus inciderit Philisthaeorum. Ubi plerique supponunt, Israelitarum tum plurimos a Philisthaeis in captivitatem fuisse abductos. At licet sine dubio captivi abducti sint aliqui, nulla tamen exsistit ratio, tot esse abductos, ut merito liceat affirmare, *terram* transmigrasse; neque id evincit Ps. 77, 61 « Et tradidit in captivitatem virtutem eorum, et pulchritudinem eorum in manus inimici », cum id sit poetice dictum; neque is erat Philisthaeorum mos, ut nationes devictas intra angustos Philisthaeae fines comprimerent, sed ut demptis armis fabrisque ferrariis eas subactas tenerent. Alii recurrunt ad 1 Reg. 4, 21 sq. : « Translata est gloria de Israel », גלה כבוד, ut evincant, illam cladem appellari posse *translationem terrae*, גלות הארץ. *Malv.* vertit « usque ad tempus, quo migravit e terra », scilicet domus Dei seu arca; at expressioni hebr. libri posteriores alium sensum vindicant.

Hinc *Cai.*, missa hac Philisthaeorum captivitate : « sermo est », inquit, « de captivitate aliqua alia particulari illius terrae facta prius, non enim omnia sunt scripta ». Et *Keil* suggerit vicinos aliquando Syros regni Soba urbe Dan potitos esse incolasque captivos duxisse. Sed haec figmenta sunt.

Quibus fictitiis captivitatibus amandatis, quid tandem superest, nisi ut ad magnam illam captivitatem assyriacam refugiamus, cui designandae expressio גלות הארץ maxime propria est? Ita *Bonfr., Cler., Bertheau, Reuss* aliique. Et oportebit cum *Castalione* concludere : « Hinc apparet, librum scriptum esse post captivitatem ». At haec quoque expositio summa laborat difficultate. Obstat illi contextus, quod supra monuimus. Obstat, quidquid ex toto libro pro eius origine Samuelica aut certe praeexilica colligitur. Unum efferam. Quater his capitibus s. auctor formulam repetit « In diebus illis non erat rex in Israel », cuius sensus is est, nonnisi defectu regiae potestatis fieri potuisse, ut tantae superstitiones, tanta scelera tantaeque discordiae in terra sancta essent. Reges utique pii et iusti eiusmodi impedire potuissent et impedivissent. Verum cogita reges, quales ante exsilium reapse exstitere : continua idololatria, nominatim in ipsa civitate Dan Lais, infanda scelera, permanens gentis in duo regna divisio. Nonne ironiam saperent in scriptore exsilio assyriaco recentiore illa verba « In diebus illis non erat rex in Israel »? Adde, sacerdotium filiorum

Ionathan gratis supponi ad exsilium usque perdurasse. Id inferimus ex destructo v. 31 Samuelis tempore idolo, cuius cultui v. 30 illud sacerdotium arcte copulat. At, inquiunt, brevi interiecto tempore vitulum aureum in Dan Lais constituit Ieroboam eique sacerdotes attribuit, qui sane alii non fuere quam Ionathae posteri. Negandum assertum. Etenim 3 Reg. 12, 31, ubi sermo est de vitulis aureis a Ieroboam in Bethel et in Dan Lais constitutis, scribitur : « Et fecit fana in excelsis et sacerdotes de extremis populi, qui non erant de filiis Levi » — extremos intellige infimos, cf. quae diximus supra ad v. 2. Idemque factum 2 Par. 11, 13 sqq. ita refertur : « Sacerdotes autem et levitae, qui erant in universo Israel, venerunt ad eum (Roboam) de cunctis sedibus suis, relinquentes suburbana et possessiones suas, et transeuntes ad Iudam et Ierusalem eo, quod abiecisset eos Ieroboam et posteri eius, ne sacerdotio Domini fungerentur. Qui constituit sibi sacerdotes excelsorum et daemoniorum vitulorumque quos fecerat ». Iam nonne horum textuum sensus obvius is est, Ieroboamum non solos sacerdotes, sed levitas universim in universa sua ditione, et nominatim in Dan Lais a sacris faciendis exclusisse? Quomodo ex iisdem textibus efficiatur, levitas filios Ionathae inde a Ieroboam et usque ad exsilium sacra in Dan Lais fecisse, equidem non video. Neque ex 3 Reg. 12, 31 neque ex 2 Par. 11, 13 sqq. ulla ratione fulciri potest assertio, Ionathae posteros inde a Ieroboami tempore sacerdotio esse functos in Dan Lais.

Cum igitur verba illa *usque ad diem captivitatis terrae* contextui minime adaptentur, hinc censuit *Calm.*, ea post decem tribuum captivitatem fuisse *interpolata*. « Neque id utique tamquam absurdum aliquid reiiciendum habebimus, cum in ipsis mosaicis libris nonnulla occurrant, quae diu post Moysen accessisse textui optimi interpretes arbitrati sunt ». Assentiturque *Ew.* II. 402. Interpolator ille antiquissimus aut falso supponebat, eos, qui vitulis aureis serviebant, sacerdotes e posteris fuisse Ionathae; aut ex fonte a 3 Reg. et 2 Par. diverso didicerat, sacerdotibus a Ieroboam de infimis populi creatis postmodum quosdam etiam Ionathae posteros fuisse accensitos. Si hoc, potuit ille interpolator esse auctor inspiratus, fortasse Esdras.

Tandem *Houb.* levem suggerit textus emendationem, הארון pro הארץ, *usque ad diem migrationis arcae*. Ita habetur parallelismus cum expressione v. 31, sensus planus; concordatque 1 Reg. 4, 21 sq., ubi capta arca dicitur *gloriae migratio*, גלה כבוד. Consentit *Kaulen* p. 181 et *Cassel*.

Sententiarum recensitarum ea, quae tenet libri Iudicum auctorem exsilio recentiorem affirmare, Ionathae posteros usque ad exsilium sacerdotio functos esse in Dan, repudianda omnino est. E reliquis, quae magis placuerit, eam amplectere. Cf. *Cornely* II. 1. 221 sq.

d) GABAITARUM SCELUS ET POENA. — IUD. 19-21

Gabaitarum scelus. — Iud. 19

ARG. — Levita uxorem in domum paternam reversam prosequitur atque blanditiis delinitam in domum suam reducit. In itinere autem

Gabaam diversus a lascivis Gabaitis noctu ad foedum scelus exquiritur atque aegre, uxore illis permissa, incolumis ipse evadit. Uxor tota nocte male habita mane exanimis in limine reperitur. Cuius cadaveris frusta maritus in omnes circummittit tribus.

CAP. XIX v. 1 « *Fuit quidam vir levites habitans* » — et quidem *peregrinus* : non ibi nativam obtinuerat sedem — « *in latere montis Ephraim* ».

ירך *femur* significat, inde *latus*; ירכה etiam *latus* significat, cf. Gen. 49, 13; specialim latus montis Is. 37, 24 et 14, 13. Recte igitur *Vulg.* vertit *in latere*, et explicat *Chald. in clivo, Syr. in limine.* Levita ille non montium fauces et recessus incolebat, sed ad radicem vel in clivo, loco uti crediderim patenti atque fertili. Verum, quodnam montis latus intelligatur, disputant. Igitur, attenta primitiva vocis significatione, ירכתים ad sensum *latus posterius* descendit Ex. 26, 23. 27. ; et, quia eius, quem coram intueris, pars posterior a te quoque est remotior, hinc *pars remota* Ier. 6, 22 et 25, 32. At quaenam dicenda montis Ephraim pars posterior seu remotior ? *Bertheau, Keil, Cassel* intelligunt partem *septentrionalem.* Ex mente Hebraeorum illa vox sine addito scripta, si aliquam e mundi partibus designare supponatur, aliam designare nequit nisi *occidentem*, eam sc. cui orientem spectans obvertit tergum. Sed vox sine addito nequaquam determinatam exprimit mundi partem : Ex. 40, 20. 22 (22. 24) adscribitur צפנה ad septentrionem, 36, 27. 32 ימה ad occidentem designandum, quae altera vox v. 28 ex contextu subintelligitur. Aliam significationem erronee adstruit *Ges. pars interior*; omnes quippe, quos appellat textus, recidunt in significationem *pars posterior* seu *remotior.* Ita Ps. 127 (128), 3 : « uxor tua sicut vitis abundans in lateribus domus tuae » : gynaecaeum in parte domus remotiore et respectu advenae posteriore invenitur. 1 Reg. 24, 4 « in interiore parte speluncae » : sed haec ipsa remotior. Is. 14, 15 « in profundum loci » : Hades ad instar domus concipitur. Ion. 1, 5 « ad interiora navis », ad partem sc. posteriorem et remotiorem. — Licet autem ex sola voce בירכתי eruere non possimus, in quo *latere* montis Ephraim ille levita habitaverit, alia tamen suppetunt indicia. Levita e Bethlehem domum *in latere montis Ephraim* revertens v. 18, procedit via Ierusalem, Gabaa, Rama (v. 11 sqq.) : ergo eius domus in clivo montis non australi sed septentrionali erat, fortasse haud longe Silunte.

« *Qui accepit uxorem de Bethlehem Iuda* » ; *Hebr. concubinam* i. e. uxorem secundariam, ergo aliam praeterea habebat uxorem (*Mar.*). *Cassel* ex contextu subodoratur, minus probari s. auctori, quod levita Ephraimita duxerit concubinam Bethlehemiten : nihil eiusmodi habet contextus, neque indulgendum est pruritui, quidquid de eiusmodi viris narratur, sinistre interpretandi. v. 2 « *Quae reliquit eum* » — *fornicata est contra eum,* sed *Vulg.* LXX euphemismo utuntur ; nisi forte ἐπορεύθη corruptum sit ex ἐπορνεύθη (*Ser.*). Euphemismo item *Chald.* utitur : *despexit eam*, — « *et reversa est in domum patris sui in Bethlehem, mansitque apud eum quatuor mensibus* ». Plura de mariti amore et uxoris lentitudine habet *Ios.*, uno misso adulterio, quod textus graecus

non habebat, — vir sua fidelia s. narrationem dealbans. v. 3 « *Secutusque est eum vir suus volens reconciliari ei (atque blandiri) et secum reducere, habens in comitatu puerum et duos asinos* », quorum alter mulieri vehendae inserviret. Reprehendit levitam *Cassel*, quod legem Lev. 21, 7 neglexerit : « Non ducent eam, quae repudiata est a marito ». Sed ea lex solos sacerdotes obligabat, non meros levitas ; mulier non fuerat a marito repudiata ; non agebatur de uxore ducenda, sed de ducta reducenda. Lev. 20, 10 et Deut. 22, 22 uxorem adulteram occidi iubebat, at tum tantum si crimen Num. 5, 13 testibus probari posset ; neque sane peccabat maritus iure poenae se sponte abdicans.

Hebr. praemittit initio versus vocem *et surrexit* ; prior se maritus ex ira, desperatione recepit, ipseque offensus restituendae amicitiae operam navat. *Hebr. ut loqueretur ad cor eius*, quod Gen. 34, 3 Vulg. vertit « delinivit blanditiis ». Cum *keri* omnes versiones *reducere eum*, sola *Vulg.* sequitur *kethib reducere illud*, sc. cor. An forte genuinum textum variae lectiones LXX exhibent : להשיבה לו ?

« *Quae suscepit eum et introduxit in domum patris sui* », delinita blanditiis, fortasse etiam verita, ne adulterium propalaret poenamque lege statutam exigeret. « *Quod cum (audisset) socer eius cumque vidisset, occurrit ei laetus* ». Una laetitiae ratio (*Cassel*), quod maritus dotem patri solvisset (cf. Ex. 22, 17), quam pater debebat restituere, si maritus filiam non reciperet. v. 4 « *Et amplexatus est hominem* ». חזק sensum *prehendendi* habet. *Cler.* : « manu in aedes suas introduxit ». Potius cum LXX *Chald. Syr.* verte *retinuit eum* ; qua generali expressione tota narratio v. 4-9 introducitur. Quod autem levita singulis ex ordine diebus se detineri passus sit, id omnino urbanitatis genus orientalibus usitatum, neque ideo cum *Cassel* carpendus, quod conviviis plus aequo indulserit. « *Mansitque gener in domo soceri tribus diebus, comedens cum eo et bibens familiariter* ». Pro ultima voce reliqui *et pernoctaverunt ibi*. Recte *Malv.* : « *et comederunt et biberunt* i. e. convivabantur hilariter : periphrasis frequens hoc capite et passim in scriptura ». v. 5 « *Die autem quarto de nocte* », primo mane, « *consurgens proficisci voluit* », parabat. « *Quem (tenuit) socer et ait ad eum : Gusta prius pauxillum panis et conforta stomachum, et sic proficisceris* ». v. 6 « *Sederuntque simul* » — *ipsi duo* addit *Hebr.* : uxor illis conviviis non adhibebatur, libenter fortasse profectionem differebat ; interea socer magis magisque generi animum demulcere studebat, ut penitus oblivisceretur acceptae iniuriae — « *ac comederunt et biberunt. Dixitque pater puellae ad generum suum : Quaeso te, ut hodie hic maneas pariterque laetemur* ». Reliqui *et hilarescat cor tuum*. v. 7 « *At ille consurgens coepit velle proficisci* » ; qua vertendi ratione

exprimitur, hominem oppido novisse se nondum dimissum iri. Norat necesse esse, ut voluntas proficiscendi iterato demonstraretur; norat repetitum iri invitationes. Vide verbum קום v. 3. 7. 9. 10 repetitum, variasque invitandi formulas. « *Et nihilominus obnixe eum socer tenuit et apud se fecit manere* ». v. 8 « *Mane autem facto* » *die quinto* « *parabat (levites) iter. Cui socer rursum : Oro te, inquit, ut (paululum cibi capias et) assumptis viribus* » — *Hebr. conforta, quaeso cor tuum*, utique sumpto cibo, cf. v. 5; totam hanc narrationem reddit *Vulg.* nonnihil liberius — « *donec increscat dies, (postea proficiscaris)* ». *Hebr. Et differte, usque dum convertatur dies.* Dies *converti* incipit meridie, quando sol ab ortu ad occasum vergere incipit; eodem sensu intelligi potest *inclinari* (LXX *Syr.*). *Ios.* περὶ δείλην. Sane non intelligitur tempus vespertinum : cum enim iter ex Bethlehem in Silo sit septem circiter horarum, non poterat profectio in vesperum differri, si iter eo die esset complendum. « *Comederunt ergo simul* ». v. 9 « *Surrexitque adolescens, ut pergeret cum uxore sua et puero. Cui rursum locutus est socer : Considera, quod dies ad occasum declivior sit et propinquat ad vesperum ; mane apud me etiam hodie et duc laetum diem* », — in aliquibus divergunt textus, sed quae nullius momenti sint — « *et cras proficisceris* » mature, « *ut vadas in domum tuam* ».

v. 10 « *Noluit gener acquiescere sermonibus eius, sed statim perrexit et venit contra Iebus* », — « per latus enim eius transivit » (*Mar.*) — « *quae altero nomine vocatur Ierusalem, ducens secum duos asinos onustos et concubinam* ».

Praegnanter *Hebr.: et surrexit* de convivio soceri precibus haud obsecutus, *et abiit*, se domo proripuit, *et venit* i. e. processit in itinere etc. Diximus ad 2 Reg. 16, 1, *asinum circumligatum* intelligi vel *onustum* vel *stratum*. H. l. cum *Ios.* praeferimus *stratos* ad equitandum. Non tot impedimenta septem horarum itinere secum adduxerat levita, ut asini duo eis comportandis essent necessarii ; non tot sibi donaria exspectaverat, ut duos illis ferendis asinos secum adduxerit ; sine dubio asinum straverat, quo uxorem ardenter concupitam domum reduceret.

v. 11 « *Iamque erant iuxta Iebus et dies mutabatur in noctem* », — *Hebr. declinaverat multum* — « *dixitque puer ad dominum suum : Veni, obsecro, declinemus ad urbem Iebusaeorum et maneamus in ea* ». v. 12 « *Cui respondit dominus : Non ingrediar oppidum gentis alienae, quae non est de filiis Israel, sed transibo usque Gabaa* ». « Hinc sumitur argumentum », inquit iam *Cai.*, « quod historia haec fuit, antequam Ierusalem esset tam Iudae quam Beniamin ». Si enim Iebusaei tum arcem, Hebraei urbem obtinuissent, non valeret levitae argumentum. *Gabaa* urbs tribus Beniamin, ex historia Saul notissima, nunc Tulel-el-

Ful; *Rama* ab eadem parum distans, er-Ram. v. 13 « *Et cum illuc pervenero, manebimus in ea aut (certe) in urbe Rama* ». *Hebr.* : *Et dixit puero suo : Veni et appropinquemus uni locorum*, « i. e. ad alterum istorum locorum » (*Amama*), qui statim recensentur, *et pernoctemus in Gabaa vel in Rama*.

v. 14 « *Transierunt ergo (Iebus)* », quam vocem apte *Vulg.* supplet, « *et coeptum carpebant iter, occubuitque eis sol iuxta Gabaa, quae est in tribu Beniamin* »; nam est alia Gabaa tribus Iuda Ios. 15, 57 et Gabaath Phinees 24, 33 tribus Ephraim. Sed *Hebr.* : *quae est Beniamini*, quae pertinet ad eum : quae verba scribi potuerunt in oppositione ad Iebus, quae non ad Israelitas sed ad alienigenas pertinebat. v. 15 « *Diverteruntque ad eam, ut manerent ibi* ». Parum *Hebr.* differt. « *Quo cum intrassent, sedebant in platea civitatis* », cf. Gen. 19, 1 sqq. Ibi subsistere consueverant viatores, ubi ab omnibus cernerentur et facilius ab aliquo invitarentur. « *Et nullus eos recipere voluit hospitio* ». Et tamen praeceperat Deus Deut. 10, 19 : « Vos ergo amate peregrinos, quia et ipsi fuistis advenae in terra Aegypti ». Ceterum verba textus et postea v. 18 querelae levitae omnino suggerunt, legem tum viguisse de peregrinis recipiendis.

v. 16 « *Et ecce apparuit homo senex* », senex corpore et mente, atque eorum seniorum 2, 7 vestigia sectatus, qui nossent opera Dei et mandata, « *revertens de agro et de opere suo vesperi, qui et ipse de monte erat Ephraim et peregrinus habitabat in Gabaa* ». Nondum in omni Israel defecerat operum Domini memoria; apud Ephraimitas imprimis, qui circum tabernaculum incolerent, vera etiam pietas florebat. « *Homines autem regionis illius erant filii Iemini* », i. e. Beniaminitae. Disquirunt *Bonfr.*, *Cler.*, quomodo Gabaitae dicantur Beniaminitae, cum Ios. 21, 17 urbs levitis fuerit attributa : confundunt Gabaam et Gebam, de quibus ad 1 Reg. 14, 2 diximus. v. 17 « *Elevatisque oculis vidit senex sedentem hominem cum sarcinulis suis* » — pro quo ablativo reliqui *viatorem* : istud « ad explanandum, quomodo cognoverit illum esse viatorem, adiunctum est » (*Cai.*). Potuit id etiam aliunde, v. g. ex adstantibus asellis, cognosci — « *in platea civitatis, et dixit ad eum : Unde venis? et quo vadis?* » Eae erant interrogationes, quibus viator quivis ignotus salutabatur. v. 18 « *Qui respondit ei : Profecti sumus de Bethlehem Iuda et pergimus ad locum nostrum, qui est in latere montis Ephraim, unde ieramus in Bethlehem, et nunc vadimus ad domum Dei, nullusque sub tectum suum nos vult recipere* ».

Hebr. Nos transimus de Bethlehem Iuda usque ad latus montis Ephraim; inde sum ego, et ivi (אֵלֵךְ) *usque Bethlehem Iuda et ad* (את) *domum Iahve*

ego eo (הלך,) *etc.* Iam quid sit ista *domus Iahve*, dubitatur. Et primum quidem LXX, nulla variante lectione, habet *ad domum meam*; legebat sc. ביתי. Sensus planus et quem prae ceteris exspectares : de Bethlehem iter facimus domum nostram; in Bethlehem domo profecti eramus, nunc domum revertimur. Solidam probabilitatem tribuit auctoritas LXX, quae inde etiam augetur, quod a reliquorum lectione Vulg. dissentiat. — Si *Vulg.* legebat בית אל, debuit utique vertere nomen proprium *Bethel*, estque tum sensus obvius levitam reapse prope Bethel habitasse : idem quippe est *vadere in Bethel* et *pergere ad locum nostrum*. Cum vero Bethel sit locus notissimus, cur non v. 1 simplicius dicebatur levita habitasse in Bethel? — *Hebr. Chald. Syr.* legunt *domum Iahve*, quod idem esse atque Bethel affirmare non ausim, durius enim intra nomen proprium commutantur nomina divina. Intelligendum igitur sanctuarium, quod tum probabilius erat sive in Silo sive in Bethel. Et sensus vel est, levitam prope sanctuarium habitasse, vel nunc, antequam domum repeteret, prius voluisse sanctuarium adire, fortasse devotionis gratia. Potestque ad hanc lectionem revocari lectio LXX, si י finale in ביתי supponatur abbreviatio vocis יהוה. — Quae versiones omnes eam patiuntur difficultatem, locum, quo quis eat, non designari praeposito את. Deut. 1, 19; 2, 7 הלך את significat *peragrare*, Prov. 13, 20 *versari cum*, quae significationes h. l. non quadrant. Neque admitti potest *prope domum Iahve eo* : quis enim, quo vadat rogatus, respondebit nominando terminum, prope quem proficiscitur? *Seb. Schmidt* et alii quidam apud *Keil* : « Apud domum Domini ego versor et nunc nemo me domum recipere vult »; conqueritur indignum esse, ut sacerdoti hospitium denegetur. Pro qua versione auctoritas *Masor.* invocari potest duo ultima incisa praeposito athnach a prioribus separantium. Obest, verbo הלך in eadem sententia bis adhibito eundem necessario sensum esse tribuendum : אלך *iri*, ergo הלך *eo*, non *versor*. — Dicas ergo, aut h. l. demonstrari locum, quo quis vadat, posse designari per את, aut ipsum את mendum esse, nescio quomodo corrigendum.

v. 19 « *Habentes paleas et foenum in asinorum pabulum, et panem ac vinum in meos et ancillae tuae usus* », quo nomine urbane propriam designat uxorem, « *et pueri, qui mecum est : nulla re indigemus nisi hospitio.*

Hebr. pro me et ancilla tua et puero cum servis tuis, ubi *Drus.* : « tanta », inquit, « copia cibi et vini apud nos est, ut etiam servis tuis sufficiat ». Non videtur habuisse servos ille senex. Melius *Bertheau* affirmat, *servos* hic intelligi levitam et uxorem. Ceterum pro singulari עַבְדֶּךָ stant *Vulg. Chald. Syr.*, et cf. *de Rossi.*

v. 20 « *Cui respondit senex : Pax tecum sit, ego praebebo omnia, quae necessaria sunt* » : — *Hebr. tantum omnia necessaria tua super me* : declinat, quod ipsi obtulerant, provisuros se esse sibi — « *tantum, quaeso, ne in platea maneas* ». Fuit iste senex « non valde aut splendidus aut opulentus, qui post diurnum in agro laborem vespere domum fessus

redibat; liberalis tamen et hospitalis, ubi domum levitam invitat, necessaria defert omnia, sumptum in se omnem recipit, pedilavio recreat, cibo ac potu refocillat » (*Ser.*). v. 21 « *Introduxitque eum in domum suam et pabulum asinis praebuit; ac postquam laverunt pedes suos, recepit eos in convivium* ».

"Ἅπαξ λεγόμενον ויבול vel ויבל secundum contextum reapse videtur significare *pabulum praebuit (Vulg. Chald. Syr.)*; LXX divinando potius transtulit *locum praebuit*; connectiturque cum בליל (Iob. 6, 5; 24, 6; Is. 30, 24) *farrago*, quod est pabulum ex diversis mixtum ideoque lautius.

v. 22 « *Illis epulantibus (et post laborem itineris cibo et potu reficientibus corpora) venerunt viri civitatis illius, filii Belial, (i. e. absque iugo)* », — verte *filii malitiae* — « *et circumdantes domum (senis) fores pulsare coeperunt, clamantes ad dominum domus atque dicentes: Educ virum, qui ingressus est domum tuam, ut abutamur eo* ». « Narrator sibi conscius est », inquit *Cassel*, « referre se factum simile ei, quod evenit Lot Sodomis Gen. 19. Suis locis iisdem utitur locutionibus. Lot peregrinus Sodomam incolebat, uti senex Ephraimita Gabaam; invitaverat ille, invitavit hic; utramque domum cingunt cives, in viro libidinem expleturi; uterque vir filiam offert ». Sane expressiones v. 22-24 numero plures eaedem omnino sunt atque eodem se ordine excipiunt, quam expressiones Gen. 19, 4-8. Cuius rei causa invenitur cum in similitudine eventuum narrandorum, tum etiam in textu Geneseos narratori optime noto. v. 23 « *Egressusque est ad eos senex et ait: Nolite fratres, nolite facere malum hoc, quia* » — *Hebr. postquam* recidit in idem; *postquam* aliquis ingressus est hospes, eius ingressus evadit ratio, *cur* specialis ei reverentia exhibeatur — « *ingressus est homo hospitium meum, et cessate ab hac stultitia* ». Foeda libido etiam Gen. 34, 7; Deut. 22, 21 euphemistice *stultitia* dicitur. v. 24 « *Habeo filiam virginem et hic homo habet concubinam, educam eas ad vos, ut humilietis eas et vestram libidinem compleatis: tantum obsecro, ne scelus hoc contra naturam operemini in virum* ». Euphemistice *Hebr.: et faciatis eis, quod bonum in oculis vestris: sed viro huic ne faciatis quidquam stultitiae huius.* Fratres appellat, hospitii iura invocat, dehortatur a peccato, quod primum malum, postea stultitiam vocat; tandem pro uno viro duas offert feminas (*Ser.*).

Pluribus veteres disputarunt, peccaverintne levita et senex, metune an ignorantia excusentur: quae disquirere nostrarum partium non est. « Non debemus esse solliciti », inquit *Est.*, « ut factum huius viri alioqui boni ac iusti excusemus a peccato, sicut nec factum ipsius Lot excusandum est, quando filias suas pro-

stituere voluit, ut hospites servaret. Interim in utroque laudandum est studium et voluntas defendendi hospites ab iniuriis, tametsi id non fecerint eo modo, quo debebant ».

v. 25 « *Nolebant acquiescere sermonibus illius : (quod cernens) homo eduxit ad eos concubinam suam (et eis tradidit illudendam)* ». Hiatum deprehendunt aliqui, cum modo dicantur illi noluisse acquiescere, et statim ostendantur acquievisse. Noluerunt, reponit *Cassel*, acquiescere deflorandae filiae senis, quod ea non esset peregrina, sed civis loci : mirum libidinis genus, quod peregrinis inhiat, cives spernit. Melius *Cai.* : « Multa alia intercesserunt, quae hic tacentur : nam inferius levita iste refert coram senioribus Israel, quod viri isti quaerebant occidere ipsum levitam ; quod hic tacetur. Secundum igitur rei gestae ordinem viri isti primum quaesierunt abuti levita illo nec acquieverunt precibus senis ; deinde vel difficultate vel ira vel nescio qua occasione mutati ad occidendum levitam se verterunt, quo se tuente cum aliis, qui domi erant, tandem ad hoc deventum est, ut data ill s concubina levitae desisterent a vexatione domus ». Hac vel simili ratione res acta esse videtur. Vel dicas cum *Lap.*, plus in homines lascivos valuisse mulierem formosam productam quam promissam.

Violentiam quamdam in voce יחזק deprehendit *Cai.* : « Levita quasi violenter apprehendit concubinam propriam, et compulit illam ad exeundum foras ». Tamen is sensus non necessario voci inest. — Difficultatem facit suffixum *homo eduxit concubinam suam*. Sermo utique est de levitae concubina : quare pronum est cum *Malv.* etiam *hominem* intelligere levitam. Sed obest in tota hac narratione secus האיש designare senem ; unde *Keil* : senex eduxit concubinam suam, sc. catenus suam quatenus sui hospitis erat. Usus suffixorum apud Hebraeos quandoque incertior.

« *Qua cum tota nocte abusi essent, dimiserunt eam mane* ». Hoc totum Gabaitarum scelus prae oculis habebat propheta Os. 9, 9 scribens : « Profunde peccaverunt, sicut in diebus Gabaa ». Quae mulier marito haud contenta adulterium admiserat, eadem nunc multis foedanda permittitur. *Hebr. qua cum tota nocte usque ad mane abusi essent, dimiserunt eam cum ascenderet aurora.* Et pergit : *Venit autem mulier versus mane et corruit ante portam domus viri, ubi dominus eius erat, usque ad lucem.* Generatim tempus matutinum designat *mane*, cuius initium est *aurora*, terminus *lux plena*. v. 26 « *At mulier recedentibus tenebris venit ad ostium domus, ubi manebat dominus suus, et ibi corruit* ». « Paulo post interiit, sive dolore sive iniuriae sibi illatae moerore ; cum non satis haberet virium, quibus fores pulsaret » (*Calm.*). Cum in tota sequenti narratione diserte haud asseratur mulier *mortua* esse (quae enim v. 28 *Vulg.* LXX habent verba, explicationis gratia

inserta esse videntur), vox *corruit* h. l. euphemistice scribitur ad indicandam mortem. v. 27 « *Mane facto surrexit homo et aperuit ostium, ut coeptam expleret viam : et ecce concubina eius iacebat ante ostium sparsis in limine manibus* ». v. 28 « *Cui ille (putans eam quiescere) loquebatur : Surge et ambulemus* ». Videtur summo Gabaitarum metu perculsus fuisse levita ; hinc primum illam a civibus repetere non ausus iter paravit ; inventam non ut cibo et quiete reficeretur invitavit, sed illico proficisci secum monuit in locum tutiorem. « *Qua nihil respondente (intelligens, quod erat mortua), tulit eam et imposuit asino reversusque est in domum suam.* » v. 29 « *Quam cum esset ingressus, arripuit gladium* » — במאכלת, ab אכל manducare, cf. Gen. 22, 6. 10, videtur designare cultrum lanii, quo animalia mactari consuevissent. Reliqui hic additum legunt *et prehendit concubinam suam* — « *et (cadaver) uxoris cum ossibus suis in duodecim (partes ac) frusta concidens, misit in omnes terminos Israel* ». Verte *secundum ossa sua*, membratim : ossa non fregit, ad iuncturas ossium cadaver dissecuit (*Ros.*). Misit ut que per nuntios (*Ios.*), qui popularibus, qua ratione mulier interiisset, indicarent. Misit ad cuiusque tribus seniores (*Ser.*). Misit tamquam incredibilis sceleris argumenta inconcussa, quo efficacius cives « indignitatis tanti facinoris conspectu ad expetendam ultionem exstimularentur » (*Bonfr.*).

Simile factum Saulis 1 Reg. 11, 7, sed non idem. Misit frusta boum dicens : « Quicumque non exierit et secutus fuerit Saul et Samuel, sic fiet bobus eius ». Non erant argumenta eventus frusta, sed pignora minarum. — Subtilius antiqui auctores disquirunt, quibus tribubus partes duodecim sint missae. Haud dubium, quod iam vidit *Cai.*, partem missam esse tribui Beniamin, cui incumbebat sceleris poenas sumere, cf. 20, 12. « Videntur frustra esse, qui Beniaminitica tribu seposita hic vel Leviticam tribum accersunt, quae nusquam certas sedes habebat, vel Manassaeam duplicem, utpote in duas scissam partes, unam cis, alteram trans Iordanem. Porro ad omnes tribus mittendum fuit, propterea quod nullus per id tempus vel rex vel etiam iudex esset, qui totius populi principatum gereret » (*Bonfr.*). Levitas suae tribus homini inflictam iniuriam aegrius tulisse, etsi frustum cadaveris ad eos non mitteretur, evidens est. — « Apud Hebraeos », inquit *Cler.*, « nihil magis pollutum habebatur, quam humanum cadaver, cuius membra circumferri non poterant sine funestatione omnium, qui ea contrectarent aut gerentes hospitio exciperent. Itaque non poterat hoc fieri sine horrore omnium, qui rem videbant ; facileque inusitato spectaculo adducebantur, ut quaererent, quid tandem rei esset, vellentque eos, qui accusabantur, poenas dare facinoris, propter quod ad eiusmodi consilium devenisset levita ».

v. 30 « *Quod cum vidissent singuli, conclamabant : Nunquam res*

talis facta est » — reliqui *non facta neque visa est* — « *in Israel ex eo die, quo ascenderunt patres nostri de Aegypto usque in praesens tempus. Ferte sententiam et in commune decernite, quid facto opus sit* ». *Hebr.* : *animum advertite ad hanc rem*, nolite eam negligere ; *consulite*, hinc magnum omnium tribuum consilium 20, 1 habitum in Maspha ; *et loquimini*, quid agendum sit decernite. « Adhibito diligenti ac maturo consilio decernite, quid facto opus sit » (*Vatabl.*).

Longe diversam quorumdam codicum LXX et versionis Syro-Hexaplaris lectionem recenset *Field* : καὶ ἐνετείλατο τοῖς ἀνδράσιν οὓς ἐξαπέστειλε, λέγων· τάδε ἐρεῖτε πρὸς πάντα ἄνδρα Ἰσραήλ· εἰ γέγονε κατὰ τὸ ῥῆμα τοῦτο ἀπὸ τῆς ἡμέρας τῆς ἀναβάσεως υἱῶν Ἰσραὴλ ἐξ Αἰγύπτου ἕως τῆς ἡμέρας ταύτης. Ratio additamentorum, quae in hac lectione cernuntur, haec videtur fuisse, quia *Hebr.* non habet vav conversivum cum imperfecto significatione perfecti, sed vav cum praeterito והיה ואמר. Ob quam eandem rationem *Ros.*, *Keil* initio versus supplent ויאמר, ut non factum narretur, quod circummissas cadaveris partes secutum sit, sed effectus, quem sibi ex iisdem circummittendis levita promiserit. Verum cf. locum omnino parallelum 6, 3 והיה...... ועלו, ubi ויאמר inseri absolute nequit. Ergo neque h. l. inserendum, sed vertendum uti versiones. Ad explicandam constructionem adverte, Hebraeum scribere vav conversivum cum imperfecto, quando actio describenda est ut sequela et continuatio praecedentis actionis ; si secus, scribere vav cum perfecto. Potuit quidem popularium indignatio describi tamquam sequela nuntii ad eos missi, sed id non libuit auctori inspirato ; eam descripsit independenter ad illud nuntium. At cur non saltem pro ואמר scripsit ויאמר ? Respondeo, והיה (sicut ויהי) non distinctam aliquam actionem exprimit, sed pleonastice Hebraeorum narrationi aspergitur, unde, quod illud praecedat, ratio non est, cur non sequatur ואמר, secundum explicationem superius datam.

Beniaminitarum clades. — *Iud.* 20

Arg. — Israelitis in comitiis adunatis levita iniuriam enarrante, Gabaa pronuntiatur delenda, sceleratique frustra a Beniaminitis tradi iubentur. Consulto Domino urbem aggressi Israelitae repelluntur. Alio die altero oraculo fisi rursum funduntur. Tandem numine placato atque insidiis dispositis urbs capitur atque inceditur, Beniaminitae fugientes conciduntur, superstites sexcenti in petra Remmon subsistunt.

Cap. XX v. 1 « *Egressi itaque sunt omnes filii Israel et pariter congregati, quasi vir unus* », quam expressionem v. 11 *Vulg.* explicat additis vocibus « eadem mente unoque consilio » « eademque facilitate, qua unus homo evocaretur » (*Bonfr.*), « *de Dan usque Bersabee et terra Galaad ad Dominum in Maspha* ». Haec sane non intelligitur Maspha tribus Iudae Ios. 15, 38, nam haec erat « in campestribus » Iuda v. 33, neque unquam locus tam australis, quo totus colligatur Israel, assignatur. Agitur de Maspha Beniamin Ios. 18, 26, nunc Nebi Samvil, de qua etiam 1 Reg. 7, 12 etc ; cf. 1 Mach. 3, 46 : « quia locus orationis erat

in Maspha ante in Israel ». Congregantur Israelitae v. 27 in Bethel, ubi narratur tum fuisse arca Dei, 21, 9 in Silo, quo loco ut plurimum (cf. 18, 31) arca asservabatur : unde concludit *Bertheau*, arcam semper castra secutam esse atque eo, de quo agit v. 1, tempore fuisse Masphae. « At probari non potest unquam fuisse tabernaculum vel arcam foederis in Maspha » (*Bonfr.*). 1 Reg. 7, 6 Israelitae adunantur Masphae « in conspectu Domini », et tamen arca ibi non erat ; 10, 3 habentur viri « ascendentes ad Deum in Bethel », et tamen arca tum in Bethel non erat : ergo ex verbis *ad Dominum* non licet inferre arcam tum fuisse Masphae. Iis abunde satisfit, cum Masphae utique fuerit pontifex (cf. v. 28) cum Urim et Thummim.

De Dan usque Bersabee designat omnes Israelitas cisiordanicos, exceptis utique h. l. Beniaminitis ; *terra Galaad* h. l. universam regionem trans Iordanem designat. Non est necesse cum *Vatabl.* aliisque subaudire : usque ad mare mediterraneum. Textus non describit *limites* terrae sanctae secundum septentrionem etc, sed eius duas *partes* praecipuas in utraque fluminis ripa ; supponit etiam transiordanicos adfuisse ea alacritate, qua alias (cf. 5, 15 sqq.) misere deficiebant. Ergo sententia non est mera formula idem edicens, quod expressio « omnis Israel » vel alia similis, sed factum narrat historicum adfuisse Galaaditas. Ergo veri simillimum est etiam *Danitas* septentrionales adfuisse ; ergo iam tum, ipso ineunte iudicum aevo ac Phinee pontifice superstite, idolum Michae in Dan Lais demigraverat.

v. 2 « *Omnesque anguli* », i. e. tribus (cf. 1 Reg. 14, 38), « *populorum* », seu verius *populi*, « *et cunctae tribus Israel in ecclesiam populi Dei convenerunt, quadringenta millia peditum pugnatorum* ».

Pro פנות כל העם LXX legebat לפני יהוה. Sat magna diversitas ; in qua lectione si pro יהוה substituas אלהים, habebis לפני אלהים, quod facile ex פנות כל העם corruptione oriri potuit. — עדה in Pentateucho et Iosue libro saepe adhibetur ad Israelitici populi universam concionem, ecclesiam designandam ; rarius in regum libris (3 Reg. 12, 20), quod sane reges eiusmodi populi concionem non convocaverint.

v. 3 « *Nec latuit filios Beniamin, quod ascendissent filii Israel in Maspha* ». « Subaudi », inquit *Vatabl.* : « et tamen nihil curaverunt ». Id omnino subaudiendum. Sed dubium superest, cur haec de Beniaminitis h. l. inserantur. Respondeo, quia statim disquisitio iudicialis narratur, ad quam ipsi, ut se a crimine defenderent, vocati comparere noluerunt. « *Interrogatusque levita, maritus mulieris interfectae, quomodo tantum scelus perpetratum esset* », v. 4 « *respondit : Veni in Gabaa Beniamin cum uxore mea, illucque diverti* ». *Hebr.* praegnanter : *In Gabaa*

Beniamin veni cum concubina mea, ad pernoctandum. Etiam initium sententiae nonnihil aliter apud *Hebr.* legitur : *Et dixerunt filii Israel : Dicite, quomodo tantum scelus etc.* Ubi explicandus pluralis *dicite.* Censet *Bertheau*, alloqui filios Israel utramque partem adversam, levitam sc. et Beniaminitas; his absentibus solus levita respondet. *Malv.* meminit sententiae quorumdam, Israelitas per legatos interrogavisse Beniaminitas, quomodo etc : at, cum levita asseratur *respondisse*, certe non soli Beniaminitae interrogantur. Idem novit aliam sententiam, interrogatos esse praeter levitam alios, sc. famulum et Gabaenum hospitem. E Gabaenis utique nemo praesens aderat, ergo neque senex hospes, nisi supponatur Gabaa excessisse. Crediderim, pluralem dirigi ad *accusatores* : levitae autem accusatori reliquam se tribum Levi, imprimis pontificem, adiunxisse; immo ab his antea missos fuisse in omnes tribus nuntios cum cadaveris partibus, qui vix ab uno privato homine missi esse credendi sunt. v. 5 « *Et ecce homines* » — בעלי uti 9, 2 etc — « *civitatis illius* » *insurrexerunt adversum me et* « *circumdederunt* » *adversum me* — ita recte *Vatabl.*, non « mea causa » (*Cassel*), nam duplex עלי eodem utrobique modo vertendum est — « *nocte domum, in qua manebam, volentes me occidere, et uxorem meam (incredibili furore libidinis) vexantes, denique mortua est* ».

Hic conqueritur levita, quod se voluerint occidere, de quo nihil cap. 19 : « Ecce ex relatione levitae apparet, quod tacitum fuit in praecedente capitulo » (*Cai.*). At cur non conqueritur, quod scelus contra naturam attentaverint? *Vatabl.* occidere interpretatur « abuti me praepostera libidine usque ad mortem », sed non tam facile eiusmodi libidinem patiens moritur vir, quam femina. *Calm.* : « moliti sunt iniuriam mihi inferre, quam ipsa morte gravius tulissem » : sed accusatio est de morte intentata. Neque facile crediderim, eum levitam, qui nullum non movisset lapidem, ut universum populum ad iniuriam ulciscendam incitaret, nunc pudore (*Cassel*) esse cohibitum, quin illatam iniuriam distincte proponeret. Dico ergo, levitae orationem hic nonnisi compendio referri; in illa autem eum magis institisse intentatae morti, quam intentato dedecori, quod illa gravior esset iniuria quam hoc, et efficacius civium indignationem provocatura esse sciretur.

v. 6 « *Quam arreptam in frusta concidi misique partes in omnes terminos possessionis vestrae : quia nunquam tantum nefas et tam grande piaculum factum est in Israel* ». Reliqui *quia fecerunt nefas etc* : quia fecerunt nefas eiusque poenam meruerunt, ideo omnes tribus ad sumendam de iis poenam provocavi. v. 7 « *Adestis omnes filii Israel; decernite, quid facere debeatis* ». *Vulg.*, uti alias, liberius vertit. *Hebr. Ecce vos omnes filii Israel date vobis verbum et consilium huc* (הלם);

consentiunt LXX *Chald.*, sed lectio correcta esse nequit, cum vox *hac* sensu careat. *Syr. hac de re* i. e. עליהם, de eis, quod pronomen refertur vel ad nefas et piaculum v. 6 vel, si suffixum masc. ad duo nomina fem. referre verearis, ad accusatos Gabaitas. Convenientissime accusator orationi finem imponit implorata contra accusatos iudicis sententia.

Considet iam accusator narraturque, quem eius oratio effectum habuerit, quamque sententiam iudex populus tulerit. v. 8 « *Stansque* », seu verius *surgens*, in pedes prosiliens, « *omnis populus quasi unius hominis (sermone) respondit : Non recedemus in tabernacula nostra, nec suam quisquam intrabit domum* », « subaudi : priusquam ulti fuerimus hoc piaculum » (*Vatabl.*). Hoc omnino subaudiendium, estque summa eius, quam populus fert, sententiae. Patet etiam, cuius generis piaculum intelligatur. Adulterium morte plectebatur, idque tanto severius uxore violenter oppressa. Eandem sententiam incurrebant, qui adulterorum sceleri se sociebant, eos poenae subtrahentes, defendentes, quod praestitere Gabaitae. v. 9 « *Sed hoc contra Gabaa in commune faciamus* ». Illud *sed* accipe in sensu graecae vocis πλήν (LXX), quae non necessario ante dictorum limitationem, sed quandoque ulteriorem explicationem exprimit. Decreverant Israelitae contra Gabaenos suscipere expeditionem, supererat, ut de annona sibi pro expeditione providerent.

Quomodo *Vulg.* verterit *in commune*, quod habet *kethib* עליה בגורל, definiri nequit. Quid autem sibi volunt ista verba *super eam in sorte*, in quibus *Keil* deprehendit « enigmaticam brevitatem, quae in iudicum sententiis reperiatur ». Sint breves iudicum sententiae : num enigmaticae etiam consueverunt esse ? Vertit ipse cum *Bertheau* : « Haec in Gabaitis faciemus : Contra eos secundum sortem », — subaudi : procedamus ! Censetque, eam sententiam, attenta lege mosaica, esse omnino perspicuam. Lex videlicet Chananaeos exterminari eorumque fines sorte Israelitis distribui praecipiebat : en, inquit *Keil*, decernit populus, Gabaitas sontes Chananaeis esse aequiparandos ; « procedamus contra eos sorte » idem sonat atque « exterminemus eos ». Repono, illud de Chananaeis gratuito in textum inseri, cum Chananaeorum is nullam habeat mentionem. Inepte praeterea ea, quae sententiae summa est, exterminatio taceretur, solo secundario effectu translatae possessionis expresso. Aut quis iudex hominem capitis damnaturus id his verbis enuntiaret : Transferte haereditatem in filium ! Enigmaticum istud, verumtamen a sententiarum iudicialium brevitate ac luciditate perquam alienum. Cur tandem tanta reverentia kethib amplectamur, ut repudiemus *keri* praemittens vocibus citatis vocem נעלה, cuique suffragantur LXX *Chald. Syr.* ? Quae vox praecedente נעשה et sequente עליה facillime potuit intercidere. Eam LXX interpretata est kal *ascendemus super eam secundum sortem ; Syr.* hiphil, omisso ב, *ascendere faciemus super eam sortem*, i. e. iaciemus intuitu eius sortem, sc. ex v. 10 sorte determinabimus, qui sint urbem adorturi quive de annona provisuri. Obiicit *Keil*, ita sententiam tandem iudicialem relinqui mancam, cum sequentibus minime edoceamur, quae poena Gabaitis sit infligenda : at ea poena, uti monuimus, non ex sequentibus, sed implicite ex v. 8 colligenda est. Ergone v. 10, idem auctor urget, totus erit in re minoris momenti definienda, qui sc. annonam col-

lectum dimittendi sint? » Respondeo, sortem, dum aliquos annonae procurandae designat, eo ipso reliquos omnes assignare exercitui pugnaturo; quare v. 10 nequaquam solum minoris momenti rem definit. Quodsi mireris, implicite tantum agi de poena Gabaitis infligenda et de exercitu contra eos mittendo, advertas cum *Clair*, optime fieri potuisse, ut non tota Israelitarum sententia verbatim nobis referatur: pauca quaedam v. 8 sqq. attinguntur, reliqua nobis ex sequenti narratione colligenda permittuntur, v. g. decretum v. 12 sq. Beniaminitarum primum admonendorum, ut poenas ipsi de Gabaitis exigerent, etc.

v. 10 « *Decem viri eligantur e centum ex omnibus tribubus Israel, et centum de mille, et mille de decem millibus* », ergo quadraginta millia de quadringentis millibus v. 2, « *ut comportent exercitui cibaria, et possimus pugnare contra Gabaa Beniamin et reddere ei pro scelere, quod meretur.*

Sensus planus. Textus לעשות לבואם לגבע בינימן (לעשות) ככל. Ubi vox uncinis inclusa a LXX adiicitur; sed aliunde apud LXX primum לעשות fortasse ortum duxit ex omissa voce praecedente לעם, quae primas duas consonantes easdem habet. Hinc oritur quaestio, quo primitus loco lecta sit vox לעשות; utrovis legebatur, sensus manet idem: *ut comportent populo cibaria, euntibus contra Gabaa Beniamin, ad faciendum eis secundum omne scelus, quod perpetrata est ipsa in Israel.*

v. 11 « *Convenitque universus Israel ad civitatem quasi homo unus eadem mente (unoque consilio)* ». Duae tantum hucusque nominabantur civitates, Maspha v. 1 et Gabaa. Locus *conventus* non videtur fuisse Gabaa (*Mar.*), cum v. 18 sq. nonnisi de Bethel procedatur Gabaam: ergo praeferenda Maspha (*Cai.*). Esset facilius Gabaa, si cum *Syr.* legi oporteret על pro אל. — Dein quo is versus spectet disquirendum. *Bertheau* censet esse conclusionem praecedentium; idque tanto facilius potest admitti, quod v. 12 *Hebr.* diserte repetat subiectum: *et miserunt tribus Israel.* Tum, secundum genium narrationis hebr., vertere licebit v. 12 *miserant* plus quam perfecto, ut tota narratio v. 12-17 tempore antecesserit v. 11, ut igitur ante ad Beniaminitas legatos miserint Hebraei, quam annonam providerint. Hic duplex pro v. 11 se offert sensus. Vel conventus v. 11 alius non est, nisi ille iam v. 1 eadem expressione *quasi homo unus* narratus; vel alius quidam, ut sc. post decretum v. 8 sqq. Israelitae omnes, tam qui annonam collecturi abiissent, quam qui Masphae substitissent, rursum in unum quadringentorum virorum exercitum (v. 17) convenisse narrentur. Hoc altero item sensu erit v. 11 vertendus, si non ut priorum conclusio accipiatur, sed cum *Clair* idem atque v. 19 dicatur factum referre, aut referat conventum aliquem inter v. 1 et 19 intermedium. — Num חברים *sociati* scribitur ad explicandum כאיש אחד, vel vice versa?

v. 12 « *Et miserunt nuntios ad omnem tribum* » — *Hebr. omnes tribus* i. e. cognationes, quarum apud Beniaminitas fere decem Gen. 46, 21 (cf. tamen Num. 26, 38 sq.) fuisse coniiciunt; quandoque cognatio שבט vocatur, 1 Reg. 9, 21; Num. 4, 18 — « *Beniamin, qui dicerent: Cur tantum nefas in vobis repertum est* » ? *Hebr. Quid est nefas hoc etc* ? Quid sibi vult hoc nefas impunitum permanens in medio vestri ? Tollite illud quam citissime. v. 13 « *Tradite homines de Gabaa, qui hoc flagitium perpetrarunt, ut moriantur et auferatur malum de Israel* ». *Hebr. viros filios pravitatis. qui sunt in Gabaa*: eadem est expressio, qua 19, 22 non omnes Gabaitae designantur, sed ii soli, qui sceleris rei fuere. Ergo non omnes hic tradendi postulantur. Expressio *auferatur malum de Israel* frequens in Pentateucho recurrit, cf. Deut. 13, 5; 17, 7. 12; 22, 22 etc. Etiam ipsa mortis poena statuitur Deut. 22, 22 (cf. Lev. 20, 10): « Si dormierit vir cum uxore alterius, uterque morietur, i. e. adulter et adultera, et auferes malum de Israel ».

« *Qui noluerunt fratrum suorum filiorum Israel audire mandatum* », v. 14 « *sed ex cunctis urbibus, quae sortis suae erant, convenerunt in Gabaa, ut (illis ferrent auxilium et) contra universum populum Israel dimicarent* ». Miratur *Bertheau* solas recenseri *urbes* suspicaturque, Beniaminitas tum solas urbes incoluisse, pendentibus tributa Chananaeis paganis. At Chananaeorum secus princeps robur semper in urbibus muratis erat (cf. cap. 1), et 1, 21 Beniaminitae solam ob toleratos Iebusaeos carpuntur. Ios. 18, 20 sqq. termini tribus Beniamin describuntur enumeratis *urbibus*, quarum singulae (cf. Iud. 1, 27) suos viculos habebant. v. 15 « *Inventique sunt viginti quinque millia de Beniamin educentium gladium, praeter habitatores Gabaa* », v. 16 « *qui septingenti erant viri fortissimi, ita sinistra ut dextra proeliantes* », ambidextri (cf. quod de expressione hebr. diximus ad 3, 15), « *et sic (fundis) lapides (ad certum) iacientes, ut capillum quoque possent percutere et nequaquam in alteram partem ictus lapidis deferretur* ». Brevius *Hebr.: omnes hi iacientes lapidem ad capillum neque deficientes*. « Locutio est hyperbolica ad exprimendam excellentiam artis fundibulariae in ipsis » (*Lyr.*). Notat *Cassel*, plurimum Beniaminitas iuvasse hos funditores, e locis eminentioribus suas urbes defendentes; monetque *Cler.*, non ita magnam fuisse urbem Gabaa, « quae tam exiguum numerum bellatorum in sua ipsius causa suppeditaret ». v. 17 « *Virorum quoque Israel, absque filiis Beniamin, inventa sunt quadringenta millia educentium gladios et paratorum ad pugnam* ».

Beniaminitae recensentur 25,700, reliquorum Israelitarum 400,000; Num. 2, 23. 32, quo tempore Israelitae ad montem Sinai subsiderent, numerabantur

Beniaminitae 35,400, reliquorum 568,150 (i. e. 603,550 — 35,400); longe maiores erant numeri Davidis tempore, sed cf. quae diximus ad 2 Reg. 24, 9; Ex. 23, 30 dixerat Deus : « paulatim expellam eos de conspectu tuo, donec augearis et possideas terram ». Facta haec sunt interpreti componenda, non configenda cavillis. Quibus primum docemur, a commoratione Sinaitica ad mortem Iosue Hebraeorum gentem haud modicum numeris esse imminutam. Id admirationem non facit : commoratio in deserto potuit esse generandis hominibus iniquior; Num. 14, 28 sqq. suggerit sane numerum ingentem hominum in deserto interiisse; tot sub Iosue victoriae non sine plurimorum caede sunt partae; verba laudata Ex. 23, 30 innuunt, Israelitas ineunte Iudicum aevo numeris infirmiores potius quam valentiores esse futuros. — Numeri superius descripti, si inter se comparentur, improbabilitate non laborant : decreverat sc. Beniaminitarum numerus proportione 1·38, reliquorum 1·67. Crediderim sane plures pro portione Ephraimitarum et Manassaeorum, quam Beniaminitarum duce Iosue proeliis esse absumptos; plures itidem Iudaeos bellis Iud. 1, 1-20 narratis. Quod prae ceteris tribubus numeris essent aucti, id utique non parum Beniaminitarum animos inflammavit atque pervicaces effecit. — Incredibile censet *Cassel*, Beniaminitas 25,700 non illico ab adversariis 400,000 esse oppressos : « Omnes illos 400,000 viros in angustum agrum Gabaensem confluxisse, et veri absimile est et ab arte militari alienum. Describitur ille numerus ad eum unice finem, ut doceamur, quantum numeris praevaluerint Israelitae Beniaminitis ». Hinc v. 10 ita torquet idem auctor, ut solos 40,000 ad bellum progressos esse affirmet, e quibus cum v. 21 caesi fuerint 22,000 et v. 25 rursum 18,000, qui tandem tertio proelio dimicavere? Ergo totum illud agmen in Gabaae finitimarumque urbium agrum confluxit. At vel nostris temporibus, quae artem militarem admirandum in modum excoluere, imperatoris est omnino insignis, homines 400,000 ita dirigere, ut in unum facinus pari, ut ita dicam, gressu conspirent ; neque id imperator efficiet, nisi cui subsit numerus sat magnus ducum veteranorum. Iam cogita Israelitarum exercitum nulli certo duci parentem, tribus singulas vix non seorsim militantes, artem militarem in ipsis incunabulis vagientem, Beniaminitas vero et ingenita animorum audacia, locorum peritia et asperitate, armorum usu praevalentes : et intelliges, quomodo hi iniquum certamen et subire ausi sint neque infeliciter primum subierint.

Textus v. 15 sq. difficultatem habet. Ita legunt *Hebr. Chald.* post athnach v. 15 : לבד מישבי הגבעה התפקדו שבע מאות איש בחור : מכל העם הזה שבע מאות איש בחור *praeter habitatores Gabaa, recensebantur septingenti viri fortissimi ; de toto populo hoc,* tam Gabaenis quam reliquis Beniaminitis, *erant septingenti viri fortissimi ambidextri etc* ; qui septingenti evidenter non sunt omnino iidem cum septingentis Gabaitis. Illud התפקדו perquam asyndetice scribitur : dicendum erit, *Vulg.* LXX *Syr.* aut merito illud praemisso relativo explicasse aut, quod probabilius est, legisse vel אשר התפקדו vel ויתפקדו, *praeter habitatores Gabaa, qui recensebantur etc.* Sed aliter etiam hi textus ab Hebr. Chald. dissonant : *Syr.* omnia omittit a primo בחור inclusive, *Vulg.* hanc unam vocem concedit, LXX etiam sequentes מכל העם הזה. Hinc triplex, qui primitus fuerit textus, sententia statui potest. Prima sententia

textum Hebr. Chald. retinet, reliquos mancos esse declarat. Secunda, Vulg. LXX Syr. secuta, alterum שבע מאות איש בחור repetitione prioris, negligentioris scribae manu facta, ortum defendit ideoque expungit. Ubi rursum duplex vocum מכל העם הזה se offert explanatio. Una textum secundum LXX ita restituit : *praeter habitatores Gabaa ; et recensebantur septingenti viri fortissimi ex universo populo hoc,* sane ex 25,000 Beniaminitis, *ambidextri etc* ; ut igitur Gabaitae ab ambidextrorum numero potius excludi videantur. Altera explanatio cum Vulg. Syr. etiam voces מכל העם הזה omittit ; ubi sc. semel scribae cuiusdam incuria voces שבע מאות איש בחור iteratae fuere, ad textum elucidandum voces מכל העם הזה aliquibus codicibus insertae fuere. In hac explanatione illud habetur nonnihil admirandum, omnes illos septingentos Gabaitas fuisse ambidextros. Ceterum, quomodocunque tandem legas et construas, non afficit id bellatorum summam, cum ambidextri illi ad eam non addantur, sed in ea includantur.

Sed in ipsa summa discrepant textus. Et omnes quidem habent 700. At v. 15 *Hebr. Chald. Syr.* legunt 26,000. LXX quidem habet 23,000 : at cum codices LXX non pauci neque spernendi, et etiam *Ios.*, scribant 25,000, iure inferes, LXX primitus uti Vulg. legisse. Quaeritur iam, uter numerus genuinus, 26,000 an 25,000. *Bonfr., Calm., de Rossi* aliique 25,000 praeferunt, hocque nituntur argumento praecipuo. Habes h. l. Gabaitas 700, Beniaminitas ceteros 25,000, summam 25,700 ; habes v. 35 proelio caesos 25,100, v. 47 superstites 600, summam 25,700 ; praeclaram sane concordiam. Verum attendas sequentia. Ante exitiale illud proelium duobus aliis v. 21. 25 proeliis feliciter Beniaminitae dimicaverant : num iis proeliis nulli penitus Beniaminitae occisi ? Quot exitiali illo proelio fuerint confecti, v. 44 sq. distinctius exponitur : 18,000+5000+2000=25,000, quae summa non est adamussim eadem atque 25,100. Ceterum istud 100 affixum numero 25,000 suspicionem movet. Auctor evidenter describebat numeros, quos dicimus, *rotundos* ; at in numeris rotundis quid proderat viginti quinque millibus addere *centum ?* Adde, vix potuisse Israelitas exactum elenchum hostium interfectorum conficere, quorum plures « in fuga palantes et in diversa tendentes » occisi atque sane saltibus absorpti sunt. Factum est tum in quibusdam id, quod 2 Reg. 18, 8 in eventu simili narratur : « et multo plures erant, quos saltus consumpserat de populo, quam hi quos voraverat gladius in die illa ». Illud igitur *centum* v. 35 suspicione non caret : potuit illud adiici a scriba aliquo, qui perspiciebat 25,000+600 non efficere summam 25,700. Quod verum quidem est in numeris accuratis, at falsum in rotundis. In his quippe 25,000+600 potest efficere non solum 25,700 sed vel 26,000 ; nam circiter 600 additos circiter 25,000 efficere circiter 26,000, quis infitiabitur ? Ille vero scriba calamo minus prudenti quam pio centum bellatores confecit. Tamen neque scribae errorem admittere necessario cogimur, cum ad 17, 1 demonstraverimus, numerum *centum* numero maiori appensum quandoque significare indeterminatum excessum, ut *viginti quinque millia et centum* idem sonet atque *amplius viginti quinque millibus.* Quibus momentis movemur, ut v. 15 cum *Lyr., Cai., Malv., Houb., Verc.* numerum 26,000, ab *Hebr. Chald. Syr.* traditum, genuinum esse defendamus.

v. 18 « *Qui surgentes venerunt in domum Dei, (h. e. in Silo)* ». Hanc explicationem *Hier.* adiecit *Rabbinos* secutus, contra LXX *Chald. Syr. Ios.*, qui nomen proprium *Bethel* retinuerunt ; advertitque *Bonfr.*, tabernaculum foederis vel templum secus non בית אל audire, sed בית יהוה. Ceterum, si illud idem esse dixeris, quod *Silo*, cur non etiam cum *Iahn*

p. 211 sq. המצפה, quod significat altitudinem, eundem designare locum affirmes, qui aliis versibus modo *Silo*, modo *domus Dei* audiat? Perperam sane ex 18, 31 concludunt aliqui, toto iudicum aevo nunquam arcam Silunte recessisse ; sufficit eam ib. ordinariam sedem habuisse, saltem tempore s. auctoris i. e. Samuelis. « *Consulueruntque Deum* » per Urim et Thummim (*Ser.*), versabatur enim ibi v. 28 pontifex, « *atque dixerunt : Quis erit in exercitu nostro princeps certaminis contra filios Beniamin* » ? Explicandus hic textus uti 1, 1 : « non petitur dux exercitus, sed quae tribus primam aciem habebit » (*Cai.*), « prima dimicabit » (*Vatabl.*). Equidem crediderim, nullum totius expeditionis ducem esse creatum, sed singulas tribus proprio fere marte militasse, tribu vero Iuda belli summam sustinente. « *Quibus respondit Dominus : Iudas sit dux vester* », primus pugnabit.

v. 19 « *Statimque filii Israel surgentes mane castrametati sunt iuxta Gabaa* » v. 20 « *et, inde procedentes ad pugnam contra Beniamin, urbem oppugnare coeperunt* ». *Hebr. Chald.* in altero versus inciso repetitas legunt voces prioris incisi איש ישראל מלחמה, errore huc fortasse delapsas. Primum narrantur castra in conspectu urbis fixisse, dein urbem ipsam esse adorti. v. 21 « *Egressique filii Beniamin de Gabaa occiderunt de filiis Israel die illo viginti duo millia virorum* » — reliqui addunt *in terram*.

v. 22 « *Rursum filii Israel, et fortitudine et numero confidentes, in eodem loco, in quo prius certaverant, aciem direxerunt* ». Illud *et fortitudine et numero confidentes* liberius scribitur, licet vere. *Hebr. Et roborati sunt* arcessitis maioribus copiis *viri Israel et rursum direxerunt etc*, pergiturque v. 23 *et ascenderunt*. Tria igitur praestiterunt : copias auxerunt, eodem loco aciem instruxerunt, Deum consuluerunt. Sed non necessario omnes : facile suppones, dum alii in aciem descenderunt, alios in Bethel ad supplicandum Deo confluxisse ; insuper oraculum per legatos rogari poterat. v. 23 « *Ita tamen, ut prius ascenderent et flerent coram Domino usque ad noctem, consulerentque eum et dicerent : Debeo ultra procedere ad dimicandum contra filios Beniamin, fratres meos, an non ? Quibus ille respondit : Ascendite ad eos (et inite certamen)* ». « An ideo ingratum est bellum, quia contra fratres suscipitur » (*Malv.*) ? Longius id petitur ; diserta in adulteros lex, ne in fratres quidem mitiganda. v. 24 « *Cumque filii Israel altera die contra filios Beniamin ad proelium processissent* », — alteram diem intellige non immediate sequentem post primum proelium, nam ea saltem fletui v. 23 data est, sed diem alterius seu secundi proelii, uti v. 30 tertii proelii dies vocatur tertia dies (*Hebr.*) — v. 25 « *eruperunt filii Beniamin de (portis) Gabaa, et occurrentes eis tanta in eos caede bacchati sunt, ut decem et octo millia virorum educentium gladium prosternerent* ».

Hic exsurgit quaestio, cur passus sit Deus, ut Israelitae bis vincerentur decimamque exercitus partem (22,000 + 18,000 = 40,000). i. e. numerum integro Beniaminitarum exercitu longe maiorem amitterent. Generaliori modo rationem explicat *Greg.* (Moral. XIV. 29, M. 75.1057) : « Ad aliena punienda peccata ibant et sua reliquerant : revocantur itaque intus ad conscientiam, ut prius propria corrigant et tunc aliena reprehendant... Quid est, quod in ultionem sceleris inflammatur (Israel), et tamen prius ipse prosternitur, nisi quod prius ipsi purgandi sunt, per quos aliorum culpae feriuntur; ut ipsi iam mundi per ultionem veniant, qui aliorum vitia corrigere festinant ? » Sed iam, quid Israelitae deliquerint, indagandum. — Ubi *Calm.* eos vituperat, quod primum tantummodo, quis primus ad bellum sit processurus, inquirant, bellumne omnino gerendum sit percunctari negligant. Atqui iisdem omnino atque 1, 1 verbis res narratur, ubi nullus vituperio est locus. Iuste ea quaestione abstinere potuere Israelitae, quod res ab omni esset dubitatione remota : lege in adulteros poena capitis statuebatur; Beniaminitae Gabaitarum sceleri, dum reos tradere detrectarant, accesserant; insuper Israelitis ius erat vel adhibita vi sontium sub suam redigendorum potestatem. Adde, ex mero scripturae silentio non inferri legitime Israelitas eam quaestionem non proposuisse. Rursum ad v. 3 *Calm.* Israelitas reprehendit, quod divinam opem v. 23 flagitare neglexerint. Flagitandi, orandi voces in textu utique non leguntur : verum *ascendere* in locum sanctum, *flere, consulere,* nonne haec orationem suggerunt atque supplicationem ? Porro praetendit *Calm.* verbis *Ascendite ad eos* Deum Israelitis victoriam nequaquam promisisse, consentitque *Menoch.* exclamans : « nulla hic victoriae promissio ut infra v. 28 ». Explicite non promisit. At nonne is sensus quaestionis erat : Redintegratane pugna victor exsistam ? Verius igitur dicemus, promittere quidem Deum v. 23 victoriam, at non primo illico congressu obtinendam. Cf. factum omnino analogum 1 Reg. 3, 21-4, 1, ubi Iudaei Samuelis monitu prope Lapidem Adiutorii fixis castris primo quidem proelio funduntur, altero tandem victoria potiuntur.

Cladis rationem alii afferunt *nimiam sui confidentiam* (*Est.*, *Bonfr.*). Quam manifestabat etiam « *temeritas* maxima, dum contempto hoste et neglecta disciplina militari, locum ad pugnam ineptum deligunt, utpote inferiorem ipsa urbe Gabaa, et sequenti nihilominus die in eodem loco, stulta vel audacia vel contumacia, pugnare voluerunt » (*Tir.*). Cuius quidem interpretationis apud laudatos auctores argumentum princeps sunt verba Vulg. v. 22 *et fortitudine et numero confidentes,* quae liberioris esse diximus versionis ; sed aliunde confirmatur. Numerorum sane tanta disparitate fidebant Israelitae : quare de victoria minime dubii de hoc uno, cui primo ad pugnam prodeundum, disceptant, inordinate procedunt, nullo, quod coniecerim, certo duce constituto incaute proxime ad urbem accedunt, aciem loco iniquo instruunt, ad praedam potius quam ad certamen provolant. Post primam cladem cum lacrymis Deo supplicantur ; tamen, rem numeris diremptum iri rati, eodem loco, auctis licet numeris aciem instruunt.

Haec, ut sint veri simillima, in textu tamen innuuntur potius quam exprimuntur : aliam igitur rationem circumspiciamus. Iam *Rabbini* docebant,

punitos esse Israelitas ob toleratam Michae *idololatriam*, consentiuntque *Vatabl.*, *Sa*, *Est.* aliique; accuratius *Menoch.* idololatriam effert universim monetque *Tir.*, agi de idololatria non Michae solum, sed plurimorum aliorum. Etiam *Ios.*, qui Michae factum *post* Beniaminitarum caedem obiter tantum attingit, tamen totius huius belli causam assignat, non merum Gabaitarum scelus, sed totius gentis mores in deterius versos. Et reapse, si cap. 17 sq. seorsim consideres, reperies Danitarum superstitionis nullam narrari inflictam poenam : feliciter urbe Lais potiti suum ibi sat diu venerantur idolum nulla quam novimus, prophetica voce territi, nulla ad meliora plaga revocati. Quin ipse Michas impunitus abscedit. Abhorrent haec a s. scripturae, antiquiorum maxime librorum, indole, qui inflictam idololatris poenam inculcare haud omittunt. Verum enimvero cap. 17 sq. non seorsim sed, quod faciendum demonstravimus, tamquam unam cum sequentibus narrationem accipias, et habebis cap. 17 sq. superstitionem, cap. 19 sqq. superstitionis poenam. Illud unum superest demonstrandum, poenam eius superstitionis causa esse inflictam. Rem nonnihil altius, quaeso, consideres. Instituit Michas superstitionem in monte Ephraim, at, ut videtur, tamquam rem minime inauditam, quod ea sibi recta (17, 6) videretur res nec cuiquam odiosa. De eadem 17, 10 cum levita colloquitur tamquam de re legitima atqua honesta. Invitatus levita nullo superstitionis horrore percellitur, non illam indignam repudiat, non celat altaris nefandi minister leviticam originem. Nonne his efficitur, latius tum per montana Ephraim serpsisse superstitionem? Rursum Danitae idoli, quod in aedibus Michae deprehendunt, religionem minime abhorrent, levitam nequaquam ut sacrilegum aversantur, quin potius eius sacris participare festinant eaque tamquam certissimam malorum omnium protectionem secum auferunt. Nonne haec frequentis etiam intra Danitarum fines superstitionis vestigia? Sed si Danitae et Ephraimitae superstitione infecti, num Beniaminitas eadem immunes iudicemus, quos infamis lasciviae reos deprehendimus? Porro Danitae plurium tribuum fines nemine, quod novimus, repugnante cum suo idolo peragrantur; sacra in Dan Lais instituunt tota iudicum aetate duratura; idolum pro palladio in extremis terrae s. finibus arrigunt: quae utique suggerunt, plurimam inter Israelitas viguisse superstitionem. E multis hanc unam selegit s. narrator, quam certa traditione comperisset, celebrem atque diuturnam.

Cum igitur ineunte iudicum aetate religio inter Hebraeos multiplici superstitione esset foedata, iteratas clades Gabaenses eius superstitionis poenam agnoscimus ob sequentes rationes. Ipsa id docet *series eventuum*. Michae acta cum reliqua superstitione tempori fere mortis Iosue attribuimus (cf. ad 18, 1) : sed eidem circiter tempori assignandae Gabaenses turbae Phinee pontifice subortae. Ibi cernis religionem Hebraeorum neglectu defiguratam, nefas haud levem promeritum poenam : hic gravem conspicis caedem tam Beniaminitarum quam reliquarum tribuum. Rationem exquiris? Circumspice idola passim per regionem honore habita, theraphim et ephod : haec ratio. « Fecerunt filii Israel malum in conspectu Domini » (2, 11), malum non ethnicae quidem idololatriae, at domesticae superstitionis. Utrumque malum de monte Ephraim atque ex

ipso veluti tabernaculi vestibulo profectum (17, 1; 19, 1), utrique levites implexus. — Alteram rationem desumimus *ex unitate narrationis* cap. 17-21. Nulla eius in duo fragmenta discerpendae causa, cuius partes repetita 17, 6; 18, 1. 31; 21, 24 formula non sine arte interseruntur. Verum in una hac narratione cap. 17 sq. exhibet scelus sine poena, cap. 19 sqq. poenam scelere ib. narrato latius patentem. Quid obvium magis, quam ut hanc poenam illi sceleri inflictam defendamus? Hinc eventuum horum omnium pleniorem nanciscimur conspectum. Gabaitarum scelus non seorsim considerandum, sed in latius serpentis superstitionis poenam illud permisit Deus, ut hinc non Beniaminitae soli, sed et reliquae tribus irati numinis experirentur furorem.

v. 26 « *Quamobrem omnes filii Israel* » — reliqui addunt *et omnis populus*, quod explicat *Bertheau*: non bellatores tantum, sed etiam senes, mulieres etc — « *venerunt in domum Dei* », verius *in Bethel*, « *et sedentes flebant coram Domino* », « sederunt i. e. diu admodum coram Domino permanserunt » (*Ser.*), « *ieiunaveruntque die illo usque ad vesperam* ». Cum nullum apud Hebraeos haberetur ieiunium, quod non usque ad vesperam duraret, praestat hanc vocem etiam ad duo praecedentia verba *sederunt et fleverunt* referre. « *Et obtulerunt ei holocausta atque pacificas victimas* », quarum carnibus absoluto ieiunio pasti sunt. Quamvis exinde, quod v. 18. 23 sacrificiorum non fit mentio, non liceat inferre sacrificia tum nulla esse oblata, tamen ex emphasi verborum sequitur, multo instantius atque humilius hac vice Israelitas Deo supplicasse. v. 27 « *Et (super statu suo) interrogaverunt* » *Dominum*. « *Eo tempore ibi erat arca foederis Dei* »; « ad tempus sc. » (*Mar.*); « quoad duraret illud bellum » (*Clair*). Quibus verbis confirmatur בית אל non esse his textibus vertendum « domus Dei » et interpretandum Silo, cum Silunte arca sedem habuerit non ad tempus, sed permanenter. Miratur *Bertheau*, arcam h. l. et non potius v. 18. 23 commemorari. Possumus cum eo respondere, omisisse primum auctorem de arca dicere, nunc autem, ubi de ieiunio, fletu, sacrificiis sermo inciderit, omissum supplere. Vel dicas, expressionem *in diebus illis* esse omnino indeterminatam et posse intelligi, non de toto eius belli tempore, sed de tempore alteram cladem secuto, ut tum arca Silunte propius ad locum certaminis fuerit allata (cf. 1 Reg. 4, 3). v. 28 « *Et Phinees, filius Eleazari, filii Aaron, praepositus domus* ». *Hebr. stans ante ipsam*, sc. arcam (LXX), « fungebatur dignitate sacerdotali » (*Vatabl.*).

Non est dubium, genealogiam ideo h. l. adscribi, ut intelligamus agi de ipso illo Phinee Ex. 6, 25, qui nepos exstitit Aaronis. Miras hinc concoxere fabulas *Rabbini* aliqui (ap. Drus.), qui hanc historiam ad extremam iudicum aetatem pertinere arbi-

trarentur. Dicunt Phineem trecentesimum tum aetatis annum excessisse, eundemque esse atque Heli, Eliam.

« (*Consuluerunt igitur Dominum*) *atque dixerunt* : » — לאמר grammatice etiam ad Phineem referri potest : at is nomine utique Israelitarum Deum consulebat, nec nisi eorum nomine Beniaminum אחי appellare poterat; ergo praeferenda *Vulg. LXX Syr.* versio — « *Exire ultra debemus ad pugnam contra filios Beniamin fratres nostros, an quiescere? Quibus ait Dominus : Ascendite, cras enim tradam eos in manus vestras* ». Explicite iam victoria promittitur.

v. 29 « *Posueruntque filii Israel insidias per circuitum urbis Gabaa* ». Quae insidiae *per circuitum* dispositae non sunt restringendae ad solas insidias v. 33 sq. ab occidente urbem adortas, decem millia virorum; sed intelligendae sunt quotquot copiae sequentibus recensentur, etiam ipse exercitus, qui v. 30 in locum iniquum tertio processit, nam hae quoque insidiae erant. Insidiarum rationem *Bonfr.* coniicit Hebraeos divinitus esse edoctos, cf. 2 Reg. 5, 23 sqq. : sufficit supponere, suggerente pontifice duces esse creatos atque instituendi proelii rationem communi consilio definitam. Iam insidiae singillatim describuntur. v. 30 « *Et tertia vice, sicut semel et bis, contra Beniamin exercitum produxerunt* ». *Hebr.* : *Et ascenderunt filii Israel contra filios Beniamin die tertia* (cf. ad v. 24) *et instruxerunt contra Gabaa aciem, sicut prima et secunda vice*. v. 31 « *Sed et filii Beniamin audacter eruperunt de civitate (et fugientes adversarios longius persecuti sunt), ita ut vulnerarent ex eis sicut primo die et secundo, et caederent per duas semitas (vertentes terga), quarum una ferebatur in Bethel* » — h. l. non vertit *Hier.* « domus Dei » — « *et altera in Gabaa, (atque prosternerent) triginta circiter viros* ». « Illud *sicut* non dicit paritatem et aequalitatem cladis, cum tantummodo triginta viros dicantur occidisse; sed dicit similitudinem aliquam, quod eadem facilitate et spe certa victoriae nulloque eis pertinaciter resistente hosce pauculos occiderint » (*Bonfr.*).

הנתקו videtur latere in *Vulg. audacter*. Verbo competit significatio *abstrahere* Ier. 22, 24 et in locis omnino parallelis Ios. 8, 6. 16, *segregare* Ier. 6, 29 et 12, 3. Ergo recte *Vatabl.* « abducti sunt, h. e. discesserunt » ab urbe; non « praeclusi sunt » (*Ges.*), sequenti anticipata narratione. Adhuc explicanda superest forma temporis praeteriti, loco imperfecti cum vav conversivo, quod exprimunt LXX *Syr.* Censent *Bertheau*, *Keil*, perfectum הנתקו praecedenti ויצאו subordinari : « egressi sunt ita, ut ab urbe abstraherentur » ; modum vero, quo Beniaminitae abstracti fuerint, explicari v. 32. 36. Violenta haec et obscura : praestat fortasse, corruptam affirmare lectionem *Hebr. Chald.* — *Hebr. : et coeperunt percutere de populo vulneratos, sicut prima et secunda vice, in* מסלות, *quorum unum ascendit ad Bethel et unum ad Gabaa in agro*. Non parum istae *viae* seu *semitae* torserunt interpretes. *Vatabl.* « in coniunc-

tione semitarum, h. e. in bivio ». At, cum Tell-el-Ful seu Gabaa viae, quae Hierosolymis ducit in Bethel, proxime adiaceat, habetur ibi unica via tendens hinc Gabaam illinc in Bethel, non vero bivium. Praeterea *Bertheau* effinxit « viam, quae Gabaam versus tendat in agrum » : at viae per agros quidem in urbes tendere consuevere, non vero tendunt in agrum. *Cassel* duas excogitavit Gabaas, Gabaam campi et Gabaam montis (Niedergibea oder Feldgibea, Berggibea). Verum adverte מִסִּלָּה vi etymi designare eas vias, quae supra planitiem assurgunt et affusis ruderibus sint constructae, cf. Is. 40, 3. Sed viae stratae inter Gabaam et Bethel tum temporis minime exsistebant. Ergo h. l. praeferenda est altera magisque nativa vocis מְסִלּוֹת significatio *ascensus* (cf. 2 Par. 9, 11 gradus, ἀναβάσεις ; et cf. etiam 1 Reg. 6, 12) : *in ascensibus, quorum unus etc.* Consule opus chartographicum recentissimum : Map of Western Palestine by *C. R. Conder* and *H. H. Kitchener* et deprehendes sequentes altitudines pedibus anglicis expressas : Tell-el-Ful 2754 ; locus, unde initium sumit via versus el Iib 2462 ; Birch 2636 ; Beitin seu Bethel 2890. En utique duo ascensus, unus Gabaa descendens aquilonem versus, alter post descensum rursus ascendens versus Bethel. Neque officit, nec hanc viae partem uniformiter ascendere, neque illam uniformiter descendere, sed utramque inaequalitate quadam per montana protendi. Erant tamen universim spectati duo *ascensus*. Additur autem *in agro*, in campo sc. patenti, per quem Beniaminitae vagabantur, Israelitis in saltibus adiectis delitescentibus.

v. 32 « *Putaverunt enim solito eos more cedere. Qui fugam arte simulantes inierunt consilium, ut abstraherent eos de civitate (et quasi fugientes) ad supradictas semitas (perducerent)* ». Liberius haec vertuntur ; *Hebr.* ita : *Et cogitaverunt filii Beniamin : Funduntur isti uti in principio a facie nostra. Filii autem Israel cogitabant : Fugiamus et abstrahamus eos ab urbe in ascensus.* Studebant autem in illos ascensus eos perducere successive, i. e. ut primum Gabaa descenderent, dein in profundum delapsi versus Bethel ascendere inciperent. In cuius ascensus loco aliquo videtur fuisse *Baalthamar*, qui locus in scriptura secus non nominatur, sed ab *Hier.* ex *Euseb.* ita describitur : « Baalthamar iuxta Gabaa... Usque hodie Bathamari in supradictis locis viculus appellatur ». Quantum Gabaa abfuerit aquilonem versus his verbis non docemur. v. 33 « *Omnes itaque filii Israel surgentes de sedibus suis* » fugamque simulantes « *tetenderunt aciem in (loco, qui vocatur) Baalthamar* ». *Chald. Iericho* (!), quod ea urbs 3, 13 « civitas palmarum » audiat. « *Insidiae quoque, quae circa urbem erant, paulatim se aperire coeperunt* », v. 34 « *et ab occidentali urbis parte procedere* ».

Liberior rursum translatio. *Hebr. : Et insidiae Israelitarum proruperunt de loco suo* מִמַּעֲרֵה גָבַע, *et venerunt de austro Gabaa decem millia virorum etc.* Punctavit *Syr.* מִמְּעָרַה, *de spelunca Gabaa*, sed nullam eiusmodi comperimus speluncam. *Masor.* מִמַּעֲרֵה est ἅπαξ λεγόμενον, de quo vertendo desperans LXX scripsit Μαρααγαβέ. Alii derivant ab ערה *nudum esse*, ergo regio omnino nuda et arida ; at, obiiciunt alii, eiusmodi regio collocandis insidiis minus apta videtur, et insuper arbitraria est derivatio. *Rabbini* « ob denudationem Gabaae », quod sc. milite nudata esset

relicta : at insolita locutio, et aliae hic expressiones cum מן omnes *locum unde* designant. Neque cum *Cassel* vertere licet « a denudatione Gabaae » loco sc. reliquis magis nudo minusque munito. Perperam pro derivatione a radice ערה invocatur *Chald.*, cum teste *Cassel* chald. מישר secus correspondeat hebr. ערבה, ut Chald. pro ממערה videatur legisse מערבה *a deserto*, quod intelligas tractum solis gregibus pascendis attributum. Huic autem lectioni perquam affinis est altera *Vulg.* ממערב vel ממערבה *ab occidente;* et consentit *Alex.* cum aliis codicibus graecis ἀπὸ δυσμῶν ; confirmatur item versione *syro-graeca* Pauli Tellensis מן מערבא (ap. Cassel). Iam ea versio *ab occidente* omnino praeferenda est alteri *a deserto*, eo quod statim sequatur מנגב *ab austro*: describitur cuneus unus ab occidente, alter ab austro Gabaam ex insidiis invadens. Etenim quod statim מנגד *ex adverso* legunt *Hebr. LXX Syr.* (num eodem recidit *Vulg. alia* ?), id cum codicibus hebr. pluribus et *Chald.* omnino legendum est מנגב *ab austro*. Docemur quippe, unde singuli processerint cunei : at quid nos doceat indeterminatum *ex adverso* ? Israelitarum copiae omnes septentrionem versus inter Gabaam et Bethel dispositae credebantur ; qui Gabaam se velle adoriri finxerant, illico obversis tergis fugiunt via Bethel : nihil sibi iam ab occidente, nihil omnino ab austro timebant, qui in urbe Gabaa substiterant.

« *Sed et alia decem millia virorum* » *fortissimorum* « *de universo Israel (habitatores urbis ad certamina provocabant)* ». Perspexit *Vulg.*, hos etiam viros ab austro urbis profectos eidem subigendae operam navasse, non vero proxime intercipiendo reditui eorum Beniamitarum, qui Bethelum versus fugientes hostes insequebantur ; quod placuit *Clerico*, qui additamentum Vulg. « inane » vocat. Iam quae sequuntur, non urbis obsidionem spectant, ut circa hanc ingravatum sit proelium (*Clair*), sed exercitum Beniaminitarum, qui in Baalthamar instructam Israelitarum aciem offenderat. Hoc enim et sequenti versu traditur summa totius cladis, inde a v. 36 distinctius per partes enarrandae more scriptorum hebraeorum. Unde merito *Malv.* v. 35 scripsit esse « prolepticum : nam in genere proponit historiam, quam deinde sigillatim persequitur ». « *Ingravatumque est bellum (contra filios Beniamin) et non intellexerunt, quod ex omni parte illis instaret interitus* ». v. 35 « *Percussitque eos Dominus in conspectu filiorum Israel, et interfecerunt ex eis in illo die viginti quinque millia et centum viros, omnes (bellatores et) educentes gladium* ». De numeris ad v. 17 disseruimus. Summa interfectorum traditur ; v. 44 sq., quot variis locis occiderint, edocemur.

Dedit nobis auctor v. 29-35 generalem cladis conspectum. Praeparatae ab Israelitis v. 29 circa Gabaam insidiae, quae v. 33 sq. accuratius describuntur ab occidente et ab austro fuisse dispositae ; robur exercitus via iam bis infeliciter tentata Gabaam petit, fugam simulat, Beniaminitas septentrionem versus in locum Baalthamar pellicit ; quo ubi perventum est, et qui fugam simulaverant, fortiter resistunt et, qui in insidiis latuerant, urbem milite nudatam adoriuntur, secuta ingenti clade. Haec narrationis summa. Qua absoluta recordatur veluti auctor sibi ali-

quia enucleatius enarranda fuisse, imprimis exercitus Beniaminitarum e Baalthamar fugam captamque ab iis, qui in insidiis latuerant, urbem (v. 35 sq.). Unde rursus v. 38-41 digreditur auctor ad exponendum nexum inter captam urbem fusumque exercitum : sc. de captae urbis incendio tamquam de signo conventum fuerat, quo Israelitae simulatam sisterent fugam. Quorum et numeris pressi et conspecto suae urbis incendio perturbati Beniaminitae, fugae se dantes, in exitiales ruere insidias, aliis ab oriente (via deserti), aliis ab austro (capta sc. Gabaa), reliquis ab aquilone (Baalthamar) eos circumplectentibus. Ubi 18,000 in ipso proelio, 5000 et 2000 variis locis in fuga interiere.

v. 36 « *Filii autem Beniamin, cum se inferiores esse vidissent, (coeperunt fugere). Quod cernentes filii Israel dederunt eis (ad fugiendum) locum, ut ad praeparatas insidias devenirent, quas iuxta urbem posuerant* ». Sermo igitur est de fuga Beniaminitarum a Baalthamar Gabaam versus (*Calm.*). Cur autem eo fugere permissi ? Ut Israelitae simul cum Beniaminitis Gabaam intrarent, inquit *Bonfr.* : at ex v. 38 sqq. Gabaa iam capta et incensa erat, ubi se Beniaminitae fugae dederunt. Ergo melius, quo iniquiore loco ad radicem collis Gabaa, Beniaminitae undique cingerentur et opprimerentur.

Exposuimus supra nexum secundum Vulg.; sed alium nexum, eumque forte faciliorem, admittit *Hebr.* : *Et viderunt Beniaminitae, quod plecterentur* Israelitae, ubi notat *Bertheau* נִגָּף etiam v. 32 de Israelitis praedicari, non de Beniaminitis; *dederuntque Israelitae locum Beniaminitis*, coram illis fugam simulabant v. 32, *quia confidebant in insidiis, quas iuxta Gabaam posuerant*. Ita *Munst.*, *Vatabl.*, *Ros.*, *Bertheau*, *Keil*, *Clair*, *Cassel*. Secundum haec v. 36 non Beniaminitarum fugam refert, quae nonnisi v. 41 sq. narratur, sed repetit, quod iam v. 32 de simulata edixerat Israelitarum fuga, indeque narrare pergit, quomodo conspecto Gabaae incendio versae sint vices, Beniaminitis terga dantibus et Israelitis eos persequentibus.

v. 37 « *Qui cum repente (de latibulis) surrexissent (et Beniamin terga caedentibus daret), ingressi sunt civitatem et percusserunt eam in ore gladii* ». v. 38 « *Signum autem dederant filii Israel his, quos in insidiis collocaverant, ut, (postquam urbem cepissent), ignem accenderent; (ut, ascendente in altum fumo, captam urbem demonstrarent)* ».

Paraphrasis haec sunt potius dicenda, quam versio. *Qui autem in insidiis erant, festine irruerunt in Gabaam, ceperuntque eam et percusserunt totam civitatem in ore gladii.* מָשַׁךְ *trahere* significat; quandoque *tuba canere* (*Vatabl.*), sed h. l. nihil est, quod tubam subintelligi suggerat. *Ros.* explicat « extendit se agmine facto » ; sed inter *irruere* et *percutere* exspectabis aliquod verbum, quod *captam* urbem referat. Cf. Ps. 27 (28), 3 « Ne simul trahas me cum peccatoribus » ; Iob. 24, 22

« Detraxit fortes in fortitudine sua » ; Ez. 32, 20 « Attraxerunt eam (Aegyptum) et omnes populos eius ». Qui textus demonstrant, משך inducere sensum *e loco suo detrahere*, ergo, ubi de civitate agitur, *capere*. — v. 38 *Tempus autem constitutum erat Israelitis*, ut a simulata fuga cessarent, *cum iis, qui in insidiis erant : Multiplica, ut ascendere faciant columnam fumi de urbe.* Fumus erat signum, signo definiebatur tempus. משאת *ascensus*, recte *Chald.* interpretatus est *columnam* ; e contra LXX σύσσημον vel πυρσόν quae voces signum exprimunt igne datum, *germ.* « ein Feuerzeichen ». — Difficultatem facit imperativus 2[ae] personae הרב *multiplica*, iunctus verbo cum suffixo 3[ae] personae להעלותם *ut ascendere faciant*. Variae proferuntur solutiones. *Vatabl.* verba concipit ad unum aliquem, puta ducem, directa : « Da operam, ut milites quam maximum poterunt excitent incendium ». *Keil* duas confundi constructiones affirmat. *Bertheau* הרב corruptum censet ex חרב, quod ib. legunt LXX, hoc autem חרב a fine v. 37 huc esse delapsum. *Studer* (ap. Keil) tenet suffixum ortum ducere ex repetito מ initiali sequentis vocis.

v. 39 « *Quod cum cernerent filii Israel in ipso certamine positi*, — *(putaverunt enim filii Beniamin eos fugere) et instantius persequebantur, caesis de exercitu eorum triginta viris* — » v. 40 « *et (viderent quasi) columnam fumi de civitate conscendere, Beniamin quoque aspiciens retro, cum (captam) cerneret (civitatem et) flammas in sublime ferri* » ; v. 41 « *qui prius simulaverant fugam, versa facie fortius resistebant. Quod cum vidissent filii Beniamin, in fugam versi sunt* », v. 42 « *et ad viam deserti* », solitudinis « quae ascendit de Iericho ad montem Bethel » (Ios. 16, 1), « *ire coeperunt, illuc quoque adversariis eos persequentibus. Sed et hi, qui urbem succenderant, occurrerunt eis* ». Haec quoque paraphrasis sunt longius quandoque a textu aberrans. Ultima sententia in reliquis textibus sic sonat : *Et, qui de urbibus, exterminaverunt eos in medio sui.* Beniaminitaram plures in suas se urbes recipientes ab Israelitis victoribus cum uxoribus et liberis fuere trucidati, ubi singularis בתוכו referri posset ad pluralem ערים, sc. exterminaverunt singulos in sua urbe. *Chald.* supponit, Israelitas in singulis illis urbibus insidias iam ante collocasse, quod attento v. 17 ingenti eorum numero veri absimile non est. Perperam *Calm.* : « Israelitarum insidiae passim caedebant Beniaminitas, qui ex aliis urbibus opem laturi urbi Gabaae venerant » ; nam Beniaminitae omnes supponuntur v. 14 Gabaam convenisse.

v. 39 *Et conversi sunt Israelitae in proelio, — Beniamin autem inceperat percutere vulneratos de Israelitis quasi triginta viros, quia cogitabant : Profecto, plectuntur isti a facie nostra sicut in pugna priore.* Singularem intellige sensu plurali, fuerant enim duae pugnae (*Ros.*). v. 40 *Et columna incipiebat ascendere de urbe, columna fumi : et retrospexit Beniamin, et ecce conflagrabatur universa urbs coelum versus.* — v. 41 *Israelitae igitur conversi sunt, et conturbatus est Beniamin, quoniam vidit confirmatum esse malum adversus*

se (cf. v. 34). Verba *Et conversi sunt Israelitae* v. 39 eundem sensum habent atque v. 41 et, quae interiacent, parenthesis quaedam sunt v. 31. 38 repetens. Ex hoc loco discimus, tum tandem illos triginta viros v. 31 esse trucidatos, quando Israelitae fugiendi finem fecerunt (*Clair*). Ergo, ubi Israelitae ascendentem fumum aspexere, fugientes substitere, persequentes Beniaminitas repellere coeperunt, in quo certamine triginta viros amisere. Tandem Beniaminitae etiam, Israelitarum alacritate et tripudiis perculsi, retrospexerunt atque, cum omnem victoriae spem ademptam esse perspicerent, fugae praecipites se dederunt. Non est cum *Vatabl.* vertendum v. 39 « dederunt terga in ipso conflictu » (cf. v. 32), cum is sensus v. 41 iisdem verbis minime conveniat.

v. 43 « *Atque ita factum est, ut ex utraque parte ab hostibus caederentur, nec erat ulla requies (morientium). Ceciderunt atque prostrati sunt ad orientalem plagam urbis Gabaa* ». Liberius haec vertuntur; reliqui habent : *Cinxerunt Beniaminum, secuti sunt eum* מנוחה, *prosecuti sunt eum usque ex adverso Gabaae ad orientem.* Tria verba sine copula scribuntur, quae v. 42 referebantur, accuratius explicant. Unde infero *urbes*, de quibus ibi erat sermo, reapse esse urbes Beniaminiticas, ad orientem Gabaae et in via deserti sitas, quas praevie Israelitae occupassent. Beniaminitis ab exercitu Israelitico pressis occurrerunt ex illis urbibus praesidia, eos cinxerunt, repulerunt, in loco haud longe Gabaa ad orientem sito confecerunt. Ambigitur de sensu vocis מנוחה. Quam LXX *Chald.* interpretati sunt nomen proprium *de Nocha*; neque mirum, hoc nomen uti Baalthamar intercidisse, siquidem haec loca crediderim postmodum non esse reaedificata. Nomina locorum similia, sed non eadem habes 1 Par. 2, 52. 54; 68, מנחת, מנחות. *Vulg. Syr.* merito interpretati sunt *requies*. Et *Syr.* quidem recurrit ad substantivum מנוחה, *secuti sunt eum quiete*, quod aptum sensum non praebet. Felicius *Vulg.* vocem supposuit contractam ex מן נוחה *sine quiete*, nullam illis requiem concesserunt fugientibus. v. 44 « *Fuerunt autem, qui in eodem loco interfecti sunt, decem et octo millia virorum, omnes robustissimi pugnatores* ».

v. 45 « *Quod cum vidissent, qui remanserant de Beniamin, fugerunt in solitudinem (et pergebant) ad petram (cuius vocabulum est) Remmon* ». Excluditur Remmon tribus Zabulon Ios. 19, 13 et altera tribus sive Iuda sive Simeon Ios. 15, 32; 19, 7. Haec altera item intelligitur Zach. 14, 10, ubi totum regnum Iuda exprimitur ut regio « a Geba usque ad Remmon », nominato sc. uno loco prope limitem septentrionalem, et altero prope limitem australem sito (cf. *Knabenbauer*). Plures sane loci a malogranato רמון nomen ducebant. Aliqui suggerunt collem Rammun, qui fere tantum a Michmas distat

aquilonem versus, quantum a Bethel versus orientem. Ita Beniaminitae, postquam Gabaa orientem versus v. 43 fugam frustra tentaverant, aquilonem versus deflexissent atque per devia, via fere Gabae et Michmas, in locum tutum se recepissent. *Baedeker-Socin* novit vallem aliquam Wadi er-Rummani, secus viam Hierosolymis Ierichuntem, ergo in tractu asperrimo finium Beniamin : facile prope illam potuit esse eiusdem nominis rupes. « *(In illa quoque fuga palantes et in diversa tendentes) occiderunt quinque millia virorum* ». *Hebr. : et racemaverunt in ascensibus* (sensum vocis ad v. 31 exposuimus) *quinque millia virorum.* « Palantes fuga per diversa loca perquisiere, uti solent, qui post vindemiam racemantur » (*Calm.*). « *Et cum ultra tenderent, persecuti sunt eos et interfecerunt etiam alia duo millia* ». *Hebr. : et persecuti sunt eos usque Gideom*, locum ignotum. LXX גדען, *Syr.* גבעון. Non necessario, quod vult *Keil*, is locus quaerendus est inter Gabaam et Remmon, cum fugitivi utique non uno omnes itinere incederent, atque illi sexcenti ideo fortasse maxime salvati sint, quod diverso a reliquis itinere incesserint. v. 46 « *Et sic factum est, ut omnes, qui ceciderant de Beniamin (in diversis locis), essent viginti quinque millia* » (cf. quae diximus post v. 17), « *pugnatores ad bella promptissimi* », quae eadem expressio v. 44 concludebat ostenditque, quam exitialis fuerit clades.

Resumitur rursum narratio iisdem omnino verbis, quibus v. 45; utrobique enim *Hebr.* habet : *Et viderunt et fugerunt in desertum ad petram Remmon.* Subiiciturque numerus eorum Beniaminitarum, qui illuc concessere, tempus, quo perseveravere; tandem, quid Israelitae egerint, subiicitur. v. 47 « *Remanserunt itaque de omni numero Beniamin qui evadere (et fugere) in solitudinem potuerunt, sexcenti viri; sederuntque in petra Remmon mensibus quatuor* ». v. 48 « *Regressi autem filii Israel* » *ad filios Beniamin*, i. e. intra eorum fines, « *omnes reliquias civitatis a viris usque ad iumenta gladio percusserunt, cunctasque urbes (et viculos) Beniamin vorax flamma consumpsit* ».

Haec quoque liberius versa : *percusserunt eos in ore gladii ab urbe* מְתֹם *ad pecudes, ad omne quod est inventum, cunctasque urbes, quas invenerunt, combusserunt igne. Keri* מְתֹם *integritas* sensu caret. *Kethib* מְתִם *viri.* Ea vox aliis tribus locis cum עִיר copulatur. Omittimus Iob 24, 12, quod ibi מְתִים potius pro nominativo accipiatur (*Knabenbauer*). Reliqui duo textus verbotenus iidem sunt, Deut. 2, 24 et 3, 6 : « disperdentes omnem civitatem, virosque ac mulieres et parvulos ». Iam nostro loco verti potest « a civitate hominum » (*Munst.*) ; sed cur dicatur civitas hominum, cum omnes civitates hominum sint, non pecudum ? Aut vertas cum *Bertheau*, *Keil*, *Clair* : « a civitate (homines usque ad pecudes) usque ad omnem, quicunque inveniretur,

sc. extra civitatem ». Dura constructio, in qua non apparet, cur pecudes civitatibus potius attribuantur quam ruri, curve pagani exprimantur vocibus « omnis, quicumque inveniretur ». Soli textus Deut. 2, 24 et 3, 6, qui re unicus textus sunt, non cogunt nos, ut eadem h. l. ratione construamus. *Chald.* vocem reddit non substantivo, sed verbo גמרנין ; et *Syr.* idem verbum scribit, unde quod habet ipse *a viris*, videtur explicationis gratia esse additum : habuerintne aliam ab Hebr. formam aut punctationem, ignoramus. Ceterum *a viris* (*Vulg. Syr.*) potius esset ממתם quam מתם. — Si quaeras, quomodo Israelitis licuerit tanta caedes etiam innocentium, respondebimus cum *Cai.*, Israelitas cum urbibus illis egisse per modum anathematis.

Tribus Beniamin ab interitu servata. — Iud. 21

Arg. — Sexcentis illis Beniaminitis de uxoribus provisuri Israelitae, destructa Iabes Galaad, quadringentas virgines servant, reliquas Siluntinis festa agentibus vi abripi permittunt, raptarum parentes ad misericordiam movent atque compescunt.

Cap. XXI v. 1-3 causa luctus Hebraeorum exponitur, dein v. 4-14 et 15-24 duo remedia afferuntur, quae ab ipsis adhibita sunt. Igitur Israelitae Masphae 20, 1 collecti, ante initum sed post decretum bellum, duplici se iuramento adstrinxerant. Tanto commissi sceleris tenebantur horrore, tantopere in eum horrorem Israelitas universos conspirare cupiebant, ut non solum omnes omnino ad arma evocaverint, sed etiam iuramento sanxerint, eos se morte esse punituros, quicunque defuissent. Erat ea etiam iuramenti suscipiendi ratio, ut, si qui essent Beniaminitarum rerum studiosiores, ii ab auxilio illis ferendo supremi supplicii metu cohiberentur. Non igitur ab aequitate alienum iuramentum. Altero quoque se Masphae obstrinxerant Israelitae iuramento, quo prohiberetur quisque, quominus filiam nuptui traderet Beniaminitae. Quo veluti a gente electa excludebantur Beniaminitae, ethnicorum instar connubiis interdicti. Acerba haec poena nec tamen immerita in iis, quorum mores ethnicorum pessimos aemularentur. Tandem eo consilio Israelitae arma ceperant, ut in omnes Beniaminitarum urbes anathematis lege animadverterent, i. e. funditus illas destruerent incolis universis trucidatis : a qua lege ideo eximebantur sexcenti viri armati, quod non iam in urbe ulla, sed sub divo versarentur. Neque haec poena a V. T. indole aliena. At, inquies, ubi innotuit integram unam tribum deleri oportere, si illud iuramentum ad literam observaretur, debuerunt Israelitae perspicere illicite iam tale iuramentum impleri. Quibus merito respondet *Bonfr.*, nullibi in scripturis affirmari, oportere ut duodecim tribus intactae usque permanerent, atque de facto plures exsilio Assyriaco esse absumptas. Verum, quamvis illicitus non esset unius tribus interitus, at idem certe universae genti gravissimus, at plurimum piorum intererat Israelitarum,

ut is licitis quibusque mediis praepediretur. Hinc Israelitae « consulentes Deum hoc nomine non libertatem quidem a voto exoraverunt, sed didicerunt artem voti praestandi et tribus conservandae » (*Malv.*).

v. 1 « *Iuraverunt* » — vel potius *Iuraverant* (*Bonfr.*), redit enim narratio ad 20, 1 — « *quoque filii Israel in Maspha et dixerunt : Nullus nostrum dabit filiis Beniamin de filiabus suis uxorem* ». Obiicienti *Abul.*, ex Num. 36, 6 non licuisse mulieri nisi propriae tribus viro nubere, iam *Ser.* respondebat prohibitas esse eas solas mulieres, ad quas deficientibus fratribus paterna devolveretur haereditas; quod egregie confirmatur nostro textu. Recte ex textu infert *Cai.*, « quod in Maspha exsistentes filii Israel acceperant responsum negatae iustitiae a filiis Beniamin : nam post negatam iustitiam iuraverunt, se non udituros illis filias suas in uxores ». v. 2 « *Veneruntque omnes ad domum Dei (in Silo)* » — falso, uti 20, 18. 26, vertit *Vulg.* nomen proprium adiicitque epexegema *in Silo* : cum reliquis scribendum erat *in Bethel* — « *et in conspectu eius sedentes usque ad vesperam, levaverunt vocem et magno ululatu coeperunt flere* », cf. 20, 23. 26, « *dicentes* » : v. 3 « *Quare, Domine Deus Israel, factum est hoc (malum) in populo tuo, ut hodie una tribus auferretur ex nobis?* » « Formula querentis infelicitatem suam », ait *Cler.*, « non sciscitantis eius causam ». Sane non sciscitabantur Israelitae causam proximam et quasi historicam, quae evidentissima erat : factum sc. istud erat cum ob scelus intra Beniaminitarum fines commissum, tum ob iuramentum ab Israelitis illud scelus indigne ferentibus emissum. Sciscitabantur vero causam remotiorem, essetne ab ipsis peccati quidquam admissum, ob quod Deus et scelus et iuramentum permiserit. Causâ autem videntur fuisse illa eadem peccata superstitionis et praesumptionis, ob quae bis a Beniaminitis vinci permissi fuerant Israelitae.

Merito advertit *Malv.*, aliquid nobis h. l. in s. textu tacite innui, sc. Israelitas post orationem et fletum, sive divino oraculo sive deliberatione instituta, intellexisse atque decrevisse, qua ratione sexcentis Beniaminitis de uxoribus esset providendum. Meminerant sc. poenae mortis in eos viros publico decreto propositae, qui expeditioni contra Beniaminitas defuissent; aliquos vel etiam ipsos Iabesitas abfuisse, aut ante iam certo norant aut suspicabantur; qui si morte plecterentur cum uxoribus et filiis, poterant filiae nuptui tradi Beniaminitis. Igitur sequenti mane inquisitum est in eos, qui defuissent. v. 4 « *Altera autem die diluculo consurgentes exstruxerunt altare obtuleruntque ibi holocausta et pacificas victimas* ». In Bethel tum erat arca foederis 20, 27, ergo etiam altare, ibique iam 20, 26 sacrificia fuere oblata. Cur ergo novum exstructum altare? Audacius suggerit *Lyr.*, vetus tum altare fuisse dissi-

patum : vix credendum altare utile defuisse arcae. « Altare factum a Moyse », inquit *Cai.*, « non erat sufficiens ad sacrificia populi, et propterea in supplementum aedificatum est novum altare ». Et appellant 3 Reg. 8, 64, ubi narratur Salomo novum consecrasse altare, quod altare aeneum sufficiens non esset. At sensus obvius est, altare aedificatum omnino fuisse principale vel etiam unicum, in quo illa sacrificia offerrentur. Supposuisse videtur *Vatabl.*, novum esse aedificatum altare, quoties Deus pro oraculo consuleretur : at qui haec assertio demonstretur? Melius *Bonfr.* aliique ex facto 3 Reg. 8, 64 inferunt, prohibitum non fuisse iusta de causa in loco, ubi arca et altare esset, aliud altare aedificare; atque reapse id nullo textu prohibetur. Manet tamen quaestio, quare sibi Israelitae alterum in Bethel altare exstruendum duxerint. Ubi suggerit *Calm.*, veritos esse ad altare intra tabernaculum erectum accedere, quod ex tanta caede hominum polluti censerentur. At tum e mente potius legis mosaicae fuisset sacrificium, quoad purificarentur, differre. Fateamur igitur primum, aliud esse, factum aliquod a scriptura diserte affirmari, aliud nos facti affirmati rationem plene perspicere : neque ideo factum negare licet, quod rationem non satis perspiciamus. Adverte porro, altaria in scriptura duplici maxime ex causa exstructa narrari : ut sacrificia in illis offerrentur, et ut eventus cuiusdam monumenta perdurarent (cf. Ios. 22, 23 sqq.). Suffecisset utique sacrificiis offerendis altare in tabernaculo exstructum, at volebant Israelitae suae etiam victoriae monumentum relinquere.

« *Et dixerunt :* v. 5 « *Quis non ascendit in exercitu Domini de universis tribubus Israel?* » *Hebr. : Quis non ascendit in ecclesiam ad Dominum?* sed ecclesia *exercitus* erat, quia omnes armati ascendebant. « *Grandi enim iuramento se constrinxerant, cum essent in Maspha, interfici eos, qui defuissent* », quod sc. socii quadamtenus essent Beniaminitarum scelerisque Gabaitarum. Ceterum in *Hebr.* est articulus, LXX ὁ ὅρκος μέγας, unde *Bertheau* infert, solitos fuisse Israelitas in rebus maioris momenti solemni se voto obstringere ad eos morte plectendos, qui comitiis non interfuissent. Refertur susceptum prius iuramentum, ut intelligatur ratio proxima quaestionis *Quis non ascendit etc.* Susceptum sc. iuramentum aequum erat observari, atque hinc, qui abfuissent, inquiri oportebat. Sed explicanda superest eiusdem quaestionis ratio remotior, cur sc. Israelitae ruinam tribus Beniamin lugentes pro remedio inquisierint, quis se expeditioni bellicae subduxisset. Hinc v. 6 luctum v. 3 mutatis verbis repetit; v. 7 ostendit ex eo luctu natum esse desiderium providendarum sexcentis Beniaminitis uxorum. At unde providendae? Iuraverant, se non daturos filias *suas*. « Sed non iuravimus », loquentes inducit *Tir.*, « non daturos nos illis communi decreto filias

aliorum, aut non permissuros vel non suasuros, ut vi vel dolo rapiant ». Iam quaenam *aliorum* filiae dari poterant nisi eorum, qui priori conventui non interfuissent neque iuramento se obstrixissent? Hinc tandem instituta inquisitio, quam v. 8 *Vulg.* inducit inserta non inepte voce *Idcirco.* — v. 6 « *Ductique poenitentia filii Israel super fratre suo Beniamin (coeperunt) dicere : Ablata est tribus una de Israel* ». « Non poenitebat eos eorum, quae iuste egerant. Sed maximum aestimabant infortunium deleri tribuum unam, quas Deus sane conservari cuperet intuitu Abraham, Isaac, Iacob et duodecim patriarcharum » (*Clair.*). Maior etiam inde dolor, quod *fratres* essent Beniaminitae : « omnes tribus et singuli Hebraei quasi fratres erant, quia communem patrem habebant Iacob, a quo Israelitae dicti sunt » (*Menoch.*). v. 7 « *Unde uxores accipient?* » *Hebr. : Quid faciemus ipsis, qui residui sunt, quoad uxores?* « i. e. ut demus eis uxores » (*Vatabl.*). « *Omnes enim in commune iuravimus, non daturos nos his filias nostras* ». Legebatne *Vulg.* יחד pro יהוה? v. 8 « *Idcirco dixerunt : Quis est de universis tribubus Israel, qui non ascendit ad Dominum in Maspha? Et ecce (inventi sunt) habitatores Iabes Galaad in illo exercitu non fuisse* ». v. 9 « *(Eo quoque tempore, cum essent in Silo), nullus ex eis ibi repertus est* ». « Prius narratum est, quod non interfuerunt Iabitae ; nunc narratur modus, quo compertum est, quod Iabitae non interfuerunt, videlicet recensendo populum, qui interfuit exercitui » (*Cai.*). *Hier.* interpretem agens potius quam traductorem, verba adiecit, quae uncinis inclusimus; videtur intellexisse conventum, quem ipse v. 2 scripserat Silunte habitum, cum is revera habitus sit in Bethel. *Verc.* intelligit conventum et censum 20, 17 Masphae habitum. Sed advertas *Hebr.* etiam v. 8 nonnihil aliter legere : *et ecce non venerat in castra vir de Iabes Galaad ad conventum* ; v. 9 *recensitusque est populus, et ecce nullus ibi erat vir de habitatoribus Iabes Galaad.* Hinc nullatenus oportet seriem narrationis historicam deserere : potest census supponi habitus esse post interrogationem v. 8, quo certius constaret, qui abessent poenamque essent promeriti.

Iabes, caput regionis Galaaditidis trans Iordanem, tribus Manasse. Ei urbi Saul ad regnum vixdum assumptus gratiam exhibuit pro excidio, quod propter Gabaam Saulis passa fuerat, eamque Ammonitarum obsidione liberavit 1 Reg. 11. Iabesitae vicissim Sauli cum filiis in monte Gelboe interempto parentarunt 1 Reg. 31, 11 sqq., ob id obsequium a Davide laudati 2 Reg. 2, 4 sqq.

v. 10 « *Miserunt itaque* » illuc ecclesia « *decem millia viros robustissimos et praeceperunt eis : Ite et percutite habitatores Iabes Galaad*

in ore gladii, tam uxores quam parvulos eorum ». *Habitatores* intellige viros, *parvulos* utriusque sexus liberos : unde solvitur quaestio a veteribus agitata, fuerintne a caede exemptae virgines, quae nubiles nondum erant : non fuerunt exemptae, quod parvulis adnumerarentur. v. 11 « *Et hoc erit, quod observare debebitis : Omne generis masculini et mulieres, quae cognoverunt viros, interficite, virgines autem reservate* ». Cf. Num. 31, 18. « Fuit et hoc anathema quoddam, cum mulieres et parvuli etiam interficiendi fuerint; unde, ubi interpres noster dixit *interficite*, hebraeus textus habet תחרימו, *anathematizate*. Fuit tamen hoc anathema imperfectum, cum et virgines sint reservatae, nec civitatem incendio traditam legamus » (*Bonfr.*). Iustum fuit anathema in solos Gabaitas primitus ab Israelitis pronuntiatum ; quorum sceleri ubi se sociarunt Beniaminitae primum auxilium illis ferentes, inde Iabesitae auxilium Israelitis denegantes, ad utrosque iuste anathema extendebatur. Alterum vero hoc anathema quadamtenus mitigarunt Israelitae, consulto pontifice et oraculo.

Textus reliqui omnes *duodecim millia* : « cum vero haec lectio a latinis codicibus saltem quos videre licuit, prorsus exsulaverit, mendum irrepsisse videtur vitio antiquissimorum librariorum, qui hieronymianam interpretationem primis temporibus descripserunt » (*Verc.*). Ceterum neque prohibet quidquam, quominus hunc errorem « plane innocuum » ipsi *Hier.* attribuas, qui ultima libri Iudicum capita currenti calamo transtulit. — Verbis *virgines autem reservate* sola suffragatur LXX, post Hier. videntur in Vulg. irrepsisse (*Verc.*). Adiecta autem esse omnino ex mente s. textus inde elucet, quod solae *quae cognoverunt viros* interfici iubeantur et interficiantur (*Ser.*).

v. 12 « *Inventaeque sunt de Iabes Galaad quadringentae virgines, quae nescierunt viri thorum, et adduxerunt eas ad castra in Silo, in terram Chanaan* ». *Hebr. in Silo, quae est in terra Chanaan*, i. e. in cisiordanica, nam transiordanica, ubi Iabes, non pertinet proprie ad terram Chanaan (*Cai.*). Iisdem verbis Ios. 21, 2 Silo describitur. « Erant ergo », inquit *Bonfr.* « Israelitarum castra post commissum cum Beniaminitis proelium in Silo : ex quo fit verisimile non alibi etiam quam Silunte stativa habuisse castra ante proelium ». Id minime gentium fit verisimile, nisi Israelitarum castris immobilitatem quamdam attribuas a communi castrorum indole alienam. Neque adiiceretur *quae est in terra Chanaan*, si de eodem atque 20, 18. 26; 21, 2 loco ageretur. 20, 27 arca cum castris demigraverat in Bethel : quid mirum, post cladem Beniaminiticam et arcam Siluntem rediisse, et castra eodem cum ipsa remigrasse, praesertim cum Silo propius abesset a Iabes, quam Bethel ?

v. 13 « *Miseruntque* » *omnis ecclesia* « *nuntios ad filios Beniamin, qui erant in petra Remmon, et praeceperunt eis, (ut eos susciperent in pace* ». Sensus *Vulg.* sane is est, ut iubeantur nuntii suscipere Beniaminitas, non Beniaminitae suscipere nuntios : nuntii semper in pace suscipiebantur.

ויקראו להם שלום (sed multi codices לשלום) non est eadem adamussim expressio, atque Deut. 20, 10 וקראת אליה לשלום, « offeres ei pacem ». LXX *vocaverunt eos in pacem ;* melius *Mar.* « pacifice », nomine adverbii locum obtinente. *Bertheau* « acclamarunt eis : Pax ». — v. 14 ולא מצאו להם כן, *et non suffecit eis ita* (Num. 11, 22), ne ita quidem, « neque hoc modo hacque a se excogitata ratione invenerunt tot uxores, quot illi erant » (*Vatabl.*).

v. 14 « *Veneruntque* » — *Hebr. Reversique sunt* immediate in suos fines nam si primum Siluntem, venissent, non fuisset opus v. 19 illis tam accurate, ubinam terrarum Silo esset, describere, — « *filii Beniamin in illo tempore, et datae sunt eis uxores* », *quas vivas servaverant* « *de filiabus Iabes Galaad ; alias autem non repererunt, quas simili modo traderent* ». « Neque enim in hac re iuramento contraiverunt Israelitae, tantummodo enim iurarant non daturos se filias suas. Quin et Iabeseni suas filias Beniaminitis in matrimonium elocare potuissent, si superstites fuissent, siquidem ipsi iuramento illo se non obligaverant » (*Bonfr.*).

Suprema v. 14 verba transitum efficiunt ad sequentem v. 15-24 narrationem, quomodo reliquis etiam ducentis Beniaminitis de uxoribus provisum sit. Ubi narrator simili modo atque cap. 20 procedit. Ibi post generalem v. 29-35 cladis conspectum, enucleatius aliqua narraturus, v. 36 orditur a repetenda, quam iam ante adumbraverat, Israelitarum fuga urbisque Gabaa ruina. Similiter h. l. dicturus de uxoribus aliis ducentis procuratis, primum v. 15-18 repetit, quae v. 6 sq. iam dixerat. v. 15 vix non verbotenus repetit v. 6 ; v. 16 repetit priorem et v. 18 posteriorem partem v. 7 ; v. 17 seriam enuntiat voluntatem iam v. 6 et 15 implicite expressam conservandae tribus Beniamin.

v. 15 « *Universusque Israel valde doluit et egit poenitentiam super interfectione unius tribus ex Israel* ». *Hebr. : Populusque dolebat super Beniamin, quia fecerat Dominus scissuram in tribubus Israel.* Scissura intelligitur, ut una tribus deleretur seu, quod v. 6 dicebatur « Ablata est tribus una de Israel ». Ad quem versum h. l. redit narratio, licet v. 8-14 scissuram ex parte iam sanatam ostenderit. v. 16 « *Dixeruntque maiores natu* » *ecclesiae :* « *Quid faciemus reliquis qui non acceperunt uxores* », *quoniam* « *omnes in Beniamin feminae conciderunt ?* » v. 17 « *Et magna nobis cura ingentique studio providendum est,*

ne una tribus deleatur ex Israel ». Prior versus pars non est translatio vocum ויאמרו ירשת פליטה לבנימן, *et dixerunt : Possessio salutis* (seu *evasionis*) vel *salvatorum Beniamino*. Et quidem praeferendum nomen abstractum *salutis*. Iam *possessio salutis* secundum Hebraeorum loquendi modum idem sonat, atque *possessio salva*. Israelitae suae deliberationis fundamentum hoc statuunt axioma : Beniamino sua salva servetur possessio, neque permittatur deleri tribus una ex Israel. Ubi alterum incisum illud negative enuntiat, quod prius positive affirmaverat. Dices, satis provisum fuisse possessioni seu haereditati Beniamini, permissis sexcentis viris pristinos tribus occupare fines. Id vero nego. Ut sua tribui salva maneret possessio, non sufficiebat, ut aliqui adessent Beniaminitae, qui ea fruerentur ad tempus : sed eorumdem requirebatur proles legitima, quae possessione post illos frueretur. Unde autem proles legitima, nisi ex uxoribus ?

Aliter LXX : κληρονομία διασωζομένων τοῦ Βενιαμίν, quae versio non satis exprimit praefixum ל. *Cai.* : « Opus est, ut sit haereditas iis, qui evaserunt de Beniamin » ; sed nulla de haereditate difficultas, aderant fines Beniamin, necdum tamen omnino *salvi*. Exclamantes seniores inducit *Bertheau* : « Possessio salvatorum sit Beniamino ! » Salvati sane intelliguntur illi sexcenti : at nemo de eorum possessione Beniamino auferenda egerat. *Keil* : « Possessio salvatorum sit Beniamino, i. e. fines Beniamin sint possessio sui iuris pertineantque ad Beniaminitas superstites ». Quae explanatio re coincidit cum nostra, sed in verbis patitur difficultatem : quis enim sibi persuadeat, possessionem salvatorum idem sonare, quod possessionem sui iuris ? Melius igitur alii nomen abstractum expressere. *Vatabl.* « haereditas evasionis », quam tamen expressionem falso construit *Calm.* : « Haereditas (semper manebit) Beniaminitis evasionis, i. e. qui evaserunt ». פליטה לבנימן sane non sunt « Beniaminitae evasionis ». Bene vero explicat idem auctor : « Uno assensu statuimus, tribui huic suam servandam sedem et regionem ; absit, ut crimine nostro tribu una Israel minuatur ».

v. 18 « *Filias enim nostras eis dare non possumus, constricti (iuramento et) maledictione, qua diximus : Maledictus, qui dederit de filiabus suis uxorem Beniamin* ». v. 19 « *(Ceperuntque consilium) atque dixerunt : Ecce solemnitas Domini est in Silo anniversaria, quae sita est ad septentrionem urbis Bethel, et ad orientalem plagam viae* », seu ascensus (cf. quae diximus ad 20, 31), « *quae de Bethel tendit ad Sichimam, et ad meridiem oppidi Lebona* », quod secus non nominatur, sed utique est Lubban horae itinere distans Silunte seu Selun, ad septentrionem qua vergit ad occidentem. Selun revera nonnihil ad orientem est ascensus, quo e Bethel seu Beitin ascenditur Sichimam, quae hodie est Nabulus.

Verum exsurgit quaestio sat gravis, cur h. l. inseratur descriptio tam accurata situs urbis Silo. Vix potuit ea inseri ab auctore eventuum coaevo. Nam, demus etiam Beniaminitas tum religionis officia misere neglexisse neque tabernaculum fœderis statutis temporibus adiisse, at non tot anni (cf. 2, 10) intercesserant, ut Siluntis via penitus e memoria hominum excideret. Dein descriptio sane fit rei minus notae per notiorem : num ergo Beniaminitae isti, qui Siluntis viam ignorarent, supponendi sunt accurate novisse situm urbis Lebona ? Neque Samuel censeri potest eam descriptionem adiecisse, cuius tempore, ubi sita esset Silo, nemo Hebraeus ignorabat. Et Samuel eam animadversionem aptius versui 12 adnexuisset. Quibus difficultatibus permoti censuere *Cai.*, *Vatabl.*, *Calm.*, *Ser.*, describi locum, non ubi Silo esset, sed ubi solemnitas celebraretur chorique puellarum incederent. De qua solutione nemo sane cogitasset, nisi ad solvendam propositam difficultatem. Cogita ingens spatium urbibus Bethel, Sichem, Lebona interiectum. At, inquies, non toto eo spatio festum celebrandum erat, sed alicubi haud procul Silunte, ut recte tandem illud dici posset celebrari *in Silo*. Cur dein s. auctor non dixit « prope Siluntem », cur non descripsit individuos colles, quibus solemnitatis locus circumscriberetur ? Certe otiose adiecta verba *ad septentrionem urbis Bethel*, cum Bethel plus trium horarum spatio Silunte absit. « Laudatis verbis », inquit *Keil*, « edocentur Beniaminitae, quam aptus sit locus ad seniorum consilium exsequendum, ut sc. raptis virginibus securi possent via, quae de Bethel tendit ad Sichimam, intra suos se fines recipere ». Num ipsi id non melius norant bonis illis senioribus ? Cur adiecta Lebona? Cur addita verba *ad septentrionem urbis Bethel* ? sane, ne Beniaminitae cum praeda in eam viam delapsi inadvertenter ad septentrionem deflecterent Sichimamque devenirent. His omnibus moveor, ut loci descriptionem a recentiori quodam homine, sed ante antiquissimas concinnatas versiones, adiectam esse defendam. Celebris erat Silo Ieroboami tempore 3 Reg. 11, 29; 14, 2. 4 tamquam patria Ahiae prophetae, exstabat Ier. 7, 12; 41, 5 et fortasse (?) Esdrae tempore 2 Esdr. 11, 5 ; sed aliud est urbem exstare, aliud eius situm a plerisque sciri. Exstat hodiedum Tolbiacum, ubi victoriam nactus est Chlodovaeus, sed num omnes eius situm accurate norunt ? Crediderim igitur nostra verba adiecta esse non multum ante vel post exsilium, quo tempore situs Bethel, Sichem et Lebonae optime sciretur, situs vero Siluntis ex hominum memoria fere iam evanuisset. Quod vero adiecta sint v. 19 et non v. 12, infert *Bertheau*, narrationem v. 1-14 primitus a v. 15-24 separatam exstitisse : praepostera conclusio. Sufficit supponere, verborum auctorem hebeti manu illa loco minus aequo inseruisse. — Disputant auctores, quodnam fuerit illud festum annuum, an unum ex maioribus illis tribus ab omnibus Israelitis celebratis, an privatum quoddam. Ignorantiam fateamur. Sane virgines Siluntinae segregato a reliquis loco choros ducebant.

v. 20 « *Praeceperuntque filiis Beniamin atque dixerunt : Ite et latitate in vineis* » ; v. 21 « *cumque videritis filias Silo ad ducendos choros (ex more) procedere, exite repente de vineis et rapite ex eis singuli*

uxores singulas, et pergite in terram Beniamin ». v. 22 « *Cumque venerint patres earum ac fratres et adversum vos queri coeperint (atque iurgari), dicemus eis : Miseremini eorum* », sc. Beniaminitarum filias rapientium : « *non enim rapuerunt eas iure bellantium (atque victorum)* », non petulantia acti roborique fisi abegerunt, ut vim vi vobis fas sit repellere, « *sed (rogantibus, ut acciperent,) non dedistis, et a vestra parte peccatum est* ». Peccatum intellige sensu latiori : ipsi habent, quod querantur, licet vos propter iuramentum aliter agere non potuistis. Hic fere sensus *Vulg.*, sed dissonant textus reliqui.

לריב אלינו, si conferas Iob 33, 13, vertendum erit *ad conquerendum adversum nos*, non LXX *ad contendendum in iudicio apud nos*. Ergo supponuntur Siluntini illico esse perspecturi, nonnisi conniventibus senioribus eiusmodi facinus ausuros fuisse Beniaminitas. — *Vulg. Chald. Syr.* vertunt *misereminí eorum*, acsi legissent חננו אותם, quam lectionem non oportet cum *Keil* proscribere tamquam « irritum tentamen eliminandae difficultatis textus » : potuit quippe textus primitus describi scriptione non plena, ut aequam cum altera auctoritatem sibi vindicet punctatio Vulg. Chald. Syri. Sed *Hebr.* noster et LXX habent חנונו אותם, quod ex Gen. 33, 5 vertes *Largimini nobis eos*, nobis iudicibus condonate reos, quos una nobiscum accusatis coram tribunali nostro. Neque putaverim, seniores haec dicere nomine Beniaminitarum (*Keil*), sed suo. Placet autem cum *Vulg.* retinere masculinum *eos*, quod iudicem seniorem utique deceat petere, ut sibi vir reus, minus vero ut puella condonetur. Cum tamen v. 12 et 19, 24 idem pronomen אותם formae masculinae etiam ad mulieres referatur, poterimus etiam cum LXX vertere *Largimini nobis eas*; ubi seniores raptus societatem implicite agnoscentes habes. — Pergitur *quia non sumpsimus vir mulierem suam in proelio*, quod proelium cum *Cai.* aptissime intelliges illud contra Iabes susceptum. Illud inierunt Hebraei, quo uxores sexcentis Beniaminitis procurarent, at effectu frustrati sunt ex parte. Decretum fuerat, sexcentis illis omnino provideri oportere uxores, ne una tribus periret ; cum Iabesae nonnisi quadringentae repertae sint mulieres, nonne aliud effugium seniores tentare oportebat, nonne iuremerito indulgentiam sibi expetunt ? Illud vero איש אשתו, potius quam *unusquisque uxorem sibi*, verterem *singulis uxorem suam*, ut sit absolute positum omisso praefixo ל. — Sequentia secundum accentum *Masor.* ita commode vertuntur : *quia vos non dedistis ipsis, ideo nunc poenam fertis.* Non dedistis quidem, quia iuramento praepediebamini : nunc tamen negatarum filiarum poenas fertis, quas enim negastis, invitis iam ablatae sunt. Est autem et hoc aptissimum obtinendae condonationis argumentum. Aliter *Cai. : quia vos non dedistis eis ; tunc enim peccassetis.* Nolite aegre ferre ablatas filias ; id saltem sine vestro peccato factum est, non enim sponte concessistis ; quodsi adverso iuramento sponte concessissetis, tum utique peccassetis. *Keil : quia vos non dedistis eis ; nunc utique peccati rei essetis.* Ubi durius illud *nunc* explicat Keil : in hoc casu utique (si sponte dedissetis)

rei essetis. Si ita construere luberet, supplerem potius : nunc vero peccati rei essetis contra caritatem, si filias repeteretis.

Disputant, iustene haec suggesserint seniores : quaestio vix ullius momenti est pro s. textus interpretatione. Primum non peccarunt contra iuramentum v. 5. Cum enim odiosa sint restringenda, sufficiebat illud ita interpretari, ne quis suam daret filiam, bene vero alienam. Hinc primum dederunt filias Iabesitarum sontium, postea Siluntinorum insontium. Neque peccarunt contra Siluntinos, sed eorum consensum expetiere (*Largimini nobis eos*), postquam utique eo illos deduxerant, ut consensum prudenter detrectari haud possent : quis enim filiam prudenter repetat matrimonio iam consummato ?

v. 23 « *Feceruntque filii Beniamin, ut sibi fuerat imperatum, et iuxta numerum suum rapuerunt sibi de his, quae ducebant choros, uxores singulas* ». *Ios.* videtur supponere ablatas esse variarum tribuum virgines, quae Siluntem ad festum, quod unum e tribus maioribus fuerit, convenerint : at nulla ratio est a sensu obvio, quo virgines illae *filiae Silo* dicuntur, recedendi. Verenda fuisset senioribus omnium tribuum indignatio, dum unicae urbis cives facilius compesci posse sperarentur. « *Abieruntque in possessionem suam aedificantes urbes et habitantes in eis* ». Sine dubio patrum querelae iis fere argumentis, quae v. 22 proponebantur, ad silentium redactae sunt. v. 24 « *Filii quoque Israel reversi sunt per tribus et familias in tabernacula sua* ». Duo verba *Hebr.* habet, quorum prius ויתהלכו sensum habet *pro se,* hinc *quiete, commode eundi.* Sensus is valde conveniens est post ardua iterata itinera. Simul omnino placet duo priora ל a *Vulg.* verti *per* seu *secundum,* ita enim tautologia tollitur primi et secundi membri, cum primum cernamus Israelitas turmatim secedentes, dein in suam quemque haereditatem (ubi *Vulg.* לאהלו videtur legisse pro לנחלתו) dilabentes. Hebr. ita : *Et digressi sunt inde filii Israel in tempore illo, singuli secundum tribus et cognationes suas, et exierunt inde singuli in possessionem suam.* Redieritne ante vel post solemnitatem v. 19, decernere non ausim.

« *In diebus illis non erat rex in Israel, sed unusquisque, quod sibi rectum videbatur, hoc faciebat* ». Cf. 17, 6 ; 18, 1. 31.

RUTH

PROLEGOMENA

49. Libri Ruth in canone locus — primitus is fuit, ut hinc Iudicum librum, illinc primum Samuelis contingeret.

Eum ordinem servant versiones. Posteriores quidem Iudaei ob liturgicas rationes librum Ruth a libris historicis antiquioribus revulsum hagiographis accensuerunt, at gravissimis testibus docemur, antiquitus Hebraeos etiam historiam Ruth immediate post Iudices, et quidem tamquam eius libri partem, legisse. Ita *Melito Sard.* (*M.* 5. 1216) eo fine in orientem profectus, ut de s. scripturis edoceretur, canonem Hebr. ad nos transmisit, qui Ruth immediate post Iud. habet. *Or.* (*M.* 15. 580) affirmat, unum apud Hebraeos Iud. et Ruth fuisse volumen. Cui consentit *Hier.* (Prolog. gal.). Quorum testium, quibus alii addi possunt, tanto firmior est auctoritas, quod canonem Hebr. optime noverint et neminem ex antiquis sibi contradicentem habeant. Cf. *Cornely*, Introd. II. 1. 232 sq. — Ratio autem, cur Ruthae narratio a Iud. libro postmodum revulsa fuerit, probabilis ea assignari potest, illam ob explicatam Davidis prosapiam affinitatem quamdam cum libris Samuelis habere ideoque a Iud. libro fuisse quidem sensim separatam, sed obnitente traditione Samuelis libris nequaquam agglutinatam (cf. *Ros.*).

50. Historiae Ruth veritas. — Liber utique *praetendit* veram narrare historiam : cf. 1, 1, ubi gestorum tempora adumbrantur ; 4, 17 sqq., ubi eadem cum personis certo historicis connectuntur. Siquidem Booz, Ruth et Obed vere exstitisse neque tantum poetice effingi, docet Matth. 1, 5. Quibus accedit veterum Hebraeorum testimonium, librum Ruth mediis libris historicis inserentium ; itemque *Iosephi*, eventus eo relatos historicae narrationi contexentis. Quae cum ita sint, ut vera esse narratio negetur, evidentia *fictionis* afferantur oportet argumenta ; quod adversarii minime praestiterunt.

Poeticam fictionem primus *Bertholdt* p. 2337 et, post ipsum, *A. Geiger* (Urschrift u. Uebersetzungen der Bibel, Breslau 1857, p. 49) intulere ex nominibus propriis. Noemi 1, 20 idem est quod pulchra, Elimelech idem quod Deus rex : et haec quidem indubia. At, quae nominum Ruth, Orpha, Booz, Mahalon et Chelion proferuntur interpretationes, arbitrariae sunt omnino. Ita *Bertholdt* Rutham interpretatur placidam, Booz asylum, Mahalon viribus attritum, Chelionem praematura morte consummatum : lusus hi sunt docto viro indigni. Quid, quod ex Elimelechi nomine colligit, eum virum licet extorrem a Dei tamen cultu non defecisse? Quae vero p. 2343 ex

narrationis stilo idem auctor addit, nullius sunt momenti : sit is simplex, nativus, immo poeticus : at poetico sermone vera quoque, non ficta tantum exprimi potest narratio. — Nimium rationalistarum placitis accedit *Scholz* II. 316 asserens, nominum significationem rebus narratis adamussim respondentem confirmationem efficere veritatis narratorum. Quid si Placidus nubat Irenae, num nomina efficient argumentum pacifici inter illos habiti coniugii? Nihil ex eiusmodi nominum et ingeniorum affinitate demonstrationis exprimi potest. Cf. *Cornely* l. c. p. 236 sq.

Ew. I. 224 (cf. III. 820) stilum eum esse censet, quo non solum veterum Hebraeorum mores suaviter et iucunde describantur, sed etiam *docte* ex antiquioribus documentis eruantur. Cuius quidem, praeter mores exuendi 4, 7 calceamenti, exemplum *Ew.* profert nullum; *Bertheau* vero p. 236 addit descriptam coniugii leviratus et venditionis rationem, et benedictionis 4, 11 sq. formulam. Hinc efficitur « die gelehrte Haltung der Schrift », « eine ganz eigentlich künstlerisch-gelehrte und in dieser Weise sehr vollkommene und gefaellige Behandlung des Stoffes ». Quibus tam tenuibus argumentis auctori *doctrinae* laudem vindicari merito explodunt *de Wette* p. 259 et *Reuss* p. 295 sq. Ceterum nos ea quaestio parum movet, dummodo advertas posse hominem docte simul et *vere* mores et acta temporum antiquorum describere. Ad rem *Cassel* p. 202 : « Nihil praestitit auctor nisi, ut narratoris partes agens necessaria explicaret atque enarraret. Mores demonstrat populi, spicilegium aeque atque morem in porta Bethlehem observatum pingit ».

51. NARRATIONIS FINIS. — Historiae Ruth narrandae ea certe fuit *occasio*, quod ea mulier maioribus accenseretur Davidis, qui a Deo designabatur rex populi Israel et parens messiae venturi.

Vix dubitare licet, inter Israelitas, quo tempore ante constitutum regnum terram sanctam incoluere, plura exstitisse vitae sancte, pie et iuste transactae exempla. Si quaeras, cur horum omnium unicum providente Deo Ruthae et Booz exemplum scriptis consignatum ad nos descenderit, obvia est responsio, exeunte regno Saul omnium in Davidem oculos in eiusque familiae acta esse conversos. Patet id cum ex rei natura, tum ex verbis 4, 17 adiectis « Hic est pater Isai, patris David », quae ostendunt scriptorem proximos Davidis progenitores oppido novisse. Quodsi praeterea 4, 18-22 ab eodem primitus supponantur adscripta auctore, non a recentiore quodam adiecta, elucet eundem illum Davidis genealogiam usque ad Iudam patriarcham habuisse perspectam.

Narrationis autem *finis* neque unicus neque primarius is est, ut genealogia Davidis et hinc messiae explicetur.

Qui hanc quaestionem attigere, veteres eum finem exprimunt. Ita *Abul.* historiam Ruth ait « subordinari ad genealogiam David enarrandam », *Cai.* « librum scriptum esse ad texendam genealogiam Davidis regis »; similiter *Calm.*, *Welte* p. 133 et ex protestantibus *de Wette* p. 258, *Eichhorn* p. 486 sq., aliique; dum *Theodoret.*, *Lap.* aliique Christi genealogiam ut finem efferunt, *Ser.*, *Bonfr.*, *Vigouroux* (Manuel II. 63) verius Davidis et Christi genealogiam coniungunt. Quae sententia, si *librum* Ruth, qualis nunc exstat, respiciat neque unicum illum esse finem defendat, indubie vera est; si autem ad *historiam* Ruth vel seorsim spectatam referatur, vel pro fine unico statuatur, difficilius defenditur. Etenim libri Ruth duae distinguuntur partes,

quarum prior alteri necessario vinculo non copulatur, historia Ruth 1, 1-4, 17 et addita 4, 18-22 genealogia ; neque ita evidens est, genealogiam eiusdem esse auctoris, qui scripserit historiam. Etenim cum extremo tam Pentateucho quam libro Iosue recentiori manu addita quaedam legantur, cum et Iudicum liber et alter Samuelis appendicibus quibusdam concludantur, cumque demum nostri etiam libri Ruth extremi quinque versus minus arcte praecedentibus iungantur, suspicari non imprudenter quis poterit, eos quoque versus seriori calamo esse adiectos. Id ita factum esse, minime affirmamus; nulla positiva ratione ad eos versus auctori narrationis abiudicandos compellimur; probabilius eidem tribui permittimus : verum si id aliquis pro inconcusso supponens, ex iisdem versibus totius praecedentis narrationis conscriptae finem primarium et unicum explicare contendat, incerto sane utitur fundamento et gratuito supposito aedificium superstruit.

Sed demus etiam, eiusdem esse auctoris quinque extremos versus, qui praecedentia conscripserit : at certe appendicis instar narrationi iidem adnectuntur. Num ergo narrationem eo solo aut primario fine concinnatam affirmabimus, ut appendici adnectendae esset locus? Id, nisi indubia suppetant argumenta, nequaquam defendemus.

Miram penitus sententiam concoxit *Reuss* p. 296. « Ephrathaei » 1, 2 cum *Ges.* idem interpretatus quod « Ephraimitae », Elimelechum facit tribus Ephraim hominem : hinc David, filius naturalis viri Iudaei Booz, legalis viri Ephraimitae Elimelech, iure sibi vindicabat obsequium cum tribus Iuda tum etiam tribus Ephraim, ergo totius populi Israel. Cum Ephrata Gen. 35, 19; 48, 7; Mich. 5, 2 certissime alterum sit urbis Bethlehem nomen, nulla est ratio, ubi de incolis Bethlehem agitur, Ephrathaeos interpretari Ephraimitas. Elimelech erat de cognatione Booz Iudaei. Etiam Isai 1 Reg. 17, 12 Ephrathaeus audit, qui nequaquam fuit filius legalis patris Ephraimitae. Insuper neque ius Davidis imperandi Iudaeis a Booz Iudaeo derivatur, neque ius imperandi Ephraimitis a fictitio illo Ephraimita Elimelech, sed totum quantum est beneficium a Deo gratuito collatum.

Finis narrationis primarius est *laus pietatis*.

Finis narrationis primarius is est, quem primarie inculcat lecta vel audita narratio : atqui pietatem nostra primarie inculcat narratio. « Merito liber », inquit *Cassel* p. 198, « non Noemi aut Booz aut genealogia David inscribitur, sed Ruth. Haec mulier in narratis media prostat, ipsius pietas eventuum causa est, Davidica progenies pietatis praemium. Celebrat libellus pietatis virtutem, qua nationum inimica discrimina omniaque praeiudicia superat. Non viri et mulieris extollitur amor, sed viduae pietas in defuncti mariti genitricem, pietas admodum pura, sui immemor, omnium rarissima. Haec pietas virtutem tribuit relinquendorum parentum et ad Israelitarum sacra transeundi ». Eadem pietate neque ullo libidinis astu agitur mulier in expetendo Boozi coniugio. Neque in sola Ruth ea pietas elucet, sed item in Booz, qui paternus 2, 4 in famulos describitur, pietatem honorat 2, 11 sqq., pietate denique motus 4, 10 sqq. expetitas nuptias concedit. Pietatis praemium filius : « Vide, quanti meriti sit desertae praestitisse solatium : ex eius semine Christus oritur » (*Hier.*, *M.* 22. 471). Cf. etiam *Bertheau* p. 238 : « Sincera Ruthae erga defuncti mariti propinquos pietas totam continuo narrationem permeat; pietatis labores et praemia describuntur. Renuntiata laeta secundarum nuptiarum spe Ruth patriam relinquit, parentes, deos. Nihil sibi reservans cupit omnia, sive quae vitam sive quae animam spectent, cum socru afflicta atque lugente habere communia, eius officiis et obsequio delectatur. Verum contem-

plare tantae pietatis mercedem : quam renuntiaverat spem, abunde adipiscitur inter Israelitas, Domino disponente et lege viduis providente. Reparat amissos socrui filios; verba, quibus populus eius cum Booz coniugium celebrat, prophetice demonstrant Davidem eiusque posteros, quorum ipsa benedicta genitrix designatur ».

Clare is finis ipsa narrationis *dispositione* exprimitur.

Referri aiebat *Ser.* (p. 680. 2) « cap. 1 ipsius Ruth ad Israelitarum et regionem et religionem accessum, cap. 2-4 vitae ipsius in ea regione et religione progressum ». Reapse cap. 1 introductio quaedam est, qua Ruth in sequentis narrationis locum, agrum sc. Bethlehemiticum, adducitur.

Explicantur igitur primum 1, 1-6 personarum adiuncta, quomodo sc. Noemi eo devenerit, ut filiis orbata rerumque omnium pressa egestate consilium inierit e Moabitide in Iudaeam revertendi. Inde 1, 7-22 Ruthae insigne illud *pietatis* factum narratur, quod totius sequentis narrationis fundamentum est, quomodo sc., Orpha ad propria revertente, socrui ipsa individua adhaeserit, renuntiatis cognatis patriisque sacris. In eo quippe facto totus narrationis nodus consistit. Ea pietate ad summam simul egestatem Ruth redigitur et in Iudaeae fines traducitur : nuptiis cum Booz ineundis motivum et occasio suppeditatur.

Praemissa introductione tribus capitibus narratio absolvitur. Cap. 2 Boozi in mulierem egenam sed *pietate* insignem gratia describitur, qua et ipse animo erga illam afficitur coniugalique affectui praeluditur. Cap. 3 factum totius narrationis princeps declarat, opem sc. a Rutha *pie* expetitam et *pie* a Booz concessam. Cap. 4 consilium cap. 3 initum exsequitur *pietatisque* praemium Obedum gignit Davidis avum futurum.

Assignari possunt alii quidam praeter enumeratos fines, sed quos falso auctores aliqui tamquam unicos vel praecipuos efferre videntur.

Finem v. g. statuit *Bertholdt* p. 2357, ut doceatur lector hebraeus obligationem coniugii leviratus ineundi cum viduis etiam alienigenis, dummodo sacris Hebraeorum accedant, multoque magis (!) cum viduis hebraeis et opulentis. *Geiger* p. 52 sq. finem assignat, non omnia alienigenarum mulierum connubia fuisse Habraeis respuenda, non earum, quae sincere Israelitis iungerentur atque ita dignae evaderent, quae inclytissimorum Israelitarum efficerentur matres. Aliorum placita congessit *Reuss* p. 296 : « Volebat auctor, ut pacifice alienigenas tolerarent Hebraei, inculcare (*Niemeyer*); volebat demonstrare, nunquam tandem praemio carere virtutem (*Riegler*); volebat socribus et nuribus imitandum proponere exemplum (*Moldenhawer*); volebat coniugium describere omnibus numeris absolutum (*Wirth*); volebat docere, licitum esse christianis contractus venditionis inire (*Brentz*); tandem narrationis non quidem finis, sed utique fructus is est teste *Dereser*, ut audientes eam ruricolae in templo non obdormiscant ». Oportebat hos aliosque auctores distinguere inter finem narrationis principem et inter documenta quaedam, quae ex eadem secundario deriventur, aut effectus, qui ex ea consequantur. Ubi illud sane documentum non est negligendum, quod ex Ruth Moabitide, uti ex Thamar incestuosa, ex Rahab meretrice et ex Bethsabee adultera in geneologiam Davidis atque inde salvatoris receptis alii ante nos collegerunt : cf. Matth. 1, 3 sqq. et *I. Grimm* : Die Einheit der vier Evangelien, Regensburg 1868, p. 238 sqq.

52. Narrationis fontes. — Ipsius *narrationis* 1, 1-4, 17 fontes, quasi ex variis consuta esset centonibus, adstruxit nemo : sed gratuito aliqui prolixius quoddam opus effinxere, cuius ea narratio fragmentum aliquod sit.

Dubitans loquebatur *Eichhorn* p. 491 sq. : « Fluxeritne ex iisdem atque libri Samuelis et Regum fontibus liber Ruth, ut dictionis utrobique affinitas ex communibus adhibitis fontibus explicetur, quis est, qui ausit definire? » Prudens dubitatio, sed otiosa penitus quaestio. Audacius *Spanheim* (ap. Bertholdt p. 2332) coniecit, librum Ruth fragmentum esse Libri Iustorum 2 Reg. 1, 18. *Bertheau* p. 238 nostram narrationem adstruit primitus partem fuisse scripti prolixioris, quod adnexa genealogia alias quasdam historias Davidicas demonstret : at num eas historias eiusdem esse auctoris opòrtebat, et uno eodemque volumine primitus congestas? Porro existimat Bertheau, accuratam rerum ante actarum descriptionem demonstrare virum, qui multus fuerit in gestis antiquis pertractandis : at num ea necessario pertractanda erant uno eodemque cum actis Ruth volumine? Cf. *Ew.* I. 226. Tandem *Iahn* p. 216 aliquos deprehendit archaismos ex antiquiore, uti ipse putat, documento haustos; nomen alterius propinqui 3, 12 non scribi affirmat, quod illud in antiquiore documento obliteratum invenerit auctor. Sed quid istis nugis recensendis immoramur? Haec omnia non evincunt documentum ipsa nostra narratione antiquius; ad summum haec antiquior dicenda erit ea, qua nunc concluditur, genealogia.

Eiusdemne an diversi, atque ipsa narratio, auctoris sit *genealogia* 4, 18-22 dubitari potest.

Bertholdt p. 2355 sq. putavit librum primitus desiisse in verba « vocaverunt nomen eius Obed », unicum vero reliquam scripturam novisse Obed Davidis avum, quare « compilatorem » quemdam existimasse, unum eundemque fuisse Ruthae filium et Davidis avum, idque adscripta genealogia expressisse. *Reuss* p. 298 putat genealogiam ex 1 Par. 2 huc esse transpositam, esseque post verba 4, 17 plane superfluam. Finguntur haec. Genealogiam appendicis instar subnecti supra concessimus : at non inde sequitur esse diversi auctoris aut ex alio fonte haustam, cum quandoque ipsi auctores eiusmodi animadversiones suis scriptis adnectant. Si tamen ipsa Ruthae historia tibi videatur tam vivide scripta et sermones tam native et vere expressi, ut auctorem demonstrent Ruthae coaevum, poteris genealogiam auctori recentiori, aevi sc. Davidici, attribuere.

53. Conditi libri tempus — probabilius est *aevum Davidicum.* Ubi librum intelligas narrationem cum addita genealogia.

Sententias recentiorum ita resumit *Reuss* p. 294 : « Frossard auctorem vixisse asserit in Bethlehem exeunte aevo iudicum; Segond prophetam scribit Davide rege; Scholz Davide certe non recentiorem; paulo recentiorem Ros.; certe exsilio antiquiorem Haevernick; medio exsilio viventem Ew.; post illud Bertheau; post reditum Israelitarum Bertholdt; cum Zorobabelis acta intuentium oculos ad domum Davidicam revocarent, Schrader; tamen ante Esdram, de Wette; etc, etc. Rationes modo inde petuntur, quod auctor historiae adiuncta omnia tam accurate noverit, quod tanto stu-

dio prosequatur regem David eiusque obscuros ávos, quod Moabitiden duci uxorem nulla affixa vituperii nota permittat; modo inde, quod in stilo omnis generis archaismi, neologismi, chaldaismi, moabitismi, bethlehemismi deprehendantur; quod mores antiquati 4, 7 sint explicandi; quod nomen cognati 4, 1 sq. interciderit; quod auctor ex libris antiquioribus Samuelis, Regum, Iob quaedam hauserit. Quae argumenta invicem destruunt ». Ipse *Reuss* p. 298 librum scriptum adstruit inter destructam Samariam et Ierusalem, pro unico argumento illo suo usus commento de « Ephrathaeis » 1, 2 Ephraimitis.

Varia nobis hoc loco pensanda sunt argumenta.

1) Et primum quidem *Calm.* suggerebat : « Ex exordio satis insinuatur, scriptum esse librum, postquam e republica iudicum imperium abrogatum est ». Exordium autem intelligit illa verba : « In diebus unius iudicis quando iudices praeerant ». Quem secuti sunt *Eichhorn* p. 488 ex iis verbis inferens, scriptoris aevo democratiam iam transiisse in monarchiam (item *Iahn* p. 214), et *Bertholdt* p. 2352 sq. indidem suggerens vel ipsam monarchiam scriptoris aevo defecisse. Hoc argumentum infirmius est. Verba quippe illa sufficienter inde explicantur, quod scriptor, narrationis tempus aut nolens aut non valens accuratius definire, generaliori usus sit formula. Quodsi urgeas, tempus « quando iudices praeerant » tacite opponi alteri cuidam tempori, quo iudices non fuerint, respondebo non necessario opponi tempori *sequenti* regum, sed fortasse *praecedenti* Moysis et Iosue. Certe ex sola illa expressione efficax argumentum non potest derivari.

2) *Cai.* ex genealogia 4, 17 sqq. inferebat, scriptum esse librum post Davidem non solum natum, sed regem factum aut certe clariorem effectum; et hoc alterum quidem ideo, quod filiorum Isai unicus David recenseatur. Cui merito reliqui omnes assentiuntur. Sed nota, hoc argumentum vim habere pro integro libro, non autem pro sola narratione exclusa genealogia. Potuit siquidem fieri, ut narrationem inspiratam iam ante exstantem auctor aliquis sacer Davide haud antiquior adiecta genealogia libris sacris inseruerit. Ulterius autem progressus *Cassel* p. 199 ex eadem genealogia infert, librum ante Salomonem regem esse editum, quod secus addendum fuerat « David genuit Salomon »; itemque *Scholz* p. 313 indidem efficit, Davide adhuc regnante scriptum esse librum. Non ex sola genealogia eiusmodi conclusio fluit. Quippe sat probabiliter suggerunt *Eichhorn* p. 489 et *Welte* p. 134 ideo etiam librum Ruth libris historicis esse insertum, ut, quod libri Samuelis reticent, Davidis origo ex Iuda et Phares explicetur : verum si hoc, nulla ratio erat adscribendi Salomonis.

3) Extremo limite definito, ultra quem libri origo relegari nequeat, transimus ad ea argumenta eliminanda, quibus eidem origo perquam recens, circa tempus sc. exsilii Babylonici, assignatur. Ubi primum se offert argumentum *Eichhorn* p. 490 et *Iahn* p. 214 sq. (cf. *Scholz* p. 313), non iam potuisse auctorem ad 4, 1 nomen alterius istius cognati reperire, ergo diutissime post illum vixisse. At silentii ratio, quam suo loco demonstrabimus, vel ea esse potuit, noluisse auctorem viri, qui leviri officio fungi detrectasset, nomen memoriae transmittere; vel dicamus, quod defendi posse admittit *Eichhorn*, reticuisse auctorem nomen, ne viri posteri rubore afficerentur.

4) *Bertholdt* p. 2352, *Iahn* p. 214, *Eichhorn* p. 490 longissimum tempus requirunt, quo mos ille 4, 7 calcei detrahendi e memoria hominum penitus exciderit. Immo *Ew.* I. 226 et *de Wette* p. 259 eiusmodi mores nonnisi cum ipsa republica interire autumantur, ideoque libri originem post exsilium relegant. Contra quos audiatur *Cassel* p. 203 : « Lex mosaica calcem exui praecipit, solum ubi de leviro coniugium recusante agit; sed latius patebat calcei exuendi mos adhibebaturque etiam, ubi de cedendo aliquo iure agebatur. Quod lex mosaica in sola re coniugii leviratus calceum detrahi

praeciperet, ideo brevi is aliis in negotiis exui desiit ». Tandem advertas, id tantum sacrum textum affirmare, tempore Ruth eum morem apud Bethlehemitas, « antiquitus » apud Israelitas universim viguisse, tempore auctoris apud Israelitas universim non iam viguisse : quo non excluditur, viguisse adhuc tempore auctoris inter Bethlehemitas atque immo, si solus ille mos attendatur, potuisse auctorem gestorum esse coaevum.

5) At princeps recentioris originis argumentum e stilo petitur. Ita *Bertheau* p. 237 aliquae formae grammaticae, inquit, rarius in libris antiquioribus recurrunt, et quod eaedem iterato legantur in libro Ruth, recentioris originis vestigia sunt habenda. Mirum utique argumentum. — להן 1, 13 semel apud Iob, alias apud Danielem et Esdram legitur : aliud ex hoc facto inferri posse video nihil, nisi nostrum librum non necessario recentiorem libro Iob dici oportere. — Intensivum קים 4, 7 et femininum מרא 1, 20 in libris quidem etiam antiquioribus leguntur, sed cum iis, quae modo recensebamus, composita argumentum efficiunt recentioris originis; etc, etc. — *Bertholdt* l. c., *Eichhorn* p. 489 sq., *de Wette* p. 258 sq., *Iahn* p. 215, *Welte* p. 134 auctorem chaldaismorum reum scribunt : 1, 20 מרא pro מרה, 2 pers. fem. sing. praeteriti cum addito י 3, 3. 4; quibus Welte addit 1, 13 עגן et 2, 14 צבט, quae cum ἅπαξ λεγόμενα sint linguae hebraeae, in chaldaea frequentius usuveniunt. Quos chaldaismos ipse Iahn tam paucos esse fatetur, ut vitio amanuensium tribui queant. Neque tamen eo effugio opus est, cum easdem expressiones *Dereser* (ap. Bertholdt) censeat bethlehemismos, *Sanct.* (proleg. IV) moabitismos, *Scholz* p. 313 archaismos, et *Reuss* p. 295. 298 idiotismos Palaestinae septentrionalis. Aliunde *Eichhorn* p. 491 et *de Wette* p. 258 specialem cum libris Samuelis stili affinitatem deprehendunt.

6) Cum ergo inde habeamus librum nequaquam esse Davide antiquiorem, hinc minime dici oportere multo recentiorem, iam ad originis tempus accuratius definiendum descendimus. Ubi primum se offert argumentum a praesumptione petitum. Libri historici protocanonici V. T. omnes eo se ordine in canone excipiunt, quo e scriptorum calamis fluxere : Pentateuchus, Iosue, Iudices, Samuel, Reges, Paralipomenon. Ergo merito praesumimus, nostrum quoque librum, cuius proprium in canone locum medium esse inter Iudices et Samuelem supra demonstrabamus, ordine originis eum locum obtinere ortumque esse eo tempore, quod Samuelem inter et Nathan effluxit. Consentimus *Clerico* et *Scholz* asserentibus, Davide rege potissimum conquisita esse ea omnia, quae eius familiae augerent splendorem. Sane, quod libri Samuelis genealogiam Davidis ultra Isai non producunt, aut argumento est, tum iam in nostro libro eandem completiorem exstitisse, aut ideo praecise eodem brevi post editam fuisse, quo defectus ille suppleretur. Merito affirmat *Cassel* p. 199, librum, quo Boozi cum Moabitide nuptiae celebrentur, vix edi potuisse tempore Salomonis, qui 3 Reg. 11, 1 ob nuptias cum Moabitis initas severe carpitur. Etiam post Salomonem eiusmodi nuptiae severius usque prohibebantur. Plane diversa Davidis aetas, qui familiarius cum alienigenis ageret. Parentes 1 Reg. 22, 3 regi Moab custodiendos committit, 2 Reg. 10, 2 prioris cum rege Ammon amicitiae recordatur. Gethaeos, Hethaeos aliosque complures inter fidissimos numerat asseclas. Arcam foederis 2 Reg. 6, 10 in domo Obededom Gethaei reponit. Ergo facillime aevo Davidico et ante Salomonem regem edi potuit liber Ruth. Cf. *Cornely* l. c. p. 233 sqq.

54. LIBRI AUCTOR — incertus : sat probabiliter Samueli idem editus tribui potest.

Incertum auctorem docent *Cai.*, *Bonfr.* aliique. *Calm.*, infirmis tamen nisus argu-

mentis, defendit, si 1 Reg. certo Samueli vindicetur, eidem certo librum etiam Ruth tribui oportere. Samueli tribuebant *Rabbini, Isid., Abul., Sanct., Lap., Clair* aliique, ea vel maxime permoti ratione, quod is librum Iud. et priorem 1 Reg. partem ediderit. Facile crediderim, Samuelem hoc scriptum publici iuris fecisse similiter, atque variorum narrationes in unum Iud. librum collegit. Verum, uti in libro Iud. variorum stilum et idiotismos retinuit, ita in libro etiam Ruth stilus ab eo, quem certo Samuelis esse novimus, pluribus differt. Fortasse Samuel, rerum Bethlehemiticarum apprime gnarus, scriptum antiquius praefixa 1, 1 generaliori temporis nota, adscripta ad calcem genealogia insertaque 4, 7 antiqui moris explicatione publici iuris fecit.

Hinc licebit librum Ruth *appendicem* libri Iudicum appellare, quatenus Samuel post collectas eas historias, quae divinam durante iudicum aevo stragum et liberationum oeconomiam illustrarent, alias quasdam lectoribus haud exiguae aedificationi futuras subiecerit. Ubi noli tertiam appendicem appellare, cum Iud. 17-21, quod Proleg. 2 ad librum Iud. exposuimus, non duae sed unica sit appendix. Neque intimiorem appendicum cum praecedentibus Iudicum Actis nexum affirmes, quasi Iud. 17-21 ostendat, quo idololatria et luxuria Hebraeos deduxerit, Ruth quo idololatras adducat vera pietas. De Ruthae priore idololatria et consequente erga Deum pietate vix quidquam habet liber; pietas vero in socrum non ita directe opponitur idololatriae et luxuriae. Finis primarius narrationis Iud. 17-21 sacram spectat politiam, inculcans miseram reipublicae regno nondum instituto conditionem; finis historiae Ruth totus est asceticus laudesque celebrat pietatis; quod vero pietatis tam insigne exemplum Ruth maioribus Davidis accenseatur, nonnisi secundarii est momenti et occasio eius historiae tam addiscendae quam enarrandae.

56. Libri Ruth cum Pentateucho nexus.

Cum historia Ruth tota locum habuerit in Moabitide et in Bethlehem, procul ab arca, pontifice, sacrificiis, cum illud scriptor intenderit, non Hebraeorum acta publica vel religiosa, sed privatam quorumdam pietatem celebrare, haud miraberis, nihil quod cultum mosaicum et perpauca quae historiam populi electi spectant, attingi. Sunt haec 1, 1 historiae iudicum universim spectatae, 4, 17. 22 Davidis, 4, 11 sq. Rachel et Liae, Iudae et Thamar facta mentio. At tota historia Ruth insigne nobis prae oculos ponit exemplum *morum Hebraeorum*, qui in nullo a Pentateucho dissonent, eius spiritu animentur, et in aliquibus eius doctrinas et instituta confirment. Cf. *Hengst.* III. 100 sqq., 110 sqq.

Repetitis vicibus Iahve tamquam unicus Hebraeorum Deus effertur, Israelitae 1, 6. 18 sunt populus ei specialiter consecratus. Nihil Iahve cum diis gentium commune 1, 15 sq.; 2, 12. Eius in omnibus vel privatis eventibus providentia agnoscitur 1, 8. 13. 20. 21; 4, 13. Eius nomine pronuntiantur salutationes 2, 4, benedictiones 2, 12. 20; 4, 11 sq. et iuramenta 1, 17; 3, 13. Ad 1, 15 cf. loci explicationem.

Oppido innotuerant et observabantur Ruthae aevo quaedam Pentateuchi *leges*, imprimis ea Deut. 25, 5 de defuncti sine liberis fratris vidua ducenda, et altera Lev. 25, 25 de possessione redimenda. Simul discimus, quomodo in praxi duae illae leges observari consueverint, ut sc. cognatus possessionem redempturus, etsi frater non esset, simul ad viduam ducendam adigi potuerit. Praeterea cap. 2 commonemur legis Lev. 19, 9 sq.; 23, 22; Deut. 24, 19 de spicilegio pauperibus permittendo.

Alii *expressiones* recensent, quae hinc in libro Ruth, illinc in Pentateucho vel Samuelis libris leguntur: cf. dicenda ad 1, 6. 14; 2, 11 sq. etc. Quibus recensendis absti-

nemus, quod argumentum praebeant non ita efficax et mere negativum. Post *Ew.* I. 225 putabat *Bertheau* p. 237 auctorem Ruth familiariter usum esse libro Iob. Habes siquidem Iob 27, 2 ושדי המר נפשי, et Ruth 1, 20 כי המר שדי לי מאד, ubi inusitatius censet Bertheau שדי pro אל שדי. Sed de facto שדי in variis scripturae libris usitatius est quām אל שדי, ergo infirmum est argumentum.

Tandem advērtas, historiam Ruth aptissime complere rerum aevi iudicum conspectum ex libro Iud. derivatum. Hic bellica omnia, idololatria, stragibus, caedibus, luxuria plena : ibi in media pace generosa in Deum et homines pietas. Adde Elcanae pietatem 1 Reg. 1 et 2. Quae si composueris, aequius de iudicum temporibus feres iudicium ; florebat et tum inter scelera pietas, inter impietatem religio, excipiebat tenebras lux.

56. LIBRI RUTH VERSIONES ET INTERPRETES. — Intemperantius *Chald.* paraphrasi indulget. Versio *Vulg.* versioni librorum Samuelis affinior quam libri Iudicum, sc. clara atque ita fidelis, ut non tantum non sit servilis, sed immo elegans. De LXX et *Syr.* nihil est, quod h. l. addamus.

Usitatum S. Hieronymo explicationis genus 1, 20 « Noemi (i. e. pulchram)... Mara (i. e. amaram) » ; 2, 17 « ephi mensuram (i. e. tres modios) ». — Quod vero in libro Iud. tam frequens erat, ut una textus hebr. vox duabus vocibus latinis verbosius quam clarius exprimeretur, id iam perraro occurrit : 2, 1 « (potens et) magnarum opum » duas unicae vocis significationes copulat, quarum prior melius omitteretur; 3, 15 « qua (extendente et) tenente » utrumque verbum praecedentis sententiae repetit ; 4, 4 « quod audire te volui (et tibi dicere)... (eme et) posside » ; 4, 16 « (nutricis ac) gerulae ». — Aliae explicationes non quidem necessariae ; sed neque superfluae adiiciuntur : 1, 1 « in diebus (unius iudicis), quando iudices praeerant » ; 1, 18 « adversari noluit (nec ad suos ultra reditum persuadere) » ; 2, 2 « ubicunque (clementis in me patrisfamilias) reperero gratiam » ; 2, 3 « (nomine) Booz » ; 2, 15 « ut (spicas ex more) colligeret » ; 2, 17 « (virga) caedens » ; 2, 22 « exeas (ad metendum) » ; 3, 15 « (portans) » ; 4, 1 « declina (paulisper) » ; 4, 4 « ut sciam, (quid facere debeant).... te, (qui prior es,) et me, qui secundus sum... Ego (agrum) emam » ; 4, 7 « mos... (inter propinquos)... testimonium (cessionis) » ; 4, 11 « habeat (celebre) nomen », quae vox melius omittebatur. — Addita alia sensum omnino reddunt magis perspicuum : 1, 13 « donec crescant (et annos pubertatis impleant) » ; 1, 19 « (mulieres) », quod subiectum Hebr. solo verbi genere exprimit ; 2, 2 « vadam in (agrum et colligam spicas, (quae fugerint manus metentium) » ; 2, 9 « bibe (aquas) ; 2, 16 « ut (absque rubore) colligat » ; 3, 4 « proiicies te (et ibi iacebis) » ; 3, 14 « et dixit (Booz) » ; 3, 15 « tene (utraque manu) », ubi de dono copiosiore recipiendo agitur ; « sex (modios) hordei », cf. v. 17 ; 4, 4 « coram (cunctis) sedentibus ». — Sane haec ipsa, quae notavimus, demonstrant, quam accurate S. Hier. transtulerit.

Ios. Ruthae historiam narrat mediam inter acta Samsonis et Samuelis. Quos libri Iud. interpretes recensuimus, iidem etiam librum Ruth interpretati sunt. Praeter hos edidere commentarios *Casp. Sanctius* Lugd. 1628, *Didac. de Celada* Lugd. 1651, *Marcell. Evangelista* Florentiae 1584. Conferendus etiam *I. Khell* S. I. : De epocha historiae

Ruth, Viennae 1756, et *H. Zschokke :* Die biblischen Frauen des A. T., Freiburg i. B. 1882.

COMMENTARIUS

A. Reditus in Bethlehem Cap. 1

a) Redeundi consilium. — Ruth 1, 1-6

Arg. — Hoc caput, quod supra monuimus, introductionis loco est. Primum 1, 1-6 personarum adiuncta explicantur; dein 1, 7-22 eventus, cui tota innititur narratio, recensetur, quomodo sc. recedente Orpha Ruth socrui individua comes adhaeserit. — Commemoratur igitur h. l. Noemi, uxoris Elimelech, in Moabitiden iter, filiorum viduis superstitibus praematura mors, initum a Noemi redeundi in Iudaeam post famem consilium.

Cap. I v. 1 « *In diebus (unius iudicis), quando iudices praeerant, facta est fames in terra* ». Nota, quae diximus n. 5 de iudicum maiorum auctoritate a iudicum communium haud diversa, ut semper aliqui fuerint iudices ; item, quae diximus n. 3. 4, de iudicum maiorum serie non necessario continua, numerisque rotundis in eorum actis numeris accuratis admixtis. Auctor inspiratus tempus historiae Ruth generali tantummodo ratione indicare volebat aut etiam poterat : incerti igitur omnes computi qui determinato alicui e maioribus iudicibus hos eventus assignare student.

Chald. paraphrasten agens, famem hanc tribuit Abesan iudici, haud aliam sane ob causam, nisi quod is Iud. 12, 8 dicatur Bethlehemites : argumentum est nullius momenti, etiamsi ib. Bethlehem Iuda intelligere placeat. *Ios.* tribuit Heli, quod eius illico 1 Reg. pontificis acta narrentur : sed cum Iud. 17-21 non eo loco inserantur, quem ratio temporum exigit, idipsum neque iure quis de libro Ruth supponet. Tempus ab Heli iudice creato usque ad David regem, qui triginta annorum 2 Reg. 5, 4 regnum capessivit, non est sufficiens generationibus Booz, Obed et Isai, qui iam 1 Reg. 17, 12 grandaevus scribitur (cf. *Abul.*). *Bonfr.* extrema Aod tempora vel annum Barac circiter decimum suggerens eo devenit, ut admittat, quatuor generationes trecentos et octoginta annos occupasse. Mitto alios, vix enim ullus est iudicum, cui non interpretes aliqui hanc assignaverint famem, ne illud quidem attendentes, in generatione Ruth 4, 18 sqq. aliqua membra potuisse omitti. Cf. *Rondet* : In genealogiam Davidis dissertatio, apud Migne : Scripturae Sacrae Cursus completus VIII. 1143 sqq. Nos cum *Ser.* dicamus : « Incertum, cuiusnam iudicis tempore ista coeperit historia, ideoque et progressa finitaque sit ». Booz autem vixisse ipsis aevi iudicum initiis inde patet, quod Matth. 1, 5 natus scribatur de Rahab, aequali Iosue : cf. dicenda ad Ruth 4, 21.

Audacius *Cassel* verba *In diebus etc* interpretatur ad instar Iud. 17, 6; 18, 1. 31; 21, 24 « In diebus illis non erat rex etc »; ut ideo haec ita facta affirmentur, quia non fuerint tunc reges, sed iudices tantum. Non erat rex, inquit, hinc pars tribus Dan finibus a Deo assignatis excessit, hinc Elimelech rebus in angustis patriam deseruit. At, quid tandem ita dirum in illo homine tempore famis eo migrante, ubi annona esset copiosior? nonne idem fecere Abraham, Iacob et, quo tempore rex erat in Israel, 3 Reg. 17, 9 Elias propheta? Verba scripta sunt ad indicandum tempus historiae, uti verba Iud. 1, 1 « Post mortem Iosue »; et Ios. 1, 1 « Et factum est post mortem Moysi », quorum non is est sensus, superstite Moyse aut Iosue haud ea, quae libris Ios. aut Iud. narrantur, habitura fuisse locum.

Narratur autem ea fames, quia « dedit occasionem isti historiae, quia alias non fuisset historia Ruth, sc. quod Mahalon, filius Elimelech et Noemi, non accepisset in uxorem Ruth, de qua fuit progenies David » (*Abul.*). *Terram* recte *Chald.* interpretatus est *Israel*; licet enim proxime contextus suggerat terram Iuda, at merito *Bonfr.* urget, si reliqui terrae sanctae tractus (aut certe tribui Iuda proxime adiacentes) a fame liberi fuissent, Elimelech non ad gentiles Moabitas fuisse demigraturum. Non tamen latissime patebat ea fames, a qua vel Moabitae sat vicini eximerentur.

Quamdiu fames duraverit, definire non possumus. Mansit quidem Noemi v. 4 decem annis in Moabitide : at Elimelechum, ubi primum fames inceperit, domo migrasse et non potius uno alterove anno omnia in patria tentasse, quomodo demonstrabis (*Bonfr.*)? Neque integris illis decem annis necessario ea fames duravit. Quod enim v. 6 dicatur Noemi audivisse, « quod respexisset Dominus populum suum et dedisset ei escas », « audiisse potuit iam antea cessasse famem atque ideo non esse, cur in alia regione moraretur; detinebant autem illam ad suos reverti cupientem duorum filiorum cum gente Moabitide connubia » (*Sanct.*). *Magnam* fuisse famem, inde inferunt, quod vir opulentus Elimelech patria secedere coactus sit. At unde ea, quam *Chald.* Elimelecho affixit, opulentia? « Persuadet », inquit *Ser.*, « magna cum opulentissimo Booz propinquitas » : at num divites semper divitum propinqui? Meliorem idem auctor assignat rationem, quod vel ipse ager Bethlehemiticus, cui a fertilitate nomen, laboraverit annonae penuria. *Causam* inflictae famis *Bonfr.* coniicit fuisse populi idololatriam : « siquidem eo iudicum tempore contigit, quo solebant frequentes et graves esse populi in idololatriam prolapsiones, idipsumque indicat famis huius diuturnitas et v. 6, qui non obscure indicat a Deo immissam ac tandem sublatam famem. Accedit, quod Deus Israelitis in officio et Dei cultu remanentibus omnium rerum ad vitam necessariarum copiam appromiserat Lev. 26, 3 sqq.; Deut. 8, 7 sqq.; 28, 3 sqq.; contra vero iisdem ab officio pietateque recedentibus sterilitatem famemque comminatus fuerit Lev. 26, 19 sqq.; Deut. 28, 16 sqq., ut proinde nisi graviter peccassent et officio defuissent

Israelitae, non videantur tam acerba fame fuisse puniendi ». Dubitari tamen adhuc potest, eae promissiones et minae respexerintne omnes casus individuos, an tantum regulam aliquam generalem statuerint : num igitur, quo tempore Israelitae Deo servirent, nulla apud eos ulcera (Deut. 28, 35), adulteria nulla (ib. v. 30)?

Missis igitur iis questionibus, quae cum textu sacro nonnisi remotius connectuntur nec nisi coniecturis definiri possunt, ad ipsum s. textum explicandum convertamus animum. « *Abiitque homo de Bethlehem Iuda, ut peregrinaretur in regione Moabitide cum uxore sua ac duobus liberis* ». Construi potest vel : homo Bethlehemita, vel : abiit de Bethlehem. Re utraque coincidit constructio. Cum *Drus.* alteram praeferimus, qua et terminus a quo et terminus ad quem exprimatur. v. 2 « *Ipse vocabatur Elimelech* », de cuius origine id solum novimus, fuisse 2, 3 de cognatione eadem atque Booz, et hinc tribus Iuda. « *Et uxor eius Noemi, et duo filii, alter Mahalon et alter Chelion, Ephrathaei de Bethlehem Iuda* ». Erat specialis ratio, cur nostro textu post scriptum *Ephrathaei*, quod est anceps et Ephraimitam quoque designare potest, claritatis gratia adderetur *de Bethlehem* et quidem *Iuda*, nam Ios. 19, 15 erat alia Bethlehem tribus Zabulon. Si tandem inquiras, unde civitati (*Ges.*, *Reuss*) nomen Ephratha, fatebor ignorantiam ; at utique potius quam ab אפרים, derivabo illud ab אפרתה 1 Par. 2, 19. 24, nomine uxoris Calebi, filii Hesron. Cf. quae diximus n. 51. « *Ingressique regionem Moabitidem, morabantur ibi* ». Cum *Bonfr.* tenendum, nullo V. T. textu Hebraeos fuisse prohibitos, ut regionem alienam sive ad tempus sive permanenter incolerent. Tempore Christi permulti id faciebant. Elimelecho optima erat ratio, frumenti penuria. v. 3 « *Et mortuus est Elimelech maritus Noemi, remansitque ipsa cum filiis* ». Haec eadem vox *remansit* v. 5 repetitur : orbata est mulier primum marito, deinde filiis, solis tandem nuribus gentilibus relictis ; haud miraberis, post haec reditum in patriam meditatam esse. Verum, antequam hoc accideret, laetior affulsit spes, ut orbata marito e filiorum coniugiis posteritatem nancisceretur et solamen : v. 4 « *Qui acceperunt uxores Moabitidas, quarum una vocabatur Orpha, altera vero Ruth* ». 4, 10 docemur, Ruth nupsisse Mahaloni, ergo Orpham Chelioni. Verbum etiam verti potest plus quam perfecto *acceperant* (*Ios.*), ut filii nuptias inierint ante obitum patris factumque h. l. parenthetice suppleatur, ne v. 7 viduas legas, antequam nuptas audiveris. Si autem verbum tempore perfecto scribas, sensus obvius est, filios, etiam ut solarentur matrem viduam, et fortasse eadem auctore, nuptias cum Moabitis iniisse.

Pluribus h. l. discuti consuevit quaestio, peccaverintne viri ducentes uxores Moabitidas. Quos severe reprehendit *Chald.* ratus, in poenam peccati praecisam virorum vitam nulla prole concessa. Merito etiam monet *Abul.*, nos non cogi illa connubia excusare, aut omnia Mahalonis et Chelionis, vel etiam Noemi facta defendere. — Hic primum quaeritur, fuerintne illae mulieres *ad fidem iudaicam conversae*; quod si demonstres, omnem diluisti difficultatem. Negat *Sanct.*, quod de Orpha in paternam domum reversa v. 15 dicatur : « En reversa est cognata tua ad populum suum et ad deos suos, vade cum ea ». Ergo non renuntiaverant diis suis. Urgetque *Ser.* : « Nec, opinor, tolerassent Moabitae a patrio suo deorum suorum cultu in Moabitide ipsa suas desciscere Moabitidas, idque propter coniugium cum peregrinis egentibus ac famelicis ». Quibus fortasse rationibus non plane efficitur illud, quod intenditur. Quid enim in mulieribus istis requirebatur, ut fidem iudaicam suscepisse crederentur? non circumcisio, non aditus templi aut sacerdotis : ciborum observatio, cultus cuiusdam domestici societas. Facile his se conformabant mulieres, his specie et ore tenus fiebant Iudaeae, quin publice Moabitarum superstitionem repudiarent; hinc eludebatur popularium invidia, qui suos cuiusque gentis hominibus deos permitterent neque iniquum ducerent, uxores maritorum sacris participare. Adde, potuisse observatione eorum, quae noachica dicuntur, mandatorum in ordinem proselitarum portae redigi. — Verum supponamus iam nulla ratione eas mulieres Iudaeorum sacris accessisse : fuerene licita coniugia? *Instinctum divinum* supposuere *Bonfr.*, *Lap.*, facile difficultatum omnium effugium. Quaestio ex legibus definienda. Prohibita erant Ex. 23, 28. 32; 34, 11. 16; Deut. 7, 3 connubia cum septem gentibus intra terrae sanctae fines incolentibus, e quarum numero non erant Moabitae. Verba Deut. 23, 3 « Ammonites et Moabites... non intrabunt ecclesiam Domini » non habent connubiorum prohibitionem. Cf. *Zschokke* p. 203. Legimus quidem 3 Reg. 11, 1 sq. : « Rex autem Salomon adamavit mulieres alienigenas multas, filiam quoque Pharaonis et Moabitidas et Ammonitidas, Idumaeas et Sidonias et Hethaeas; de gentibus, super quibus dixit Dominus filiis Israel : Non ingrediemini ad eas etc ». Tamen verba v. 2 (« de gentibus etc ») non necessario ad omnes gentes v. 1 enumeratas referuntur; quod si referri defendas, dicam, quo tempore Salomonis regnum Moabitas, Ammonitas, Idumaeos subiectos habebat, merito non quidem ex litera, sed ex mente legis ea matrimonia esse reprobata, quod lex antiquitus lata illud intenderet, ne Israelitae gentibus intra fines incolentibus commiscerentur. Quo sensu extenta lex enuntiatur 1 Esdr. 9, 1 sq. : « Non est separatus populus Israel, sacerdotes et levitae, a populis terrarum et abominationibus eorum, Chananaei videlicet et Hethaei et Pheresaei et Iebusaei et Ammonitarum et Moabitarum et Aegyptiorum et Amorrhaeorum : tulerunt enim de filiabus eorum sibi etc » (cf. 2 Esdr. 13, 23). Et 1 Esdr. 10, 3 uxores illae alienigenae dimitti iubentur his verbis : « secundum legem fiat ». Attamen secundum legem fit non solum illud, quod secundum literam, sed longe potiori iure illud, quod secundum spiritum legis fit; et Esdras facile credi potest, secundum spiritum legis eiusque praxin a prophetis inculcatam, literam, quoque legis ob gravissimas rationes

severius esse interpretatus. Quamquam autem concedimus, nuptias cum Moabitide iudicum aevo non fuisse lege explicite prohibitas, spiritui tamen legis vel tunc adversabantur (cf. quae diximus ad Iud. 14, 1 sqq.), ita tamen ut ex gravi ratione impune et etiam pie iniri possent. Qualem rationem in Mahalone et Chelione cum *Ser.*, *Lap.* adstruimus *necessitatem* : « Iuvenes erant Mahalon et Chelion, aetatis fervor prolisque amor coniugium suadebant, et in peregrino solo Israelitides nullae, sed solae Moabitides » (*Ser.*). Adde maiorum exempla : Abrahae Gen. 16, Moysis Ex. 2, 21 et Num. 12, 1. Ergo non est necesse, ut Mahalonem et Chelionem peccati reos pronuntiemus.

In harum personarum omnium nominibus multum ludunt auctores quidam, etiam recentiores. Noemi revera fuisse *Speciosam* inde colligit *Cassel*, quod tantopere dilecta fuerit socrus a nuribus : non species illud est, quod in muliere maxime amare consuevere mulieres. Ruth *Rosam* interpretatur : « Ut Ruth », inquit, « Moabiticam rosam interpreteris, non etymologia tantum suggerit, sed suavi se fragrantia ea coniectura commendat ». Cum vero etymologia nihil reapse eiusmodi suadeat, unicum coniecturae argumentum relinquitur fragrantia. Cave autem ne, dum ex nominibus mysteria expiscaris, rationalistis (*Bertholdt* V. 2337 sqq. ; *A. Geiger* : Urschrift und Uebersetzungen, Breslau 1857, p. 50) occasionem praebeas, ex nominibus « evidenter symbolicis » veritatis historiae impugnandae. — *Rabbini* omnium harum personarum Davidi affinium nomina fabularum ampla congerie ornaverunt, qua simplex et iucunda narratio veluti quercus plurima sub hedera suffocatur.

« *Manseruntque ibi decem annos* », v. 5 « *et ambo mortui sunt, Mahalon videlicet et Chelion; remansitque mulier orbata duobus liberis ac marito* ». Nullus iam in Moabitide auxiliator, quam tot carorum caedes exosam fecerant, reviviscebat simul patriae amor nec iam fames reditum prohibebat. In sequentibus bene, quae *Hebr.* coordinat *surrexit et reversa est*, eadem *Vulg.* subordinat verba : v. 6 « *Et surrexit, ut in patriam pergeret cum utraque nuru sua de regione Moabitide; audierat enim, quod respexisset Dominus populum suum et dedisset eis escas* ». Notat *Cassel*, eodem verbo פקד narrari Gen. 21, 1 respexisse Deus Saram, Ex. 4, 31 respexisse afflictionem populi sui in Aegypto.

b) RUTH REDITUS SOCIA. — RUTH 1, 7-22

ARG. — Noemi spe felicitatis in patria Moabitide secundis nuptiis procurandae nurus, ut a se orbata, senescente atque misera recedant, adhortatur. Discedente Orpha, pia apud socrum perseverat Ruth, abdicatis cognatis patriisque ritibus. Describitur Noemi in Bethlehem reditus, sorte tam misere mutata.

v. 7 « *Egressa est itaque de loco peregrinationis suae cum utraque nuru* », *Hebr. de loco, ubi fuerat* : intelligitur ea urbs aut pagus, ubi sedem fixerat Noemi; nomen aut ignoravit scriptor, aut ut referret

operae pretium non duxit. Sine dubio ambae nurus, etiam si Moabitide excedere minime intendissent, socrum tamen aliquantum prosecutae animumque ei adherendi professae essent : id enim apud orientales moris. Crediderim tamen h. l. ambas nurus processisse cum animo adhaerendi socrui, sed Orpham eius dein adhortationibus, ut a coepto desisteret itinere, motam esse : eadem quippe ratione cum sarcinulis processere ambae nurus. « *Et iam in via revertendi posita in terram Iuda* », *Hebr. et ibant in via, qua redirent etc*, v. 8 « *dixit ad eas : Ite in domum matris vestrae* ». Matrem nominat potius quam patrem, quia cum illa degebant filiae (*Sanct.*). Noemi res iam totae angustae, apud parentes vita facilior atque amoenior. « *Faciat vobiscum Dominus misericordiam, sicut fecistis cum mortuis et mecum* ». Quam nuribus apprecatur, *misericordia* proxime consistit in vita secura in domo matrum invenienda, praecipue autem in secundis nuptiis v. 9 feliciter contrahendis. Consequenter misericordia *cum mortuis et mecum* commercio constiterat amanti, pacifico, industrio, quod duas illas Moabitidas inter et maritos et socrum hebraeos intercesserat, « quod non reperitur in qualibet uxore ad virum suum » (*Abul.*). Certe primarie non intelligitur honor mortuis post mortem exhibitus, cadavera sepulturae decenter mandata, signa tristitiae exhibita, secundae nuptiae tantillo interiecto temporis spatio nondum initae.

Animadvertebat iam *Abul.* : « raro nurus et socrus inter se concordant » ; estque res de se satis obvia. Uberius tamen, quam catholici interpretes consuevere, collectisque variorum scriptorum testimoniis *Cassel* rem prosequitur. Habes *Terentium* (Hecyr. 2, 1. 4) : « uno animo omnes socrus oderunt nurus » ; habes *Iuvenalem* (6, 231) : « desperanda salva concordia socru » ; habes *Plin.* in Paneg. Traiani cap. 84 admirantem, « quod mulieribus duabus in una domo parique fortuna, nullum certamen, nulla contentio est ». Verissima haec, tantoque laetior concordia, qua fortasse cum nuribus vixerat Noemi. Fortasse, inquam : cave enim, ne verba illa *misericordiam, sicut fecistis mecum* exaggeres. Non aliter, puto, locuta esset Noemi, si dissidia, rixae intercessissent : nuribus valedictura ingrata sane quaeque reticuisset, solam misericordiam commemorasset. Perpauca igitur illis verbis docemur, quo loco res antehac Noemi inter et nurus fuissent. Interpretem s. scripturae oportet « sapere ad sobrietatem ».

v. 9 « *Det vobis invenire requiem in domibus virorum, quos sortiturae estis* ». *Hebr. unaquaeque in domo viri sui.* Non est specialius insistendum cum *Abul.* voci *domibus* : pro incerta peregrinatione domum inveniatis et in ea quiescatis. Neque placet, quod habet *Sanct.* : « Optat, ut melius nuribus contingant nuptiae, quam ipsa habuit, dum maritum sibi optavit Elimelech, cum quo coacta est peregrinari et vitam agere aerumnosam ». Neque, quod scribit *Menoch.* : « ut sc. immunes sint

a molestiis, litibus, quaerelis, laboribus, lacrymis, quae coniugia comitari solent ». Expressio *requies* non matrimonii adiuncta designat, sed ipsum matrimonium, quod patet 3, 1 : « Filia mea, quaeram tibi requiem et providebo, ut bene sit tibi ». Merito autem matrimonium requies vocatur, « quia, quamdiu femina est quaerendo virum, non est in quiete » (*Abul.*). Matrimonio pro hominum parte longe maiori status vitae mortalis perfectus constat cessatque inquietum melioris huius vitae conditionis studium. « *Et osculata est eas* » valedicens cf. Gen. 31, 28. « *Quae elevata voce flere coeperunt* » v. 10 « *et dicere : Tecum pergemus ad populum tuum* ». Uti urbanitatis apud Iudaeos erat invitationem primum excusare, tandem nihilominus acceptandam (Iud. 19, 5 sqq.; 2 Reg. 13, 24 sqq.), ita urbanitatis etiam erat societatem itineris obtrudere, licet ea recusanda sciretur et fortasse cuperetur. Ruth sincere utique comitem se offerebat, quod sequentia demonstrant; an etiam Orpha, non constat. Immo *Tir.* sequentia etiam Noemi verba urbanitati tribuit.

v. 11 « *Quibus illa respondit : Revertimini, filiae meae; cur venitis mecum? Num ultra habeo filios in utero meo, ut viros ex me sperare possitis?* » Recte *Sanct.*, *Ser.* aliique censent, Noemi h. l. respicere legem Deut. 25, 5, ubi frater iubetur ducere fratris sui uxorem, si sine liberis decedat. Noemi illud semper prae oculis servans, iuvenes illas mulieres tandem matrimonii requiem assequi oportere, demonstrat apud se secundarum nuptiarum, quas secus lex praecipiat, nullam esse facultatem, quod filiis ipsa careat. Exhibuerat v. 9 « requiem » in Moabitide facile obtinendam, iam urget nullam in Iudaea « requiem » exspectandam; ubi eam solam requiem commemorat, cuius ipsa auctor esse possit genitis pro nuribus maritis : quid enim pauperculis Moabitis exspectandum a reliquis Iudaeis nulla affinitate iis coniunctis (*Zschokke* p. 205)? v. 12 « *Revertimini, filiae meae, et abite : iam enim senectute confecta sum nec apta vinculo coniugali* ». His *Vulg.* explicat *Hebr.* *quia senui, ut non possim esse cum viro*, quam expressionem merito *Bonfr.* censet proxime copulam designare, non vinculum matrimoniale. Noemi se negat aptam iam esse copulae perficiendae : at, cum certe non cogitet de copula illicita, hinc re Hebr. cum Vulg. coincidit. « *Etiamsi possem hac nocte concipere et parere filios* », v. 13 « *si eos exspectare velitis, donec crescant (et annos pubertatis impleant) : ante eritis vetulae, quam nubatis* ». Argumentum auget Noemi : dixit, filios ex se ob senectutem exspectari non posse; iam addit, si qui per absurdum nascituri supponantur, at donec ii ad pubertatem adolescant, impares iam nurus fore operi coniugali.

Nonnihil aliter *Hebr.* eundem sensum exprimit : *Quia* (כי) *dixi : Est mihi exspectatio, et etiam fui nocte cum viro, et etiam peperi filios.* Atque hic finiunt *Masor.* versum, unde כי cum *Syro* oportebit interpretari explicativum; sc. quid sit *posse esse cum viro* v. 12, explicatur *ut sit mihi exspectatio* experiendi muliebria, quae senio excluduntur, *et ut etiam noctu sim cum viro, et ut etiam pariam filios.* Quae explicatio videtur satis superflua, tum quia, quid esset *esse cum viro,* Hebraeus quivis facillime perspiciebat, tum quia explicatio fit tribus membris, quorum alterum tandem rem explicandam iisdem verbis repetit. Ergo melius cum *Vulg.* LXX sententiam ad sequentia trahas et כי vertas conditionale : *Etsi cogitarem mihi esse exspectationem,* me non esse senio effoetam, *et insuper me hac* proxima *nocte futuram cum viro, et insuper parituram filios,* — pergit *Hebr. : num ideo exspectabitis, usquedum adoleverint, num ideo continebitis vos, ne sitis cum viro*? Fuerat argumentum v. 11 : non habeo alios filios, quos vobis matrimonio iungam. Confirmatur iam argumentum : neque ullos filios habere possum et, si nanciscerer, matrimonio vobiscum contrahendo forent inepti. Procedit argumentum tribus hypothesibus impossibilibus (*Abul.*) : ut sc. mulier superadulta par tamen exsistat foetui concipiendo; ut eadem maritum nanciscatur et quidem ita cito, ut nocte proxime sequenti rem cum illo habere queat; ut ex primo hoc congressu reapse foetum concipiat. Non autem cum *Keil* voces *hac nocte* licet ad utrumque trahere verbum *concipiendi* et *pariendi* : quodsi enim per absurdum filii supponantur unica nocte posse non solum *concipi* sed etiam *gigni,* cur non eadem nocte supponantur quoque *adolescere,* praecisa omni coniugii mora?

Vocem לָהֵן versiones reddunt, ut sit eadem atque לָהֶם, *eos*; sed durius fem. pro masc. scribitur; melius igitur recentiores sumunt fem. pro neutro, ergo *ideo*, vel *cum ita se res habeant.*

« *Nolite, quaeso, filiae meae, quia vestra angustia magis me premit* ». *Hebr. : quia amarum mihi est multum, plus quam vobis.* Varie explicant. *Ser.* : « vobis quidem acerbum et amarum est, mea vos privari consuetudine et praesentia; sed multo acerbius et amarius est, me vestra privari, quae mihi erat longe gratissima et iucundissima ». Similiter *Malv.* Practica conclusio erit : Maneamus una. Alium inde sensum suggerit *Ser.* : amarum mihi est, videre vos tam aegre a me separari. Redit vero eadem conclusio. Planius *Vulg.* : Nolite, quaeso, mihi adhaerere, quia angustiae vobis mecum erunt ferendae, quas coram conspiciens aegre feram meas. Alterum sensum valde planum tradunt *Sa, Mar., Zschokke* : « Maior est mea angustia quam vestra » ; et ita etiam sufficienter explicatur vox מאד. « *Et egressa est manus Domini contra me* ». *Hebr.* orditur a כי, quae particula causalis priori כי aut subordinari potest aut coordinari : amarum est mihi, i. e. manus Domini egressa est contra me; vel : amarum est mihi ideo, quia manus etc.

v. 14 « *Elevata igitur voce rursum flere coeperunt. Orpha osculata est socrum ac reversa est; Ruth adhaesit socrui suae* ». Valedicens v. 9 socrus osculabatur nurus, nunc valedictura nurus osculatur socrum. Cf. *Bonfr.* « Orpha, quod nulla in terra Hebraeorum spes prolis affulgeat, in Moabitiden reflectit iter, dum Ruth socrum non deserit, sed arctius orbatae, egenti, afflictae, prole licet caritura, adhaeret. Orpha sui sollicita novarumque nuptiarum cupida, socrum deserit filios non iam habentem; Ruth solam dilectam respicit parentem, cui filiam se exhibere pauperi et miserculae mavult, pietate acta in maritum defunctum » (*Zschokke* p. 205 sq.). — v. 15 « *Cui dixit Noemi: En reversa est cognata tua* » — *Hebr. fratria* i. e. uxor fratris mariti — « *ad populum suum et ad deos suos : vade cum ea* ». Disquirunt interpretes, quomodo hortari potuerit Noemi nurum, ut rediret *ad deos suos*, hinc ad idololatriam. Censet *Abul.*, id dixisse Noemi « ad tentandum cor Ruth » ; ceterum dixisse quidem, Orpham reversam esse ad deos suos, at non explicite dixisse Ruthae, ut ipsa ad deos suos reverteretur. Subtilior solutio : etenim nurum hortari ut *reverteretur post* (*Hebr.*) alteram nurum, quae reversa erat ad deos suos, nonne idem est, atque illam quoque ad cultum deorum allicere ? *Drus.* animadvertit, hebraeum aeque verti posse *ad Deum suum* : unus erat Deus, Iudaeis religione mosaica, gentibus religione primitiva colendus : quatenus ritu Iudaeorum colebatur, dicebatur Deus Iudaeorum, quatenus vero ritu diverso v. g. Moabitarum, dicebatur Deus Moabitarum. Ceterum etsi Noemi supponatur praeiudicio indulsisse, gentes ita suis numinibus colendis adigi, uti Hebraeos colendo Iahve, errabat utique; at non inde lex mosaica non exstitisse demonstratur, quod aliqua Iudaea mulier superstitione laborasse demonstretur.

v. 16 « *Quae respondit : Ne adverseris mihi, ut relinquam te et abeam* ». פגע ב varias induit significationes, quas expressere versiones : primitus *percutere*, hincque *Vulg. adverseris* et *Chald. stomacheris* ; dein *impingere* in aliquem, quod est genus quoddam percussionis, hincque LXX μή ἀπάντησεί μοι; recentiores praeferunt *ne urgeas me*, urgendo veluti percutias, et cf. Gen. 23, 8; Ier. 7, 16. Haec significatio optime aptatur sequentibus *ut relinquam etc.* Iam proponitur ratio, ob quam non sit urgenda Ruth, quod sc. consilium ceperit haud immutandum sequendae socrus : « *Quocunque enim perrexeris, pergam et, ubi morata fueris, et ego pariter morabor. Populus tuus populus meus, et Deus tuus Deus meus* ». v. 17 « *Quae te terra morientem susceperit, in ea moriar ibique locum accipiam sepulturae. Haec mihi faciat Dominus et haec addat, si non sola mors me et te separaverit* ». De hac iuramenti formula vide quae diximus ad 1 Reg. 3, 17. *Abul.* : « Prae desiderio et amore tui manebo in ipso loco et ibi accipiam sepulcrum,

nec faciam transferri corpus in terram meam, ut sepeliatur cum meis progenitoribus ».

Sed iam, quodnam *motivum* Ruthae fuerit tam individue socrui adhaerendi, quaeritur. Ubi *Abul.* primo loco recurrit ad Noemi *suavitatem morum*; itemque *Cler.* : « Oportet Noemi comitate et morum facilitate mire conciliasse sibi nuruum animos, et praesertim quidem Ruthae; quae nunquam voluit ab ea divelli, et deos colere quoscunque esset cultura ». Ubi notanda duo : unum, hanc eximiam suavitatem supponi tandem, non probari; alterum, in hac suavitate praeter externam magisque sensualem affabilitatem certe includi oportere pietatem, religionem omnemque virtutem moribus exprimendam. Quodsi enim quis propter solam quamdam externam comitatem alteri dicat « Deus tuus Deus meus », id impietatem fere sapit. — Aliud motivum addit *Abul.* Noemi *indigentiam*, quae Ruthae animum commiseratione impleverit. At neque hoc motivum sufficit. Nam, ut illud taceam, etiam illam futuram indigentiam quandoque exaggerari, quid miseram iuvat sepulturae sociam habere? quorsum promissio individuae ad mortem usque societatis, cum tamen miseria felici quodam casu ante mortem finiri queat? — Princeps motivum erat *pietas* qua Ruth sui officii esse duxit, socrum senem et indigam non deserere, eius necessitatibus inservire. Excedit sponsa parentum familia sponsique familiam ingreditur, eius matrem matrem nanciscitur, in societatem admittitur filialis reverentiae et amoris eidem pendendorum. Quae pietatis officia vel alteris nuptiis praeferre viduam, Deo summopere gratum est. Haec sentiebat Ruth, his in populum electum cooptari meruit atque mater fieri salvatoris. Hinc eius in socrum pietas v. 14 eadem voce דבק exprimitur, qua Gen. 2, 24 et Matth. 19, 5 mariti in uxorem et Eph. 5,31 sq. Christi in ecclesiam pietas. Hinc eandem illam pietatem 2, 11 commendat Booz : « Nuntiata sunt mihi omnia, quae feceris socrui tuae post mortem viri tui, et quod reliqueris parentes tuos et terram, in qua nata es, et veneris ad populum, quem antea nesciebas ».

v. 18 « *Videns ergo Noemi, quod obstinato animo Ruth decrevisset secum pergere, adversari noluit (nec ad suos ultra reditum persuadere)* ». *Hebr.* simpliciter *cessavit loqui ad eam.* — *Obstinato animo* « i. e. firmo » (*Abul.*), non enim aliud *Hebr.* habet. v. 19 « *Profectaeque sunt simul et venerunt in Bethlehem. Quibus urbem ingressis, velox apud cunctos fama percrebruit* ». Eleganter Vulg. reddit *Hebr. : et commota est universa civitas super eas.* Idem verbum 1 Reg. 4, 5 adhibetur de commotione in castris Philisthaeorum oborta, quando arca in castra Hebraeorum delata est. Ipsa autem commotionis magnitudo demonstrat, inter mulieres maxime eam commotionem obtinuisse, unde sequentium verborum genus fem. explanatur. « *Dicebantque (mulieres) : Haec est illa Noemi?* » Interrogationis signum secundum *Hebr. LXX Chald.* omnino scribi oportet, cf. *Bonfr.* Interrogationis sensus, quod etiam v. 20 demonstrat, idem

atque verborum 4 Reg. 9, 37 : « Haeccine illa Iezabel ? » exprimens conditionem in peius mutatam. « Quomodo nunc adeo inops et pauper, marito liberisque orba omnibus, una sola comite Moabitide reversa est ? » (*Ser.*). Recteque *Cler.* insuper commemorat « mutationem formae, cum nunc grandioris aetatis esset ».

v. 20 « *Quibus ait : Ne vocetis me Noemi (i. e. pulchram), sed vocate me Mara (i. e. amaram), quia amaritudine valde replevit me omnipotens* ». Occasionem pronuntiati a feminis nominis accipit Noemi, ut convenientem nominis mutationem suggerere praetendens praesentem suam conditionem, ab eo nomine tam alienam, fateatur atque illustret. Amaritudo illa quae fuerit, describit v. 21 : « *Egressa sum plena* » *viro et filiis (Chald.),* « *et vacuam reduxit me Dominus* ». Gratuito tertium, quo plena fuerit, adstruit *Ser.* : « nummorum ». Certe non egressa est dives, quae egressa est ad victum in regione aliena conquirendum. « *Cur ergo vocatis me Noemi, quam Dominus humiliavit, et afflixit omnipotens ?* » עָנָה בְּ significat *testificari contra* (*Chald.*) : Deus exstincto marito et filiis testificatus est contra me, sc. se mihi esse infensum, et hinc impleta sum amaritudine. *Vulg. LXX Syr.* vertunt *humiliavit* : quem sensum habet piel עִנָּה, sed non construitur cum בְּ. Correspondens kal עָנָה בְּ significat *laborem alicui rei impendere.* Ergo revera *Chald.* praeferendus videtur. Ex qua tamen versione non illud necessario inferendum est, accusare se ipsam Noemi, quod excedens Iudaea tempore famis in Deum peccaverit (*Rabbini*). Ad summum verba interpretari fas est generaliorem quamdam admissae culpae agnitionem : Deus affligens Noemi testificatus est, illam non esse absolute pulchram, sanctam in oculis suis. v. 22 « *Venit ergo Noemi cum Ruth Moabitide, nuru sua, de terra peregrinationis suae* » — reliqui simpliciter *de terra Moab —,* « *ac reversa est in Bethlehem, quando primum hordea metebantur* », quod utique erat tempus paschale (*Chald.*). Scribitur haec animadversio non tam, ut tempus reditus Noemi sciatur, sed ad praeparandam sequentem narrationem, quae tempore messis obtinuit.

B. Acta in Bethlehem Cap. 2–4

a) ACTA IN AGRO CAP. 2

ARG. — Ruth in agrum Booz, consanguinei Elimelech, concedit spicas lectura, quo socrui et sibi victum procuret. Booz messoribus comiter salutatis, quae sit ea mulier inquirit; eandem benigne alloquitur, ut colligat et cum messoribus reficiatur invitat, pietatem in socrum exhibitam laudat, messoribus quoque ut cum ea benigne agant iniungit.

Hinc Ruth toto messis tempore in agris Booz laborat, uberem pietatis mercedem reportans.

Nonnisi breve tempus (*Abul.*) videtur intercessisse inter adventum in Bethlehem et ea, quae hoc capite narranda veniunt, cum extremo cap. 1 dicantur mulieres advenisse, quando primum hordea metebantur, et h. l. Ruth messoribus hordei iungatur : continuo sane ei providendum fuit, quomodo socrui et sibi victum compararet. Primum igitur qui fuerit Booz describitur, postea quo consilio in eius agrum Ruth descenderit explicatur.

v. 1 « *Erat autem viro Elimelech consanguineus, homo (potens et) magnarum opum, nomine Booz* ». Aliter reliqui : *Noemi autem erat notus a parte mariti sui, vir opulentus, de cognatione Elimelech, nomine Booz*. Ergo certe non frater Elimelechi, quod voluere Rabbinorum aliqui : nam non tanta circumlocutione uteretur s. auctor ad designandum levirum. Aliunde מְיֻדָּע (cf. Ps. 30, 12 ; 54, 14 ; 87, 9. 19 ; ita punctandum est *kethib*, neque necessario recurrendum ad alterum *keri* מוֹדַע) non eum tantum, qui quomodocunque *notus* sit designat, sed *propinquum*, quod inde colligas, quia Booz dicitur *notus a parte mariti*. Cf. *Ser*. De expressione גבור חיל diximus ad 1 Reg. 9, 1, posse eam aut virum robustum designare (LXX) aut virum divitem ; utramque significationem coniungit *Vulg*. Certe altera h. l. aptior (*Lap.*). « Ex quo magis emicat huius viri modestia et paternarum legum observantia, qui cum vir esset opibus et auctoritate praestans, non tamen abiecit peregrinam et pauperem, quamque colligendis spicis intentam viderat, ut famem sustentaret forsitan extremam, sed vicit tot haec incommoda patriae religionis fidelis observantia » (*Sanct.*).

v. 2 « *Dixitque Ruth Moabitis ad socrum suam : Si iubes* », — ita *Vulg*. reddit particulam נא — « *vadam in (agrum et colligam) spicas, (quae fugerint manus metentium), ubicunque (clementis in me patrisfamilias) reperero gratiam. Cui illa respondit : Vade, filia mea* ». Spicae legendae lege mosaica relinquebantur viduis, advenis, pauperibus ; prohibebatur dominus agri, quominus eas colligeret : Lev. 19, 9 ; 23, 22 ; Deut. 24, 19. Aliqui tamen videntur colligentibus pauperibus molesti fuisse ; unde v. 22 monet Noemi Rutham redire in agrum Booz, « ne in alieno agro quispiam resistat tibi » (*Calm.*). Ex eo, quod ipsa Ruth colligendas spicas suggerat, coniecerim moris fuisse etiam apud Moabitas, ut spicae pauperibus colligendae permitterentur. Recte autem consilii rationem explicat *Sanct.*, quod mulieres illae extrema laborabant inopia, quam pie et generose allevandam suscipit Ruth.

v. 3 « *Abiit itaque et colligebat spicas post terga metentium* », et quidem assiduo labore, ut patet v. 7 : « de mane usque nunc stat in agro

et ne ad momentum quidem domum reversa est ». Agebatur autem eadem in socrum pietate. « *Accidit autem, ut ager ille haberet dominum, (nomine) Booz, qui erat de cognatione Elimelech* ». *Heb. Forte autem incidit in partem agri etc,* ubi cf. dicenda ad 4, 2. Hinc, quod aliqui voluere, excluditur, studiose a Noemi fuisse Rutham in agrum cognati directam, quo ab illo uxor reciperetur. Totum Dei providentiae factum tribuatur oportet. Pulcherrimum iam sequentibus patriarchalium morum accipis specimen ». v. 4 « *Et ecce ipse veniebat de Bethlehem dixitque messoribus : Dominus vobiscum* ». Venisse videtur non multum ante meridiem, nam ex verbis modo laudatis v. 7 tanto iam tempore laboraverat Ruth, ut facile potuisset laborem interrumpere domumque parumper se recipere. Aliunde refectio messorum, de qua v. 14, non est coena vespertina, cum ab illa usque ad vesperam v. 17 laborem resumpserit. Cf. *Ser.*

Antiquissimae et venerandae formulae *Dominus vobiscum* is est sensus, ut alteri divinam opem et protectionem in omnibus apprecemur. « Si cum aliquo sit Dominus, etiamsi rudis et illiteratus, indisertus, infans, timidus, imbecillus ab omnibusque ad praeclare quidpiam agendum praesidiis nudus ille sit ; et vero, quae agenda sunt, plurima sint et maxima plurimisque et gravissimis obsepta difficultatibus ac impedimentis ; obstent vero quam plurimi et rebus omnibus instructissimi, flecti non queant principes ac reges, quin vero minas spargant milleque mortes et carnificinas intentent ; ipsi etiam dissuadeant, dehortentur ac impedire conentur amici, propinqui, fratres : omnia tamen fient, omnes vincentur difficultates ; nulli neque Aegyptii neque Pharaones, neque pavidi ac meticulosi, cunctabundi ac diffidentes Israelitae felicissimum impedire cursum poterunt » (*Ser.*). Exemplis s. scripturae idem auctor sensum formulae illustrat : Gen. 21, 20 sq. ; 28, 20 sq. ; 31, 5 ; 39, 2. 21 sqq. ; Ex. 3, 11 ; Ios. 1, 5 ; Ps. 22 (23), 4 etc.

« *Qui responderunt ei : Benedicat tibi Dominus* ». « Disce hic priscam piamque salutandi et resalutandi formulam » (*Lap.*). v. 5 « *Dixitque Booz iuveni, qui messoribus praeerat : Cuius est haec puella* » seu iuvenis mulier? (*Hebr.*) ad quem pertinet? Interrogationis ratio non necessario singularis honestas in puellae ore deprehensa (*Lyr.*), sed factum, quod Booz ignota esset, qui cives quosque Bethlehemitas optime nosset. v. 6 « *Cui respondit : Haec est Moabitis, quae venit cum Noemi de regione Moabitide* ». Noverat messorum praepositus, noverat vel ipse Booz mulieris fata, in omnium ore erat pietatis laus (*Ser.*). v. 7 « *Et rogavit, ut spicas colligeret remanentes, sequens messorum vestigia* » ; rogavit, quia quandoque licet iniuste agrorum domini v. 22 resistebant. Addit *Ros.*, licuisse hero uni pauperi potius quam alteri spicilegium

concedere : sed num illud non ipsa lege concedebatur? « *Et de mane usque nunc stat in agro, et ne ad momentum quidem domum reversa est* ».

In priori quidem sententiae parte satis concordant textus, nam quod habet LXX *usque ad vesperam* evidens mendum est. Omisso *Syro*, qui sententiam truncat, *Chald.* in ultimo inciso cum *Hebr.* concordat : זה שבתה הבית מעט. Quod non est vertendum cum *Cler.* : « Nunc vero aliquantulum sedet domi », nam domi non fuisse ostendit v. 5 ; neque cum *Drus.* : « Hic mansio ipsius ; domi parum » ; sed cum *Vatabl.* : « Iam sessio eius in domo paululum », i. e. : Profecto, parum temporis terit sedendo. Ubi *domum* interpretare non domum Noemi, quae sane aliquo itinere ab eo agro distabat neque consuevere impigri messores intermisso opere domum suam se recipere ; sed cum *Aben Esra* (ap. Ros.) tuguriolum in agro erectum, quo se messores ad brevem requiem et refectionem recipiant. Ceterum vocem הבית esse genuinam non est omnino certum, cum LXX (etiam *Syr.*) vocem ignoret eaque sat facile ex שבתה corruptione oriri potuerit. — שבתה *Syr.* derivavit a שבת *quiescere*, *Chald.* a ישב *sedere ;* κατέπαυσεν anceps est. *Vulg. reversa est* liberioris est versionis. Tandem vocem adiiciunt *Vulg.* LXX בשדה ; et quidem LXX paenultimo sententiae loco, ubi vox oriri potuit corruptione vocis שבתה ; sed eandem vocem Vulg. inserit initio sententiae (ותבוא ותעמוד בשדה), eodemque adamussim loco *Chald.* legebat ותשב quod ex corrupto בשדה ortum duxisse crediderim. Hinc sententia primitus videtur fuisse haec : *Et ivit et stetit in agro (?) a mane usque nunc ; profecto nonnisi parum vacavit in tuguriolo* (?). Quam ironicam assertionem negatione expressere *Vulg.* LXX : non vacavit, ne ad momentum quidem vacavit. — Merito notat *Bertheau*, messorum praefectum verbis prodere gaudium, quod ipse expertus sit, ubi mulierem tam sedulo pio labori incumbentem vidit : strenuo quippe aliorum labore delectatur strenuus operarius.

v. 8 « *Et ait Booz ad Ruth : Audi, filia* », — Recte ex hoc alloquio infert *Abul.*, fuisse Booz maturioris, Rutham tenerioris aetatis ; insuper commendat *Ser.* viri affabilitatem et suavitatem, quam exprimit *Hebr.* comi adhibita interrogatione *Audisne, filia?* — « *ne vadas in alterum agrum ad colligendum nec recedas ab hoc loco, sed iungere puellis meis* ». Censet *Zschokke* p. 209, etiam ideo Boozum invitasse Rutham, ne alium quemquam agrum adiret, quod noluerit Elimelechi cognati filiam pauperum instar circumire. « Apparet Boozi prudentia, gravitas et castimonia, qui puellae suadet, ut puellis adhaereat, quod honestius erat et pudori tutius, quam si cum viris versata esset » (*Menoch.*). Puellae istae non erant pauperes pro se colligentes spicas, cum Booz eas vocet puellas *suas*. Certe earum primarium munus non erat coquere cibum messoribus (*Sanct.*), cum messores interdiu cibo planissimo utantur, quem facile unica puella praeparasset. Censet *Calm.*, puellas frumentum messuisse, pueros demessas segetes collegisse : at ita Ruth, quae v. 7 « sequebatur messorum vestigia », debuisset potius pueris iungi quam puellis; et v. 15 diserte pueri affirmantur messuisse. Verius igitur

affirmabis, pueros messuisse, puellas ligasse; nisi praeferas defendere, tam puerorum quam puellarum quosdam quidem messuisse, alios ligasse. v. 9 « *Et, ubi messuerint, sequere* ». Pulchre *Hebr. : Oculi tui sint in agro, quem messuerint, et ibis post eas*. Nota autem, verbum *messuerint* in *Hebr.* esse masculini generis, ut vel hinc pateat messores fuisse iuvenes. « *Mandavi enim pueris meis, ut nemo molestus sit tibi* », *Hebr. te tangat*. « *Sed etiam, si sitieris, vade ad sarcinulas et bibe (aquas), de quibus et pueri bibunt* ». « Non levem rem largiebatur hic Booz pro ea regione, in qua aquae plane non abundant, et tempore, quo aestus maxime fervet » (*Calm.*). Cf. *Ser., Sanct.* « Quando hoc iuvenibus suis dederat *mandati*? Vel statim id aut per se aut per iuvenem illorum magistrum fecit, posteaquam ab hoc Ruthae laudes acceperat, vel Hebraeorum more potest praeteritum pro futuro accipi, quia certissime id facturus erat » (*Ser.*).

v. 10 « *Quae cadens in faciem suam et adorans super terram, dixit ad eum : Unde mihi hoc, ut invenirem gratiam ante oculos tuos, et nosse me dignareris peregrinam mulierem* ? » Nota lusum verborum להכירני נכריה. Celebrabamus supra insignem, quam v. 11 ipse Booz celebrat, Ruthae in socrum *pietatem* : iam panditur nobis mira Boozi in alios, vel ignotos et peregrinos *humanitas*, qui Ruthae Moabitidis pie acta et didicerit gaudens, et favorem pro pietate ignotae rependerit, et primum conspectam in suum agrum liberalissime invitaverit, servis verendam, puellis sociandam, cibo potuque reficiendam commendaverit. Quam humanitatem gratis verbis exaggerat Ruth, excellentiorem inde et etiam gratiorem, quod ignotae et peregrinae fuerit exhibita, eius sc. cuius nulla apud virum Hebraeum potuerint esse merita. Respondet Booz, plurima sibi mulieris innotuisse merita v. 11 : « *Cui ille respondit : Nuntiata sunt mihi omnia, quae feceris socrui tuae post mortem viri tui, et quod reliqueris parentes tuos et terram, in qua nata es, et veneris ad populum, quem antea nesciebas* ». Reliquerat parentes Ruth, ut sequeretur maritum ; fecerat misericordiam socrui 1, 8 illo superstite : at haec communia potius pietatis officia. Admiranda pietas illa, qua vidua non ad parentes se recepit, sed patria excessit, ut socrui indigenti et orbatae adesset. Advertit *Bertheau*, laudare idipsum in Ruth Boozum quod Gen. 12, 1 in Abraham commendetur : exemplo sane Abrahae parentes et patriam relinquentis factum est, ut facilius etiam in aliis Hebraei similem animi magnitudinem et agnoscerent et commendarent. Neque divino iubente oraculo, sed sola auctore pietate patria excesserat Ruth. v. 12 « *Reddat tibi Dominus pro opere tuo, et plenam mercedem recipias a Domino Deo Israel, ad quem venisti et sub cuius confugisti alas* ». Ita *Vulg.* LXX; verti etiam potest *quae venisti, ut sub alas eius*

confugias (*Bonfr.*), sensu eodem. Recte *alas* interpretatur *Lap.* « curam, protectionem, providentiam ; sic enim pulli confugiunt sub alas gallinae ». « Recte sub Dei Israel alas confugit Ruth, cum relictis diis Moab in Iudaeorum religionem transiit, ut velut implumis et tenella avicula in nido Dei confoveretur, contra solis seu tentationum aestus, contra rapacissimos inferorum vultures ac milvos, contra omnes aereas tempestates protegeretur » (*Tir.*). Iam in Pentateucho Ex. 19, 4 ; Deut. 32, 11 Dei providentia alis volucris matris assimilatur ; idem tropus perquam familiaris Bethlehemitis ruricolis, frequens in Psalmis Davidicis 16 (17), 8 ; 35 (36), 8 ; 56 (57), 2 ; 60 (61), 5 ; 62 (63), 8 ; 90 (91), 4 repetitur.

v. 13 « *Quae ait : Inveni gratiam apud oculos tuos, domine mi* ». Habent *Hebr. Chald.* imperfectum, itemque LXX futurum *inveniam*, quod optimi quique interpretes exponunt sensu optativo : « Oro, ut etiam ulterius inveniam gratiam coram te » (*Abul.*). « Perge, obsecro, me benevolis oculis adspicere » (*Bonfr.*). « *Qui consolatus es me et locutus es ad cor ancillae tuae* ». Reliqui textus *quia*. — Ratio assignatur, non propter quam inventura sit Ruth gratiam, sed propter quam audeat eadem eiusmodi futurae etiam gratiae spem pronuntiare : Utinam inveniam gratiam, eamque me inventuram confido, quia tam humane mecum egisti. « Ecce mira humilitas Ruth, quae se facit ancillis omnibus Booz inferiorem et ancillarum ancillam, ideoque meruit fieri eius uxor. Sic B. Virgo dicens : Ecce ancilla Domini etc, meruit fieri mater Dei » (*Lap.*). *Loqui ad cor* est blandis verbis consolari, demulcere, cf. Iud. 19, 3. « *Quae non sum similis unius puellarum tuarum* » seu *ancillarum*, idem quippe nomen bis *Hebr.* scribit. *Vatabl.* : « cum tamen ego ne uni quidem ex ancillis tuis veniam conferenda ». Cave tamen, ne Ruth inducas affirmantem, se virtute aut aliis quibusdam partibus a singulis illis ancillis superari : fucata ea humilitas est et a nostrae narrationis simplicitate omnino aliena. *Similitudo* (כ) desideratur praecise et unice in conditione ancillari. Ancillam se nominaverat, illico se ipsam corrigit : Et quid dico ancillam, cum ne ancilla quidem sim, sed peregrina? (*Bertheau*).

De lectione *Vulg.* citat *Verc.* verba *Bonfr.* : « In Hebr. et LXX habetur in futuro *Inveniam gratiam* ; et forte ita etiam scripsit Hier. (nam et ita legerunt Lyr. et Abul. in Commentario), licet extrita ultima syllaba pro futuro praeteritum remanserit ». Alteri Bonfr. opinioni, *qui* corruptione ex *quia* ortum esse suffragatur Codex K, saeculi septimi vel octavi.

v. 14 « *Dixitque ad eam Booz : Quando hora vescendi fuerit, veni huc et comede panem et intinge buccellam tuam in aceto* ». Hoc veluti

responsum est priorum verborum a Ruth grato et humili animo prolatorum. « Iam sese magis prodit Boozi benevolus et liberalis animus, cum illa, quae ad aquam invitata fuerat, invitatur ad epulas » (*Sanct.*). Incisum *Quando etc* melius ad praecedentia trahitur : *Dixitque ad eam hora vescendi Booz*, antea quippe vix poterat uti voce *huc*. Obiicies ita tolli, quod affirmat *Ser.*, hanc cum messoribus manducandi veniam a Booz concedi non pro hac una vice tantum, sed universim pro toto messis tempore. Respondeo, licet is non iam sit immediatus verborum v. 14 sensus, tamen veniam concessam esse universim patet cum ex v. 8, tum ex constanter aucta Boozi in Rutham benevolentia. « *Sedit itaque ad messorum latus* », proxime uti patet assedit puellis (*Sanct.*, et cf. v. 8), « *et congessit polentam sibi* », frumentum tostum, cf. Lev. 2, 14 ; 1 Reg. 17, 17 ; 2 Reg. 17, 28, « *comeditque et saturata est et tulit reliquias* ». Verte *porrexit ei polentam*, verbum enim est masc. generis. Porrexit vel ipse Booz, qui refectioni intererat, vel eo iubente servorum aliquis, fortasse praepositus messorum. Crediderim tamen, patriarchali ratione ipsum Booz praefuisse et suam cuique portionem assignasse.

v. 15 « *Atque inde surrexit, ut (spicas ex more) colligeret* ». « Non diu post epulas segnis et otiosa sedit, sed ad suum pensum rediit. Interim, cum a messorum epulantiumque turba recessisset, ut apparet verisimile, allocutus est Booz operarios suos » (*Sanct.*). « *Praecepit autem Booz pueris suis dicens : Etiamsi vobiscum metere voluerit, ne prohibeatis eam* », opprobrio afficiatis (cf. 1 Reg. 20, 34), reprehendatis. *Hebr. etiamsi inter manipulos colligat*, quod non videtur idem esse atque *metere*, neque non invitata ausa esset Ruth pro se ipsa metere, quod nulla pauperibus lex concedebat. *Cler.* : « Non fiebat pauperibus potestas spicas legendi inter manipulos, ne ex ipsis manipulis nonnullas vellerent. Satis iis erat in extremis agris et, unde manipuli iam ablati aut amoti erant, spicas legere posse ». Tamen non is tantum est sensus, omni carere Boozum metu, ne Ruth spicas e manipulis evellat ; id sine mulieris ignominia pronuntiari vix potuit. Sensus ex comparato v. 16 is esse debet, plures numero spicas inter manipulos quam alibi reperiri consuevisse, quasque messores manipulis inserere poterant intacto pauperum spicilegii iure. Sc. pauperibus, si cum Lev. 19, 9 et 23, 22 conferas Deut. 24, 19, eae solum spicae obtingebant, quae post terga metentium relictae fuerant. v. 16 «*Et de vestris quoque manipulis proiicite de industria et remanere permittite, ut (absque rubore) colligat et colligentem nemo corripiat* ». Summopere illud Booz praecavere nititur, ne quis Rutham reprehendat, opprobrio subiiciat, ei molestus sit. Admiratus fuerat Booz, quam audierat, Ruthae pietatem ; iam ipse

expertus est eius assiduitatem, humilitatem, modestiam; iam non cum paupere tantum liberaliter agere, sed mulierem honorare studet, benevolentiae amor admiscetur, connubio via paratur. v. 17 « *Colligit ergo in agro usque ad vesperam et, quae collegerat, (virga) caedens et excutiens invenit hordei quasi ephi mensuram, (i. e. tres modios)* », circiter 38·88 lit.

v. 18 « *Quos portans reversa est in civitatem et ostendit socrui suae* »: *Masor. LXX Chald. et vidit socrus eius;* id praeferendum, cum desit ל. « *Insuper protulit et dedit ei de reliquiis cibi sui, quo saturata fuerat* ». v. 19 « *Dixitque ei socrus sua: Ubi hodie collegisti et ubi fecisti (opus)? Sit benedictus, qui misertus est tui* ». Eadem vox atque v. 10: *qui nosse dignatus est te.* Specialis omnino benevolentia eo manifestabatur, quod quis *Moabitiden* nosse dignaretur; rursum maiorem, quam quae solius egestatis titulo exhiberetur, benevolentiam prodebat frumenti concessi copia. « *Indicavitque ei, apud quem fuisset operata et nomen dixit viri, quod Booz vocaretur* ». v. 20 « *Cui respondit Noemi: Benedictus sit a Domino, quoniam eandem gratiam, quam praebuerat vivis, servavit et mortuis* ».

Sensus *Vulg.* clarus: supponitur Booz pridem Elimelecho et Mahaloni exhibuisse gratiam vivis, nunc eandem mortuis in eorum viduis redintegrare; tamen haec pristina gratia in textu hebr. non satis exprimitur ideoque gratis supponitur. *Hebr. qui non abstraxit gratiam suam neque quoad vivos neque quoad mortuos,* quod recte interpretatur *Malv.*: « erga nos et erga mortuorum nostrorum recordationem in nobis »; ut *vivi* intelligantur Noemi et Ruth, *mortui* Elimelech et Mahalon. Neque obest, quod obiicit *Drus.*, tum scribi oportuisse *vivas* genere fem.: non enim ita tenaces sunt generum Hebraei (cf. illico v. 21 נערים, ubi primarie puellae intelliguntur), et in complexa expressione *vivos et mortuos* obvium erat utrumque nomen genere scribere masc. Neque alia supponitur mortuis exhibita gratia praeter eam, qua nunc in suis viduis honorantur. Hinc vero non immerito colligit *Cassel* aliquod admissae ab Hebraeis immortalitis animarum vestigium: longius quippe peteretur hoc *mortuis* in vivis praestitum obsequium, si mortuorum nihil omnino superesset. *Bertheau* totam sententiam non ad Booz refert sed ad Deum, ut sc. is affirmetur in facto Booz suam familiae Elimelech exhibuisse gratiam: tamen sensus obvius est, Noemi versari in laudibus ipsius Booz, et, si *non abstraxit gratiam suam* Gen. 24, 27 praedicetur de Deo, at Ruth 1, 8 *sicut fecistis cum mortuis et mecum* refertur ad pietatem non a Deo, sed ab hominibus exercitam.

« *Rursumque ait: Propinquus noster est homo* »; addunt reliqui *de redemptoribus nostris ipse,* « i. e. ex iis, ad quos pertinet ius liberandi nos ab orbitate, et vindicandi nomen filiorum meorum maritique tui ab

interitu et oblivione, semen iis ac posteritatem dando iuxta legem Lev. 25, 25 et Deut. 25, 5 » (*Menoch.*). v. 21 « *Et Ruth* » : — « Ruth erat repleta gaudio multo de prosperitate diei illius, quia feliciter ei evenerat, et ob hoc, quamquam Noemi loqueretur de cognatione sua ad Booz, non attendebat Ruth sed volebat enarrare, quod ei cum illo acciderat, quia omnia evenerant prospere, et subiunxit » (*Abul.*) : — « *Hoc quoque, inquit, praecepit mihi, ut tamdiu messoribus eius* » — *Hebr. pueris*, quod secundum sensum v. 8 LXX reddidit *puellis* — « *iungerer, donec omnes segetes meterentur* ». Ultimum incisum non habent explicite verba Booz v. 8 sq., sed continetur implicite in illa invitatione « Ne vadas in alterum agrum ». v. 22 « *Cui dixit socrus : Melius est, filia mea, ut cum puellis eius exeas (ad metendum), ne in alieno agro quispiam resistat tibi* ». *Abul.* aliique, voci *ad metendum* insistentes, putavere id h. l. Noemi suggerere Ruthae, ut non iam pauperum ritu spicas colligat in agro Booz, sed cum aliis ancillis segetem metendo ei serviat. Rectius *Lap.* : « non ut tu metas sed ut iungas te metentibus, ut spicas deciduas colligas, uti dictum est v. 15 sq. « Patetque ex v. 23, ubi pro *Vulg. messuit* habet *Hebr. collegit*. Tandem h. l. *ad metendum* a *Vulg.* suppletum est. v. 23 « *Iuncta est itaque puellis Booz et tamdiu cum eis messuit, donec hordea et triticum in horreis conderentur*. Obiicit *Calm.*, messem triticeam haberi consuevisse post hordeaceam, Booz vero et Ruthae sermonem fuisse de matrimonio ineundo, qua nocte 3, 2 is aream hordei ventilabat : respondeas, primo utique loco obtinuisse hordei, dein tritici messem, nec nisi post hanc alteram ventilasse Booz aream hordei. Sequentia verba 3, 1 (*Vulg. postquam autem reversa est ad socrum suam*) *Masor. Chald.* ad praecedentia trahunt et cum LXX *Syr.* punctant וַתָּשָׁב *et sedit*. Dicitur ergo Ruth toto eo tempore interdiu pauperum ritu laborasse, noctibus verecunde non alio, quam in socrus domum, se recepisse. Eundemque sensum habebis, si cum *Vulg.* punctes וַתֵּשֶׁב *et reversa est*, sc. singulis noctibus. Convenienter ea mulieris verecundia exprimitur, quae mox narrabitur noctu ad pedes Boozi dormientis cubuisse.

b) ACTA IN AREA CAP. 3

ARG. — Noemi nurui de nuptiis prospicere cupiens, quo simul marito defuncto posteritatem suscitet, Rutham edocet, quomodo Boozum in area noctu convenire debeat. Iussa exsequitur Ruth atque vestimenta lectiora induta ad pedes Booz dormientis provolvitur, ab eo expergefacto auxilium titulo leviratus exposcit. Booz piam pie suscipit atque liberaliter donatam ad socrum remittit.

Toto messis tempore ante oculos habuerat Booz mulieris pietatem, assiduitatem, modestiam; admiratio generabat aestimationem, dilectionem ; frequentiora in dies erant favoris atque paterni quodammodo affectus argumenta. Res omnium oculos percellebat, praeter Boozi et Ruthae, imprimis Noemi, quae verba et acta omnia sive per Ruth sive per alios discebat. Senior et sagacior ipsa maturavit diebus messis consilium. Boozum norat tam arcta cognatione devinctum, ut inter ipsum et Mahalonem, Ruthae defunctum maritum, nonnisi unus propinquior (3, 12; 4, 4) intercederet; affulgebat igitur aliqua spes illius inducendi, ut in Rutham *redemptoris* (גאל 2, 20) officio fungeretur eique leviratus, quod dicitur, iungeretur matrimonio.

v. 1 « *Postquam autem reversa est ad socrum suam, audivit ab ea* » : — Diximus, primum incisum trahendum ad 2, 23 ; dein incipit Cap. III : *et dixit ei Noemi, socrus eius* — « *Filia mea, quaeram tibi requiem (et providebo), ut bene sit tibi* ». Ultimum incisum non est sententia relativa : « quae tibi satisfaciat » (*Calm.*), secus enim voce לו concluderetur oportet, sed recte a *Vulg.* cum *ut* finali vel explicativo (LXX ἵνα) scribitur. *Hebr.* interrogationem habet : *Nonne quaeram* ? quia facile interrogatione pro affirmatione utuntur Hebraei (*Vatabl.*) ; audacius *Drus., Keil* : « Profecto mei officii est tibi quaerere requiem ». *Requies* matrimonium uti 1, 9 intelligitur. Nomen h. l. tanto aptius, quia « eatenus Ruth quietem non habuerat, sed vitam egerat instabilem et vagam, cum vixdum emensa longum spatium, dum e regione Moabitide in Chanaanitidem transmigrat, urgente inopia vagari cogitur extra domum, et spicilegii aut messionis gratia alienos agros supplex adire. Illi ergo requiem et otium quaerit, ne sit opus toties instabili gressu amplius vagari et novum quotidie quaerere domicilium » (*Sanct.*). Tantoque verior eadem requies, quod apud hominem opulentum Booz quaereretur (*Abul.*).

Erat sc. mos Moyse antiquior (Gen. 38, 8 sqq.), ut mariti absque liberis defuncti uxorem frater duceret, quo prolem ex ea nancisceretur atque defuncti fratris « semen suscitaret » ; proles quippe defuncto fratri lege adscribebatur eiusque accipiebat haereditatem. Quem morem non ad unicum fratrem natu proximum, sed ad omnes ex ordine fratres pertigisse, praeter locum laudatum ostendit Matth. 22, 24 sqq. Antiquum Indis quoque, Persis aliisque gentibus communem morem lege sancivit Moyses Deut. 25, 5-10 : « Quando habitaverint fratres simul et unus ex eis absque liberis mortuus fuerit, uxor defuncti non nubet alteri, sed accipiet eam frater eius et suscitabit semen fratris sui, et primogenitum ex ea filium nomine illius appellabit, ut non deleatur nomen eius ex Israel. Sin autem noluerit accipere uxorem fratris sui, quae ei lege debetur, perget mulier ad portam civitatis et interpellabit maiores natu dicetque : Non

vult frater viri mei suscitare nomen fratris sui in Israel nec me in coniugem sumere. Statimque accersiri eum facient et interrogabunt. Si responderit : Nolo eam uxorem accipere, accedet mulier ad eum coram senioribus, et tollet calceamentum de pede eius, spuetque in faciem illius et dicet : Sic fiet homini, qui non aedificat domum fratris sui. Et vocabitur nomen illius in Israel Domus Discalceati ». Ex quo textu efficitur, non licuisse eiusmodi viduae ad alienas nuptias convolare, antequam leviri nuptias incassum expetivisset. Efficitur, licet omnino honestum et aequum lege definiretur, ut frater defuncti fratris uxorem duceret, ei tamen eius rei non strictam aliquam lege impositam esse obligationem, certe non eam qua invitus ad nuptias adigeretur. Idque sapienter sancitum, cum aliquando defuncti fratris uxor ob iustas rationes, v. g. animi acrimoniam, merito toro et tecto praecludatur. Crediderim, virum Hebraeum reapse in foro conscientiae obligatum fuisse ad defuncti fratris uxorem ducendam nisi graves obstarent rationes. Ob similes rationes videtur licuisse uxori a nuptiis omnino temperare, ut neque mariti fratri neque alii cuiquam nuberet. Neque erat uxori strictum ius exigendarum cum defuncti mariti fratre nuptiarum ; quo abnuente illud unum uxori permittebatur, ut ignominiam v. 9 sq. descriptam ei publice infligeret. Porro ex libro Ruth clarescit, Hebraeos in ea lege observanda non literae solum inhaerentes sed spiritum sectatos, non in solis veri nominis fratribus, sed post hos in aliis etiam propinquioribus cognatis honestatis quamdam rationem adhibuisse, qua ad ducendam defuncti sine prole cognati viduam inducerentur. Siquidem frater Mahalonis et Chelionis neque Booz erat, neque alter ille 3, 12. Patebat illa ratio fortasse tam late, quam late haereditatis transsumendae ius; tantoque lenius eadem singulos adstringebat cognatos, quo remotior cum vidua esset affinitas. Minime videtur fuisse viduae ius spuendi in faciem cognato, qui frater non esset, nuptias detrectanti; quod perperam a Ruth factum esse praetendit *Ios.*, duos ritus toto coelo diversos confundens inter se. Alio quippe ritu cognatus Elimelech detracto sua sibi manu calceamento testificabatur se iuri suo cedere, alio vidua Deut. 25, 9 leviro calceum detrahebat et in faciem spuebat, publica illum afficiens ignominia. Ex nostro libro illud etiam patet, legitimum omnino atque honestum fuisse cognato, ius et officium connubii leviratus in cognatum proxime sequentem transferre, simul tamen cum haereditatis iure, si is paratus esset ad viduam una cum haereditate ducendam. Intelligis iam, cur Noemi et Ruth non palam adierint Booz eumque, ut Mahalonis semen suscitaret, monuerint : remotior siquidem in Booz, qui frater non esset, erat honestatis ratio, cui ut satisfaceret, nullo iure sed sola gratia adigendus erat; praeterea Booz vel eo omni obligatione absolvebatur, quod adesset alter cognatus propinquior se. Cur vero hunc non adierint mulieres, ratio esse potuit, vel quod invitus sciretur, vel quod melior apud Booz Ruthae speraretur « requies ».

v. 2 « *Booz iste, cuius puellis in agro iuncta es, propinquus* » (cf. 2, 1) « *noster est et hac nocte aream hordei ventilat* ». Explicat *Chald : dispergit areas hordei in vento in nocte* : nox sc. levi aura erat amoenior

ideoque ei operi aptior. Areae autem apud Palaestinos sub divo sunt et etiamnum, quo tempore frumenta in areis versantur, ruricolae ibidem, quo a furibus sibi caveant, noctes agunt. Hodiedum ventilatur frumentum ita, ut lignea furca, duobus vel pluribus dentibus instructa (מזרה Is. 30, 24; Ier. 15, 7), sublatum vento obiiciatur, quo grana a stipulis segregentur. Etiam hunc versum *Hebr.* interrogatione exprimit, qua non merum factum affirmetur, sed mens ad conclusionem aliquam practicam ex eodem derivandam provocetur. v. 3 « *Lavare igitur et ungere et induere cultioribus vestimentis* ».

שׂמלה *vestimentum* seu *pallium* designat Gen. 9, 23; Deut. 22, 5. 17; 1 Reg. 21, 9 (10): non vero de se *vestimentum cultius*, *Chald. ornamenta*. Si cultiora vestimenta induebatur Ruth, observassent alii atque mirati essent, obiiciunt quidam: sed in muliere paupere lectiora vestimenta nitore potius, quam cultu et pretio a ferialibus distinguuntur. Quid opus erat cultioribus vestimentis, inquiunt alii, cum Booz conveniendus fuerit nocte, qua cultus et ornamenta discerni nequeunt? Ubi suggerit *Bonfr.*, potuisse Booz accersita lucerna mulierem inspicere aut eam retinere, donec illucesceret. Planius defendas, vocem quidem de se *vestimentum* quodlibet exprimere, sapienter vero *Vulg. Chald.* de *vestimentis cultioribus* explicasse, pro conditione utique mulieris. Adhibebantur lotio et unctio ad tollendum sudoris foetorem, qui in Oriente acrior esse consuevit; at eum foetorem vestes etiam, quibus quis quotidie utatur ad laborem, exhalant; ergo assumendae vestes cultiores, non ut oculis placeatur, sed ne nares offendantur.

« *Et descende in aream* ». Parum refert, altiorine loco fuerit area an urbs Bethlehemitica, cum *descendendi* verbum liberius ab Hebraeis adhibeatur. « *Non te videat homo* », — secundum *Masor. LXX Syr.* determinatus homo, i. e. Booz; aliorum adspectus vix poterat evitari — « *donec esum potumque finierit* ». Sensus non est, ut post finitum epulum sed ante somnum Boozo aspectus mulieris concedatur; sed postquam v. 3 dictum est, non oportere Rutham conspici ante finitam coenam, pergit v. 4 explicare, neque immediate post finitam coenam eam conspici oportere, sed tum primum ubi vir e nocturno somno evigilaverit. v. 4 « *Quando autem ierit ad dormiendum, nota locum, in quo dormiat* », ut postea circumfusis tenebris eundem locum certo invenias (*Sanct.*), « *veniesque et discooperies pallium, quo operitur a parte pedum, et proiicies te (et ibi iacebis) : ipse autem dicet tibi, quid agere debeas* ».

In hoc versu, qui pro tota narratione maximi momenti est, aliquae voces accuratius perpendendae. Et primum ter usurpatur idem verbum שׁכב : *Quando decubuerit, notabis locum, ubi decubuerit... et decumbes*. Quod verbum eodem ubique sensu erit accipiendum: cum igitur Booz certissime non decubuerit exutus tunica et plane nudus, (quis enim id fecerit sub divo et super paleas!), ergo perperam etiam adstruit *Abul.*, Ruthae fuisse detractis vestibus decumbendum.

Ubi *Vulg.* scribit *et discooperies pallium, quo operitur a parte pedum*, aliud non habet *Hebr.* nisi וגלית מרגלתיו ; similiter v. 7 ותגל מרגלתיו : *pallium* non exprimitur, attamen subintelligitur ; ubi enim *discooperitur* quid, necesse est ut adfuerit aliquod *operiens* illud. מרגלתיו, praeter v. 4. 7 et etiam 8, non recurrit nisi Dan. 10, 6, ubi cum eae corporis partes ex ordine recenseantur, quae vestibus haud contectae nativum colorem et formam intuenti exhibeant, intelligi oportebit *pedes cum talo*, quatenus sc. ea infra vestem talarem nuda protruduntur. Hinc recte vertunt *Chald. Syr.*, et v. 8 etiam *Vulg. LXX, pedes*. Confirmat eam significationem *Ges.* comparata voce omnino analoga מראשות, quae 1 Reg. 19, 13. 16 significat caput partemque colli proxime adiacentem ; Ier. 13, 18 caput ; Gen. 28, 11. 18 et 1 Reg. 26, 7. 11. 12. 16 locum capitis. Ex his rursum colligas textum non exprimere, ea ratione Rutham viro accubuisse, qua ille immediate ad copulam habendam sollicitaretur (*Abul.*) ; dicitur Ruth pedes viri discooperuisse, non crura.

v. 5 « *Quae respondit : Quidquid praeceperis, faciam* ». v. 6 « *Descenditque in aream et fecit omnia, quae sibi imperaverat socrus* ». Plura sane imperaverat quam sola ea, quae v. 3 sq. recensebantur : saltem ut matrimonium leviratus peteret Ruth, explicaverat. v. 7 « *Cumque comedisset Booz et bibisset et factus esset hilarior, issetque ad dormiendum iuxta acervum manipulorum, venit abscondite et, discooperto pallio a pedibus eius, se proiecit* ». Recte censet *Abul.*, fuisse ea nocte solemnes epulas, uti crediderim, pro feliciter ventilatis frugibus seu fortasse pro absoluta universa messe.

בקצה הערמה non vertas cum *Drus.* « in extremo acervi alicuius » ; sed propter articulum cum *Calm.*, *Clair* « in extremitate acervi », vel quod hordeum omne reapse in unicum acervum congestum fuerit, vel quod illud tandem per modum unici acervi concipiatur. At cuius rei acervus is fuit ? Haud crediderim *manipulorum*, quod manipuli iam fuerint excussi, sed granorum hordei vel palearum.

Sed iam quid de hoc Ruthae facto iudicandum examinemus. Quam peccati videtur arguere *Ambr.* (De fide III. 10, M. 16, 604) : « Historia simplex, sed alta mysteria ; aliud enim gerebatur, aliud figurabatur. Nam si secundum literam sensum torqueamus, prope quidam pudor et horror in verbo est, si ad commixtionis corporeae consuetudinem sententiam intellectumque referamus ». Saltem Noemi peccasse censet *Lyr.*, dum « Ruth », inquit, « fuit totaliter excusata, quod erat de novo conversa ad Iudaismum et nesciebat de lege requirendi matrimonium » ; ut sola ignorantia eaque sat crassa ab ea, quam apte appellat *Theodoret.*, foeda « formae prostitutione » excusetur Ruth. Mulierem peccato absolvunt *Theodoret.*, *Aug.* (eam in eo facto *M.* 40,436 « sanctam » vocans) et post eos interpretes catholici vix non omnes ; sed in eius facto explicando in diversa abeunt.

Varias excogitant auctores rationes, quibus mulierem a procacitatis vel imprudentiae nota eximant. Quaecumque agebat, de se tandem erant indifferentia (*Ser., Sanct.*); agebatur optimo fine impetrandi matrimonii (*Bonfr., Sanct., Lap., Calm.*). Aberat periculum ex agnita Boozi iam provectioris aetatis viri probitate (*Theodoret., Sanct., Ser., Tir., Lap., Zschokke*) : « Adde », inquit *Bonfr.*, « notam Booz probitatem, cui merito fidere poterant, nihil praeter honestatem, ius fasque tentaturum; notam Ruth virtutem, quae citra coniugium nihil tale permissura erat, maxime cum ipsa aperte coniugium postularet ». Qua Ruthae et Boozi probitate attenta, quid tandem iniquius accidere potuit, quam ut illico matrimonium et contraheretur et consummaretur (*Ser., Bonfr., Tir.*)? Celebrat Ruthae simplicitatem *Ps. Chrys.* (in Matth. Hom. 1, M. 56. 619) : « Simplicitas autem (laudatur in Ruth), quia ultronea sub pallium eius ingressa est nec cogitavit, ne forte sperneret eam quasi vir iustus lascivam puellam, aut ne deluderet eam et, quod gravius erat, contemneret delusam, sicut faciunt multi : sed obaudiens facta socrus suae consiliis confidenter credidit, quia prosperaturus fuerat Deus actum ipsius, sciens conscientiam suam, quia non libido ad hoc eam compulerat, sed religio erat hortata ». Simplicitas haec tanto magis miranda in vidua, quam in virgine. Plures cum *Ps. Chrys.* Ruthae laudant erga socrum obedientiam, virtutis firmissimum propugnaculum (*Abul., Lyr., Lap., Est., Calm.*). Quibus omnibus haud contenti addunt auctores cum *Ps. Chrys.* aliqui instinctum quemdam divinum in Ruth.

Quarum rationum suprema non ita efficax est. Quodsi enim Ruthae innocentiam aliunde probatam habes, superflue adstruis, qui demonstrari non potest, divinum instinctum ; quamdiu non omni suspicione Rutham liberaveris, eiusmodi instinctum adstruere nefas est. — Longe efficacissimum ad Rutham ab omni culpa vel imprudentia absolvendam argumentum est Boozi laus v. 10 : « Benedicta es a Domino, filia, et priorem misericordiam posteriore superasti » (*Ser., Calm., Est., Zschokke*). Sane ubi nullum Booz naevum discernebat, exegetam dedecet cavillari. Sed ea Boozi laus non necessario supponit Rutham *matrimonium* petiisse.

Tandem auctores quidam, postquam Ruthae innocentiam nullo non argumento vindicare studuerunt, suarum tamen partium esse ducunt, ut nostri aevi mulieres ab eius studiosius imitando exemplo dehortentur : ita *Calm., Cler.* Alii mores Orientis demonstrant, a nostris moribus toto coelo diversos.

Ut de facto Ruth non inique iudicare valeamus, ante omnia intelligamus necesse est, quid eo facto ipsa intenderit efficere. Ubi auctores non pauci censent, Rutham immediate et absolute postulasse a Booz *matrimonium*. Ita *Chald.*, illud v. 9 « expande pallium tuum super famulam tuam » ita circumscribens : « vocetur nomen tuum super ancillam tuam ad accipiendum me in uxorem ». Argumentum princeps etiam alii auctores repetunt ex v. 9 modo laudato, affirmantes eum fuisse Hebraeorum in coniugiis ineundis *morem*, ut vir pallii alam super mulierem expanderet. Ita *Syr.* Item *Sanct.*, Rutham postulasse matrimonium defendens ; « id autem agit », inquit, « *hieroglyphico signo*, cum operiri se postulat illius pallio, cuius ambit nuptias : quia hoc erat signum in contrahendo matrimonio legitimum. Quo significatur arcta coniugum et quasi naturalis coniunctio, cum uno uterque tegatur

amiculo, quasi unum foret corpus conflatum e duobus, aut duo corpora uno tantum vigerent spiritu et uno tantum tenerentur animali nexu ».

Verum non efficit v. 9 id, quod isti auctores volunt. Ubi sc. *Vulg.* habet « expande pallium tuum super famulam tuam », *Syr.* « alam vestimenti », ibi *Hebr.* simpliciter legit « expande alam tuam super famulam tuam ». Minime infitiamur, כנף quandoque pro *ala vestimenti* scribi : Num. 15, 38 ; Deut. 22, 30 ; 23, 1 ; 27, 20 ; 1 Reg. 24, 5. 12 etc ; atque eam significationem fortasse h. l. suggessere discooperti v. 4. 7 Boozi pedes. Ut quid enim illi detracta pallii parte discooperiantur, nisi ut eadem iam pallii parte ipsa contegatur Ruth ? Tamen כנף aeque frequenter *protectionem* sonat, significatione petita ab avi sub *alis* pullos fovente. Ita Ps. 16 (17), 8 « Sub umbra alarum tuarum protege me » ; 35 (36), 8 « Filii autem hominum in tegmine alarum tuarum sperabunt » ; 56 (57), 2 « In umbra alarum tuarum sperabo » ; 60 (61), 5 « Protegar in velamento alarum tuarum » ; et imprimis Ruth 2, 12 « sub cuius alas confugisti ». Quem sensum h. l. etiam recensent *Vatabl., Bonfr., Ser., Sa, Malv., Menoch., Tir., Calm.*, eique accessere *Masor.*, nam כְּנָפֶךָ est dualis « duas alas » contractus ex כְּנָפֶיךָ, cum ea forma non possit concipi in pausa scripta pro כְּנָפְךָ, quod vox media, non vero extrema in sententia legatur (*Bertheau*). Sed dato etiam, vocem h. l. *alam vestimenti* designare ; dato insuper, quod nullo stabilitur argumento, eum fuisse Iudaeis ineundorum coniugiorum ritum, ut sponsus pallium in sponsam extenderet : num ideo affirmabimus, expressionem « expande pallium » de solo coniugio ineundo intelligi posse, neque aliud quodquam genus unionis, amicitiae, protectionis designare ? Praepostera haec esset conclusio. Sane apud nos is ritus nuptiarum obtinuit, ut sponsus et sponsa manus conserant : num igitur dicemus, ubicunque de conserendis manibus sermo sit, foedus nuptiale necessario intelligi oportere ? Ergo sensum verborum v. 9 statuimus hunc : Sub tuam protectionem recipe famulam tuam, quia propinquus es. Egregie is sensus confirmatur ex Ruth 2, 12, ubi ipse Booz hortatus erat Rutham ad plenam fiduciam habendam in Deo Israel, sub cuius protectionem ipsa confugisset. Iam Ruth ea verba homini in memoriam revocat : Dei protectioni me commendasti ; at consuevit Deus viduas orbas ope cognatorum redemptorum protegere ; protegas igitur tu me. Tandem advertas, gratuito prorsus et solius nostri v. 9 explicandi causa effingi morem illum, quo aut propinquus redemptor in viduam aut universim sponsus in sponsam alam vestimenti extenderit : nihil istiusmodi produnt antiquitates hebraicae.

Collapso principe sententiae argumento, quae Rutham matrimonium absolute petiisse adstruit, alia eandem sententiam manet obiectio. Quod

Ruth a Booz petit auxilium, illud petit *leviratus titulo* : v. 9 « quia propinquus es ». Ubi illico respondet Booz : « sed est alius me propinquior ». Neque fas est cum *Bonfr.* et *Calm.* adstruere, Ruth et Noemi ignorasse alterum adesse cognatum propinquiorem, cum id gratis asseratur minimeque sit probabile : non facile proximi cognati apud Hebraeos ignorabantur, quorum tanti intererat, ut singulorum origo indubia constaret. Certe non neglexerat Noemi, quinam superessent cognati, accurate inquirere ; pronuntiato 2, 19 nomine Booz, illico exclamaverat « Propinquus noster est homo ». Ruth nullam prodit admirationem, ubi Booz audit affirmantem, adesse cognatum propinquiorem. Quodsi autem Ruth istud norat, ergo etiam norat, nullum sibi esse titulo leviratus immediatum et absolutum ius matrimonii cum Booz cognato remotiore postulandi ; norat, non aliud sibi esse ius, nisi ad summum remotum et conditionatum, si sc. cognatus propinquior iure cederet suo. Adde, in illa sententia perquam languida videri verba Noemi 3, 4 : « Ipse autem dicet tibi, quid agere debeas » ; scribi oportebat : Ipse autem optatas tibi concedet nuptias.

Planissima sententia eaque textui presse adhaerens statuit, id Rutham a Booz petivisse, *ut propinqui redemptoris seu* גאל *partes ageret*, v. 9 : « Expande pallium tuum super famulam tuam, *quia propinquus es* » ; cui ille respondet v. 12 : « Nec abnuo me propinquum, sed est alius me propinquior ». Quae autem Booz propinqui tum partes erant ? Ut cognatum propinquiorem adiret et de officio moneret ; eo cedente iure, viduam ipse duceret. Vides, Rutham non matrimonium petere absolute, sed conditionate et disiunctive ; petit Boozi intercessionem et, si ea effectu careat, coniugium. Rogat Boozum, ut, quocunque modo mulieres iuvare queat, iuvet, ut, quod mulieribus semper grave, earum publice causam agat. Optat utique, orat, sperat, ut sibi Boozi tandem nuptiis frui liceat ; at non ignorat cognati propinquioris iura.

Quid a Booz petierit Ruth explicavimus : aliqua supersunt dicenda de modo, quo petiit. Minime dubium est, mox post reditum in terram sanctam Noemi perpendisse, essetne cognatorum aliquis, qui redemptoris partes sperari posset esse acturus. A cognato proximo, quem videtur scivisse esse invitum, ad Booz proxime sequentem direxit animum, cuius perspectus erat in Rutham affectus. Totum iam messis effluxerat tempus, dies quisque argumenta produxerat animi sincere addicti et ad omnem gratiam parati, verbum tamen elicuerat nullum. Sunt senes lentuli, lentiores etiam in re matrimonii proponendi, quam procrastinant sine die, veriti etiam iuvenum risum. Decernit igitur Noemi, ut Ruth prior virum alloquatur eiusque imploret protectionem. Occasionem seligit, qua vir somno post hilare epulum recreatus contentus et quietus

expergefiat; tempus definit nocturnum, quietum, ab hominum concursu et strepitu remotum, quod pacem spiret, mulieris formam prodat, celet ruborem; testes admittit nullos praeter innumeras stellas coelo aspersas sereno, pignora infinitae posteritatis Abrahae promissae legumque vades, quibus posterorum apud Hebraeos procreatio regatur. Nonne aptissima omnia, occasio, tempus, silentium? Sed explicandi supersunt pedes detracto pallio discooperti, atrox quid atque nefandum portendentes. Attendas quaeso, Noemi ferax admirare ingenium. Quid Rutham iuvant lotio et unguentum corpori adhibita, quid vestes cultiores, quid area atque ipse prope pedes viri accubitus? Dormit Booz. Num consuevere homines post improbum laborem bene pransi, bene poti media nocte e somno evigilari? Minime vero. Quid si Booz usque ad auroram somnum produxisset, Rutham vidisset prius quam audisset? Providendum igitur fuit aliqua arte, ut *noctu expergisceretur* Booz. Artem excogitavit Noemi. Facile viro gravi somno oppresso pallium e pedibus impune detrahitur : at mox frigescentibus pedibus dispellitur somnus, expergiscitur vir. O mulierem sagacem, immo tot interpretibus, ut ingenue fatear, sagaciorem! Monuerat nurum : « Discooperies pallium, quo operitur a parte pedum », non inanem ritum futurum. Id tam importune inculcaverat, ut hoc unum sacer narrator textu efferendum iudicaverit; nam alia reticet, verba a Ruth v. 9 proferenda, agri vendendi 4, 3 mentionem : istud unum de pedibus studiose discooperiendis et iniunctum et observatum esse tradit. Hoc uno totius muliebris artis cardo, hoc uno « hieroglyphici signi » clavis constat.

v. 8 « *Et ecce nocte iam media expavit homo et conturbatus est* ». Ita alterum verbum etiam reddidit LXX ἐταράχθη, *Chald. contremuit*; recentiores praeferunt significationem *inclinavit se* (cf. Iud. 16, 29), et quidem ut palparet, quis adesset (*Bertheau*); dum *Bonfr.* hanc significationem ad praecedentem revocat, « ut sit inclinatio vel corporis retractio ex pavore proveniens ». « *Viditque mulierem iacentem ad pedes suos* ». *Hebr. Et ecce mulier etc*, ut non ad sensum visus recurratur. Ceterum versio *Vulg.* nullam difficultatem patitur, « nam per visum aut visionem aliorum quoque sensuum actiones significari solent » (*Sanct.*). Vel formam vidit, vel comam aut aliud quid palpavit. v. 9 « *Et ait illi : Quae es? Illaque respondit : Ego sum Ruth ancilla tua : expande pallium tuum super famulam tuam, quia propinquus es* ». Verba modo explicavimus.

v. 10 « *Et ille : Benedicta, inquit, es a Domino, filia, (et) priorem misericordiam posteriore superasti* ». Prior misericordia ea est, quam 1, 8 exhibuerat mortuis et socrui, specialius quam iam 2, 11 celebraverat Booz socrui exhibitam in relinquenda affectu pietatis patria; posterior

est, qua Noemi solatium senectutis (4, 15), mortuo marito (4, 14) posteritatem procurat. « Magnum fuit sane meritum et opus misericordiae prorsus eximium coluisse coniugem, dum in vivis ageret, studiose et pie, et mortuum, quoad potuit, officiose fuisse prosecutam ; sed fuit maius pietatis officium, quod in mortuum virum exhibere voluit, cuius noluit, quoad eius fieri potuit, perire aut obscurari memoriam » (*Sanct.*). « Hanc autem dicit maiorem illa priori, quia maioris caritatis ac misericordiae est, alicui benefacere post mortem, quando ab eo temporalis retributio nulla exspectatur, quam dum adhuc vivit et gratiam aliquam is referre potest » (*Est.*). « *Quia non es secuta iuvenes, pauperes sive divites* ». A sensu omnino aberrat *Chald.* addens *ad faciendam fornicationem* : agitur de iuvenibus, quibus ea nubere potuerit; omnis autem iuvenis, sive dives sit sive pauper, praeferendus Booz seni. Membrum explicat, quod ante de misericordia dicebatur. Affectu misericordiae seu pietatis agi Rutham inde evidens est, quia illa non iuvenem, quod libidinis fuisset, sibi exquisivit maritum, sed senem, quo ipsa quidem minus fruatur, sed defuncti mariti posteritatem nanciscatur.

v. 11 « *Noli ergo metuere* », — *Hebr. Et nunc, filia mea, noli metuere* : « bis autem eam sic vocavit » (*Theodoret.*), sc. h. l. et v. 10 usus vocabulo *filia*. Noli metuere, me aut iis, quae egisti, esse offensum aut quidquam eorum, quae petitura es, nolle praestare : « *(sed) quidquid dixeris mihi, faciam tibi* ». Ex hoc satis patet, quo sensu Booz intellexerit petitionem Ruth v. 9, sc. non de solis nuptiis absolute, sed primum de intercessione apud cognatum alterum et, ea effectu carente, de nuptiis tandem : secus non diceret absolute Booz *quidquid etc.* Illud *sed* non habet *Hebr.* : ergo non est necessaria oppositio inter alterum et primum incisum, quin potius varia consolationis motiva Booz coordinat, ut primum omnis metus excludatur, dein plena spes excitetur. Iam redit ad illud *Noli metuere.* Noli metuere, me nocturno tuo accessu esse offensum, Moabitidenve aversari aut pauperculam, siquidem tam bona apud omnes fama frueris, ut nulla tibi suspicio adhaerere queat : « *Scit enim omnis populus, qui habitat intra portas urbis meae, mulierem te esse virtutis* ». « Satis enim est dotata, quae ad coniugale foedus bonos mores et vitam inculpatam attulerit » (*Sanct.*).

Hebr. omnis porta populi mei : non est « universus senatus, nam in portis erant fora » (quidam ap. Vatabl.), cum in re famae longe magis timenda sit opinio plebeiorum, quam senatorum ; non « omnes mei populares, qui in porta convenire consueverunt » (*Bertheau*), si « omnes populares » scribatur pro omnibus Hebraeis vel Iudaeis, cum praeter Bethlehemitas alii Rutham non noverint ; non « omnes conventus » (*Mar.*), qui ad variarum urbium portas fierent, ob eandem rationem ; sed « rectius per portam synecdochice intelligas totam civitatem » Bethlehemiticam, « seu quidquid

intra portas continetur » (*Bonfr.*), quod recidit in *Vulg.* — חיל *virtus*, quando de femina praedicatur, omnem dicit virtutem femineam, sedulitatem, pietatem, castitatem etc.

v. 12 « *Nec abnuo me propinquum* », *Hebr. Et nunc utique propinquus sum ego* : eum titulum libenter admittit Booz, cui tota nitebatur mulieris petitio, simul animum paratum manifestans ad petita concedenda : Propinquus sum, propinquum me exhibebo. Atque illico modum discutere aggreditur, quo sibi propinqui officio fungendum sit : *Hebr. Et etiam*, pro quo particulam adversativam *Vulg.* substituit : « *sed est alius me propinquior* ». Cum alius sit cognatus propinquior, non eo modo officio fungi potest Booz, ut Rutham continuo ducat, sed primum rogandus propinquior. v. 13 « *Quiesce hac nocte* », pernocta, mane hac nocte. Quae verba cum media interiiciantur consilio, quod Booz v. 12 sq. explicat, censenda sunt eius consilii pars quaedam esse neque omnino identica cum sequentibus « dormi usque mane ». Ergo : Quiesce hac nocte, nihil cogites, nihil agas, neque enim quidquam agere noctu potes; mane autem facto propinquum adibimus. « *Et facto mane, si te voluerit propinquitatis iure retinere, bene res acta est; sin autem ille noluerit, ego te absque ulla dubitatione suscipiam. Vivit Dominus! Dormi usque mane* ». Ut omnis mulieri anxietas adimatur, quasi Booz effugia quaerat et promissionibus inanibus petita studeat procrastinare, promissa Booz addito iuramento confirmat (*Zschokke*).

v. 14 « *Dormivit itaque ad pedes eius usque ad noctis abscessum. Surrexit itaque* », — *Hebr.* verbum fem. habet, ergo subiectum Ruth — « *antequam homines se cognoscerent mutuo, et dixit* (*Booz*) : *Cave, ne quis noverit, quod huc veneris* ». « Hoc itaque mandato et silentio indicto voluit utriusque honori et famae Booz consulere, cum homines ad deteriora suspicandum proniores sint, atque adeo et scandalo, quod nasci potuit, occurrere » (*Bonfr.*).

In *Hebr.* verbi forma masc. utique probat, effatum esse Boozi; sed effatum ipsum aliquatenus differt : *Et dixit : Non scietur, venisse mulierem in aream.* Ubi dure supponitur Booz Rutham alloquens nomine האשה designasse, loco pronominis personalis. Male omnino *Chald.*, *Vatabl.* : *dixit* sc. *pueris suis*; tum enim brevi tota civitas rescivisset. Cur non ipsi Ruth primariam laudem concedamus, quod de sua et Boozi fama fuerit sollicita ? Dixerat Booz : *Dormi usque mane.* Id illa verbotenus exsequitur, ita tamen ut *primo mane* consurgat. Quam admirans Booz *cogitavit* : Non scietur profecto, secretum manebit, venisse mulierem in aream. Verecundiae praemium ei v. 15 donum concedit.

v. 15 « *Et rursum : Expande, inquit, pallium tuum, quo operiris, et tene (utraque manu)* ». Pro *pallio* hic legitur vox inusitatior (cf. Is.

3, 22) מִטְפַּחַת, περίζωμα, *Chald. sudarium* : quod vestis muliebris genus exprimatur, non satis scitur. « *Qua (extendente et) tenente mensus est sex (modios) hordei* ». *Hebraeo* mensuram non exprimente, eam sane mensuram intelligi oportebat, quam mulier commode gestare poterat (*Clair*). Magnum pondus fuisse inde infert *Cassel*, quod Boozi opera ad illud imponendum esset necessaria : at operam praestare consuevere viri mulieribus etiam in rebus minus gravibus. *Chald.* sex סאים gratuito supponens, miraculosum in Ruth adstruxit robur. « *Et posuit super eam* ». « Indonatam redire Ruth noluit Booz » (*Ser.*). Adverte, eum etiam illius doni in cervice gestati usum fuisse, ut, quo tempore se homines vixdum agnoscerent v. 14, Ruthae facies tota quanta obumbraretur : Booz animadverso Ruthae studio, ut rediens lateret, consilium adiuvat. « *Quae (portans) ingressa est civitatem* ».

Hebr. verbum habet masc. וַיָּבֹא, unde *Chald.* inseruit subiectum *Booz*, dum melius *Vulg. Syr.* subiectum intellexere Rutham. Non ita raro Hebraei genere masc. utuntur pro fem. ; sane non tam mature ad portam urbis conventus habebantur. « Quid ei tam properato in urbem opus ? Videretur etiam una cum Ruth venisse, nisi si diversas forte vias ac semitas tenuerint. Et sive unam eandemque sive diversas tenuerint, utrumlibet alicui obnoxium erat suspicioni ac sermoni. Quam enim facile eis occurrere aliquis potuit ! quam facile ad portas utriusque tam matutinus eorum ingressus notari ? Ex huiuscemodi autem varias et suspiciones et sermones non raro excitari, quis nescit ? » (*Ser.*).

v. 16 « *Et venit ad socrum suam. Quae dixit ei : Quid egisti filia?* » LXX ignorat מִי אַתְּ, *quae tu, filia mea?* (*Hebr.*). Post *Rabbi Iona* censet *Mar.* מִי scribi pro מָה : Quid tu, filia, (egisti)? ut idem omnino atque Iud. 18, 8 quaestionis genus habeatur. Posset verti : Quae tu? filiane mea? Ubi offendit pronomen fem. אַתְּ responsum veluti anticipans : nisi dicamus, tam matutino tempore a nullo se invisum iri credidisse Noemi, nisi a muliere. Planissima *Vulg.* versio et genio linguae hebr. omnino consentiens. « *Narravitque ei omnia, quae sibi fecisset homo* ». v. 17 « *Et ait : Ecce sex (modios) hordei dedit mihi et ait : Nolo vacuam te reverti ad socrum tuam* ». Hinc intulere *Cler.*, *Bertheau*, donum hordei fuisse a Booz pro Noemi destinatum. Erat utique utrique mulieri usui futurum : videtur tamen datum ipsi Ruth ad illam in oculis socrus honorandam. Iniquum fuisset, Noemi dono honorata, Rutham sine dono suo discedere. v. 18 « *Dixitque Noemi* : *Exspecta*, *filia* », — *Hebr. sede,* ubi *Chald.* supplet *mecum domi*; ceterum messe absoluta vix erat Ruthae quaequam in publicum prodeundi occasio; ergo sufficiens *Vulg.* versio — « *donec videamus*, *quem res exitum habeat. Neque enim cessabit homo, nisi compleverit*, *quod locutus est* ». Reliqui *nisi compleverit verbum hodie* : brevi admodum tempore erit exspectandum.

c) ACTA IN PORTA CAP. 4.

ARG. — Booz in porta civitatis cognatum convenit, qui viduam una cum agro recipere nolens cedit iure suo. Hinc Booz agrum acquirit Ruthamque coram senioribus et populo in uxorem recipit. Nascitur pietatis praemium Obed, avus futurus Davidis.

Non distulit Booz promissa implere. *Ios.* quidem haec affirmat acta esse circa meridiem, nescio qua nisus ratione. Sed mane facta esse vix non certum est, cum quod omnes agricolae essent ideoque mane se rus conferre censendi sint ad laborem (*Cler.*), tum quod 3, 13 Booz expresse dixisset se rem acturum esse « facto mane ». v. 1 « *Ascendit ergo Booz ad portam et sedit ibi* », causam Ruthae acturus, « non ut iudex (neque enim in causa propria iudex quis sedet), sed primo propinquum, qui necdum advenerat quemque verisimile est fuisse ad eam rem evocatum, praestolaturus » (*Bonfr.*). Eius generis causas ex Deut. 25, 7 in porta civitatis transigi oportebat. « *Cumque vidisset propinquum praeterire, de quo prius sermo habitus est, dixit ad eum: Declina (paulisper) et sede hic* », sive donec decem viros advocavero (*Bertheau*), sive, si ii iam aderant, ad causam illico agendam, « *vocans eum nomine suo. Qui divertit et sedit* ».

Pro *vocans eum nomine suo* habet *Hebr.* פלני אלמני, cf. 1 Reg. 21, 3; 4 Reg. 6, 8; Dan. 8, 13, quae expressio scribitur, ubi nomen aut ignoratur aut reticetur; correspondet nostro *un tel*, *N. N.* Scriptura viri nomen evidenter enuntiare non vult, cum bis eadem sententia circumlocutione utatur (etiam illis verbis *de quo prius sermo habitus est*). « Itaque verba illa non sunt Booz, sed sunt posita loco nominis proprii, quod quidem nomen expressit Booz, quemadmodum sua versione indicat Hier.; neque vero vel ignorare potuit Booz, quo nomine propinquus ille vocaretur, vel tam incivilis fuit et rusticus, ut, cum nomen sciret, dixerit inurbane : Tu talis, tu quidam. Posita autem sunt ista loco nominis proprii, quod expressit Booz, a scriptore hagiographo, qui dum rem narrat, non putavit nomen illud propinqui exprimendum, sive id ex nominis ignoratione factum sit (id enim asserere nihil incommodi), sive quod nihil interesset scire, sive quod iustas habuerit Sp. S. atque adeo et scriptor causas reticendi » (*Bonfr.*). Quam causam post *Abul.* clare statuit *Tir.* : « Videtur hac nominis aeterna oblivione merito (auctor) voluisse mulctare virum ingratum ac superbum; et qui sui nominis adeo studiosus esset, ut de propinqui defuncti nomine nihil omnino laborarit ipsamque illius viduam Ruth contempserit, indignus ipse censetur, qui proprio nomine posteris innotesceret ». — Dicta confirmat LXX vertens κρύφιε i. e. *abscondite*, virum designat non nominatum nec nominandum; *Chald. vir, cuius ignotae viae.* Vide, quae diximus n. 53.

v. 2 « *Tollens autem Booz decem viros de senioribus civitatis, dixit ad eos : Sedete hic* ». Ut testes hi advocabantur (cf. v. 9. 11) et etiam ut arbitri (*Menoch.*) pro casu, quo propinquus petita praestare renueret. Utrum ex hoc textu inferre fas sit, iam eo tempore servari consuevisse, quod talmudistae requirunt, ut in iudicium decem legis periti concedant, non liquet. v. 3 « *Quibus sedentibus locutus est ad propinquum : Partem agri fratris nostri Elimelech vendet Noemi, quae reversa est de regione Moabitide* ».

חלקת השדה (cf. Gen. 33, 19 ; 2 Reg. 14, 30 sq. ; 23, 12) non est agri pars tantum, sed totus ille ager qui erat pars haereditaria Elimelech : « la portion de champ » (*Bayle* ap. Clair), germ. « das Stück Land ». — « *Frater* hic dicitur scripturae more quilibet sanguine propinquus » (*Bonfr.*). —*Masor. Chald. Syr. vendidit,* licet מכרה etiam punctari possit ut participium, *vendit* vel *vendet*. Prius praeferendum. Non enim credendus est Elimelech inopia pressus patria excessisse, nulla sui agri habita cura ; quin potius debuit adniti, ut ex illo totum illud acciperet lucrum, quod poterat, eius usum fructum ad tempus vel usque ad annum iubilaei alteri vendendo. Inveniuntur autem tempore calamitatum publicarum ditiores quidam, qui angustias aliorum suum lucrum rati eorum bona vili pretio sua facere sunt parati. Dices, sic non Noemi vendidisse, sed Elimelech : at in ea re una persona legalis erant ambo, quorum cum sola Noemi superstes esset, ei iam totum negotium adscribi poterat. Aut dicas defuncto Elimelech, sive ante sive post reditum in patriam, Noemi usum fructum alicui vendidisse. Praevia venditio necessario adstruenda est, sine venditione enim non potest esse redemptio (גאל) neque secus, si propinquus ille Rutham duxisset, ullum ei pretium pro agro Elimelech seu Mahalonis solvendum fuisset, sed totum cum Ruth et Noemi accepisset, filio tandem ex Ruth nomine Mahalonis gignendo transmittendum.

Inserenda hic quaedam de iuribus proprietatis et haereditatis apud Hebraeos.

Igitur primum haereditas ad uxores seu viduas non transmittebatur, cf. Lev. 27, 8-11 ; unde neque correctum est, quod h. l. supponit *Lyr.*, viduas liberis orbas retinuisse *partem* haereditatis ad vitam illamque etiam potuisse vendere. Proprie loquendo nemo, ne vir quidem, ipsum agrum vendere poterat, sed solum usum fructum, sive usque ad sequentem iubilaei annum, sive ad tempus brevius, cf. Lev. 25, 23-28. Ex Ruth 4, 5 efficitur, quod iam per se sat evidens est, haereditatem viri absque liberis defuncti non illico ad viros cognatos secundum Lev. 27, 8-11 transiisse, sed reservatam mansisse filio per leviratus coniugium defuncto suscitando : « debes accipere, ut suscites nomen propinqui tui *in haereditate sua* ». Hinc defuncto quopiam sine liberis videtur uxor defuncti remansisse cum usu fructu possessionum mariti usque ad mortem, nisi tamen, ut existimo, ipsa denuo extra familiam nuberet ; sin autem vel caelebs permanere vellet vel a mariti propinquis ad coniugium non admitteretur, poterat ipsa suo iure agrum usus fructus titulo ad mortem usque possidere, proprietate remanente

apud eum, qui sanguine proximus defuncto esset, quae possessio pleno deinde iure ad eum devolvebatur mortua eadem uxore defuncti » (*Bonfr.* ; cf. *Abul.*). « Quasi curatrix foret filiorum, ad quos suo tempore bonorum possessio pertineret » (*Sanct.*).

Sed iam quaeritur, quomodo Noemi h. l. dicatur vendidisse agrum, et non potius Ruth, ad quam spectabat semen Mahaloni per coniugium leviratus providere. Ubi censet *Ser.*, agrum tum reapse in Ruthae potestate fuisse, non in Noemi, « quae tamen hic nominatur, partim ne statim proximo illi suboleret coniugii cum Ruth necessitas, partim quia in ipsius potestate libens ac volens tota erat Ruth omniaque ex ipsius consilio, imperio ac nutu facere videbatur ». Explanatio non satisfacit. Dicamus ergo post mortem cum Elimelechi tum Mahalonis officium suscitandi Elimelecho seminis ad duas mulieres esse devolutum, Noemi et Ruth, ut vel haec Mahaloni eoque mediante etiam Elimelecho filium gigneret, vel hac deficiente illa immediate Elimelecho id officii praestaret. Neque dicas, ex 1, 12 Noemi vetulam ineptam iam fuisse vinculo coniugali. Illa enim verba non necessario de absoluta ineptitudine intelligenda sunt : difficilius ea demonstrabatur, indecentius investigabatur, interim mulieri praeiudicium favebat. Quodsi autem cum ad socrum tum ad nurum officium excitandi seminis spectaret, sane socrus in familia potiorem locum obtinebat bonaque pro filio ex coniugio leviratus exspectando administrabat.

v. 4 « *Quod audire te volui (et tibi dicere) coram (cunctis) sedentibus et maioribus natu de populo meo* ». *Hebr.* : *Et ego cogitavi : Revelabo aurem tuam,* admonebo te; urbane loquitur Booz. *Sedentes* illos recte *Vulg.* (item *Chald.*) adscripta voce *cunctis*, intellexit incolas Bethlehemitas, quotquot tum prope portam adessent, in quorum numero utique possunt supponi includi ipsi *seniores*. Languide *Keil* : « coram sedentibus i. e. senioribus ». *Hebr.* post verba modo laudata pergit : *dicendo : Posside* (קְנֵה) *coram sedentibus etc*, ergo publice coram testibus possessionem accipe. « *Si vis possidere iure propinquitatis, (eme et) posside ; sin autem displicet tibi, hoc ipsum indica mihi, ut sciam, (quid facere debeam)* ». « Rutham Booz primum ne nominat quidem, videtur solam redemptionem postulare. En tibi exemplum, quam urbane tum in iudiciis agerent viri pii et religiosi. Cavet Booz, ne mulieris causa videatur in publicum prodiisse. Non urget propinquum dicens : Si tu non vis, ego faciam, quia alius non adest. Non accusat neglecti officii propinquum, sed eius memoriam eo tantum ei revocat, quod ipse se illud agnoscere profitetur » (*Cassel*). « *Nullus enim est propinquus excepto te, (qui prior es), et me, qui secundus sum. At ille respondit : Ego (agrum) emam* ». Potest etiam cum LXX verti *: Ego sum* propinquus, *redimam.*
v. 5 « *Cui dixit Booz : quando emeris agrum de manu mulieris, Ruth quoque Moabitidem, quae uxor defuncti fuit, debes accipere, ut suscites nomen propinqui tui in haereditate sua* ». *Bonfr.* : « Ista in idem reci-

dunt, suscitare semen defuncti et suscitare nomen defuncti, siquidem dum defuncto filius et haeres suscitabatur, simul et nomen suscitabatur : cum enim is diceretur filius et haeres defuncti, v. g. Obed Mahalonis, fiebat ut, dum posteritas legali aestimatione ab interitu vindicaretur, etiam nomen patris legalis in ipso perpetuaretur ». Qui sensus h. l. magis clarescit additis vocibus *in haereditate sua.*

Pro *emeris, Hebr. possederis* : non agitur de agro de manu Noemi emendo, sed de manu emptoris redimendo : at hac ratione vere de manu Noemi possidebatur, quia ex ipsa derivabatur Boozi ius redimendi ideoque possidendi. — Pro *mulieris* reliqui *Noemi.* — *Kethib* ומאת רות, cui suffragantur LXX *Chald.*, verte : Quando possederis agrum de manu Noemi, possidebis etiam de manu Ruth Moabitidis, uxoris defuncti, ut suscites etc. Sed nonnihil aliter legebant LXX, sc. ואת אשת: Quando possederis agrum de manu Noemi et de manu Ruth Moabitidis, uxorem quoque defuncti possidebis, ut suscites etc. Cum *keri* ואת רות sentit *Vulg. Syr.* — *Keri* קנית sane praeferendum prae *kethib* קניתי, nisi malis cum *Keil* corrigere קניתו.

v. 6 « *Qui respondit : Cedo iuri* » — corrigendum « iure », uti etiam infra v. 7 (*Verc.*) — « *propinquitatis, neque enim posteritatem familiae meae delere debeo : tu meo utere privilegio, quo me libenter carere profiteor* ». Haec liberius versa. *Hebr. : Non possum redimere mihi, secus perdam haereditatem meam. Redime tu tibi redemptionem meam, quia non possum redimere.* Quomodo *perdenda haereditas ? Chald. Ios.* adstruunt, fuisse viro iam aliam uxorem ; et *Chald.*, eundem veritum esse ne rixae orirentur. Consentit *Sanct.* Aliter *Lap.* : « Est mihi uxor, sunt filii et filiae : illos alere debeo, ut meam familiam et nomen propagent. Quare nolo secundam uxorem Ruth mihi accersere, ne et illam cum filiis alere itaque meis, quos iam genui, alimoniam detrahere vel minuere debeam atque filios, saltem primogenitum, ex Ruth procreandos non mihi sed alteri gignam, ut sc. eius marito, qui propinquus meus fuit, semen et nomen suscitem ». Similiter *Ser., Menoch., Tir.* explicant : Primus quidem filius, quem ex Ruth gignam, Mahalonis haereditatem accipiet, sed reliquis concedenda erit pars meae haereditatis, quae nimium dissecabitur. *Bertheau* : ager mihi pretio redimendus erit, agri vero redditus non mei sed filii Ruthae erunt, detrimentum igitur patiar. Sed generatim patres redditus, qui filiorum alicui veniunt, non suum aestimant detrimentum. Facillimus sensus, quem exprimit *Vulg. : posteritatem delere.* Certe deleret ille homo suam posteritatem quoad filium primogenitum ex Ruth accipiendum, qui non suae posteritati adscriberetur, non suum nomen perpetuaret (*Mar.*). Neque necesse est cum *Sanct., Bonfr., Malv.* fingere casum, nullum adhuc eum virum habuisse ex alia uxore filium, e Rutha fortasse nac-

turum esse unicum eumque Mahaloni tribuendum, atque ita prole sua penitus cariturum : etenim in explicando s. textu gratuitis suppositionibus temperare aequum est. Secundum Vulgatae autem versionem propinquus eam praecise denegati coniugii rationem effert, quae Hebraeis in connubiis leviratus gravissima esse consueverat. Placet tandem huic expositioni, quae per se sufficiat, aliam adnectere a *Cassel* et *Zschokke* prolatam. Dixerat Booz Rutham *Moabitidem*; iamvero coniugia eiusmodi et de se invisa erant, et speciatim nuptiis Moabiticis filiorum Elimelechi viri et filiorum praematura mors attribuebatur; simile quid sibi timebat propinquus, quo sua delenda esset posteritas et haereditas, haud animadvertens, Rutha iam sacris Iudaeorum initiata, omne eiusmodi periculum fuisse remotum legisque Deut. 25 etiam quoad ipsam implendae impositam necessitatem. Dixi, hanc expositionem accipi posse, non debere, cum tandem ipsa quoque gratuito aliquid supponat, tribuisse sc. populares nuptiis Moabiticis Elimelechi et filiorum ruinam.

v. 7 « *Hic autem erat mos antiquitus in Israel (inter propinquos), ut si quando alter alteri suo iuri cedebat, ut esset firma concessio, solvebat homo calceamentum suum et dabat proximo suo. Hoc erat testimonium (cessionis) in Israel* ». Discussimus n. 53, 4 argumentum, quod ex hoc textu depromunt adversarii praetendentes, librum Ruth diutissime post eventus narratos esse conscriptum. Igitur id solum textus edicit, viguisse eum morem antiquitus *in Israel*, ergo non apud solos Bethlehemitas aut Iudaeos, ibidem non iam viguisse auctoris tempore : quibus minime excluditur idem mos auctoris tempore perseverasse inter Bethlehemitas vel alios aliquos.

Hebr. Hoc autem erat in Israel antehac, quoad redemptionem et commutationem, ad confirmandum quodlibet negotium etc. Piel קִיֵּם apud Hebraeos rarius (Ez. 13, 6 ; Ps. 118, 28. 106), censet *Keil* h. l. esse antiquam iurisperitorum expressionem.

Hic mos pactorum confirmandorum probe est distinguendus a more Deut. 25, 9 descripto, quo vidua leviro connubium detrectanti detrahebat calceum spuebatque in faciem. « In poenam solvebat viro fraternam posteritatis excitationem recusanti mulier ipsa calceum, in contractus vero confirmationem vir. Illa in opprobrium et dedecus fiebat, ista non. Illa ex legis praecepto fiebat, ista ex consuetudine. Illa inter solos defuncti alicuius fratres locum habuit, ista inter cognatos etiam, immo et inter omnes, qui in rebus gravioribus contractum inirent aliquem. In illa nulli dabatur, qui detractus erat, calceus : in ista dabatur contrahentium alteri. Ante illam nulla, ut exueret quis calceum, praeibat petitio, sed invito etiam detrahebatur : in hac secus. Detrahebatur vero calceus etiam

invito coram iudicibus, hic sponte coram quibuscunque idoneis testibus. Illa in sola suscitandi fraterni seminis recusatione adhibebatur, haec in maioribus quibusque contractibus. Illi calcei detractioni iungebatur consputatio, huic alteri nulla. Illi addebatur praeterea mulieris acclamatio : Sic fiet viro, qui non vult aedificare domum fratris sui; in hac vero clamor nullus. Qui priore modo excalceabatur, ei hoc veluti perpetuum inurebatur dedecus, ut eius domus vocaretur domus discalceati; nullum vero posteriori excalceato erat dedecus. Prior excalceatio tantum fiebat, cum nollet quis fratri semen suscitare, posterior vero, cum ius aliquod suum cederet cuipiam quispiam » (*Ser.*).

Sensum istius moris auctores explicare conantur. Generalius statuunt *Abul.*, *Lap.*, *Calm.*, exuisse hominem calceum in signum iuris possessionis, quo se exueret quodque abdicaret. Penitius *Sanct.* : « Quae caeremonia inde videtur originem duxisse, quod ille tunc haereditatis, cuiuscumque erat generis, adiisse possessionem et illius acquisivisse dominium censebatur, qui haereditatem calcasset pedibus aut, quod idem est, pedem in haereditate posuisset ». Cf. *Bonfr.* Et appellant aliquos textus : Deut. 1, 36 « Ipsi dabo terram, quam calcavit »; 11, 24 (cf. Ios. 1, 3) « Omnis locus, quem calcaverit pes vester, vester erit »; Ps. 99, 10 (cf. 107, 10) « In Idumaeam extendam calceamentum meum ». Ceterum adverte, eiusmodi mores haud raro difficilius explicari.

v. 8 « *Dixit ergo propinquo suo Booz : Tolle calceamentum tuum. Quod statim solvit de pede suo* ». Nonnihil aliter *Hebr. : Dixit ergo redemptor Boozo : Posside tibi. Et solvit calceamentum suum*; et pro ultimo verbo supplet *Chald.* subiectum *Booz.* Hinc orta quaestio, uter calceum detrahere consueverit, abdicans an acquirens. Quaestio obscura, maxime si v. 7 secundum Hebr. legas; sed eadem minoris momenti, neque tardi erunt interpretes, si quibus in Chaldaei partes abire arriserit, in nova consuetudinis v. 7 explicatione effingenda. v. 9 « *At ille maioribus natu et universo populo : Testes vos, inquit, estis hodie, quod possederim omnia, quae fuerunt Elimelech et Chelion et Mahalon, tradente Noemi* »; v. 10 « *et Ruth Moabitidem, uxorem Mahalon, in coniugium sumpserim, ut suscitem nomen defuncti in haereditate sua, ne vocabulum eius de familia sua ac fratribus et populo deleatur* ». *Hebr. : ne nomen defuncti pereat de fratribus suis et de porta civitatis eius*, ubi cf. quae 3, 11 de populo, « qui habitat intra portas urbis meae », dicuntur. Motivum nuptiarum erga defunctum propinquum pietas, non vero in mulierem concupiscentia. « *Vos, inquam, huius rei testes estis* ».

v. 11 « *Respondit omnis populus, qui erat in porta, et maiores natu : Nos testes sumus* ». Iam sequitur boni quaedam apprecatio, qua cives prospera quaeque exoptant sponsae v. 11 et sponso v. 12. Eiusmodi apprecationes nuptiis adhiberi consuevisse, colligi videtur ex Gen. 24, 60 estque per se sat obvium. *Cassel* non improbabiliter suggerit,

formulam v. 11 sq. non fuisse pro Boozi primum nuptiis concinnatam, sed generatim in nuptiis usurpari consuevisse ab Israelitis vel, ut verius loquar, a Iudaeis vel etiam a solis Bethlehemitis. Eae quippe mulieres efferuntur, quae intimius tribui Iuda connectebantur. Et primae quidem non Sara et Rebecca, quae praeter Hebraeos alias etiam gentes genuere, (*Aubl.*), sed Rachel et Lia, *quae aedificaverunt ipsae duae domum Israel* (*Hebr.*), i. e. ipsae solae. At quomodo ipsae solae, cum etiam Bala et Zelpha quosdam e duodecim filiis Iacob seu Israel genuerint? At Bala et Zelpha ancillae erant Rachelis et Liae, his urgentibus Iacobo concessae sunt, super earum genua pepererunt, ut illis potius quam ipsis filii tribuerentur; dein Rachelis et Liae filii longe nobiliores, illius sc. Joseph et Beniamin, huius Levi et Iuda. Quaerunt etiam, cur h. l. Rachel ante Liam recenseatur, cum tamen tribus Iuda a Lia ortum ducat : quia Rachel magis fuerat a Iacob adamata, sorore prior ab eodem uxor expetita, inquit *Abul.*; addas cum *Bonfr.*, quia Rachel prope Bethlehem sepulta Bethlehemitis speciali titulo cara erat. Hae igitur duae mulieres aedificaverunt totam domum Israel, quae expressio tanto est convenientior, quod בן *filius* a בנה *aedificare* derivetur (*Mar.*). « *Faciat Dominus hanc mulierem, quae ingreditur domum tuam, sicut Rachel et Liam, quae aedificaverunt domum Israel, ut sit exemplum virtutis in Ephratha, et habeat (celebre) nomen in Bethlehem* ». « Comparatione magnarum heroidum sua testes illi ac seniores vota significant, dum tam foecundam ac generosam optant Ruthae vulvam, quam fuit Rachel et Liae, quae aedificarunt domum Israel, quae sic fuit non admodum longo tempore propagata, ut cum arena maris et stellis coeli comparari potuerit » (*Sanct.*).

Hebr. tertia persona masc. : *et faciat robur in Ephratha et vocet nomen in Bethlehem*, quod igitur *Vatabl.* refert ad Booz, qui sane id non poterit praestare nisi mediante Ruth, unde hic sensus tandem cum *Vulg.* coincidit. *Vulg.* retulit ad Ruth, cum Hebraei sat facile masculino pro feminino utantur genere; vel potius dicas, Vulgatam hebraea verba intellexisse indeterminate (*faciat quis*, *vocet quis*; cf. LXX ἔσται ὄνομα), sed principaliter, uti par erat, ad Rutham retulisse. Porro עשה חיל h. l. intelligas non de solis opibus comparandis (*Cler.*; cf. Deut. 8, 17; Ez. 28, 4), sed primarie de filiis (*Ser.*) procreandis robustis et insignibus, per quos utique etiam familiae opes augeantur. Non placet vero expressionem ad solum exemplum virtutis restringere. Iam ex illo חיל per se consequetur alterum, quod effertur, וקרא שם, quod etiam magis determinate intelligi necesse est, quam praecedentem expressionem; licet enim gloriae quoque nominis Ruth futura sit causa, tamen non ipsa vocabit nomen, sed alii. At cuius nomen vocandum? *Vulg.* Ruthae; melius *Malv.* Boozi, seu familiae Booz : illius intelligitur *nomen*, cuius optabatur *robur*, robur autem optabatur Boozi seu familiae eius.

v. 12 « *Fiatque domus tua sicut domus Phares, quem Thamar peperit Iudae, de semine quod tibi dederit Dominus ex hac puella* ». Tres filios habuit Iuda : Selam, Phares, Zare Gen. 38, 5. 29. 30. Filiorum, quos incestuose genuit Thamar, Phares natu maior; ex ipso Num. 26, 20 sq. duae Iudaeorum cognationes Hesron et Hamul ortum duxerant, ex aliis singulae; speciatim Bethlehemitae Ruth 4, 18 eodem patre gloriabantur. Post laudatas v. 11 duas mulieres, quae omnium Israelitarum matres exstiterunt, apte Bethlehemitae ad domesticas laudes descendunt, ea celebrata muliere, quae mater exstiterit vix non totius tribus Iuda, « quae domum Iuda sua foecunditate amplificavit, ex qua omnes illi, qui tunc aderant testes et iudices, propagati erant » (*Sanct.*). Sane in hac foecunditate unicam et sufficientem iuvat assignare appellatae Thamar rationem. Si praeterea dicas, etiam in ipsa effectum habuisse leviratus legem, haud repugno. Si vero cum *Ser.* ultra progressus dicas, sicut Ruth noctu ad Booz dormientem accesserit, ita Thamarem se Iudae ad congressum incestuosum specie meretricia obtulisse, si idipsum Spiritus Sancti impulsu factum esse asseveres, longius a veritate recedis atque comparationi indulges, quam Ruthae esse iniuriosam neque Bethlehemitae ignorare poterant.

v. 13 « *Tulit itaque Booz Ruth et accepit uxorem, ingressusque est ad eam et dedit illi Dominus, ut conciperet et pareret filium* ». Iam eae *mulieres*, quae 1, 19 redeuntem Noemi commiseratae fuerant, eidem gratulantur maxime, non Ruthae. v. 14 « *Dixeruntque mulieres ad Noemi : Benedictus Dominus, qui non est passus, ut deficeret successor familiae tuae et vocaretur nomen eius in Israel* ». *Hebr. ut deficeret te redemptor* (גֹּאֵל) *hodie*. « Laudabant illae Deum non ideo proprie, quod natus esset Obed, sed potius quod Noemi obtinuerit propinquum, a quo eius familia in Israel celebris fieret; imprecabantur ipsi Booz illustre nomen in regione » (*Calm.*). Etiam *Vatabl. vocaretur* putabat scribi « pro celebre fieri » ; sed melius cum *Zschokke* retinetur vocis significatio maxime propria « vocabitur, nominabitur » : hoc nomen non exstinguetur, quod vel maxime perhorrescebant Hebraei. Ceterum hic quaeritur, quisnam ille *redemptor* intelligatur. Ubi *Vulg.* intellexisse videtur non Booz, sed Obed. Quod ita explicat *Bertheau* : Booz fuit quidem redemptor Ruthae, qui ipsam et haereditatem mariti redemerit; sed Obed fuit redemptor Noemi, qui v. 17 filius Noemi praedicetur, sterilitatis opprobrio eam liberet, eam in senectute consoletur. Expositio haec durior. גאל est terminus legalis significationis plane determinatae, qui eum redemptorem designet, qui haereditatem redimat, defuncto propinquo ex uxore superstite semen suscitet; non alium. Sed in usu personarum hebraeus scriptor quandoque sibi non constat, et hinc שמו non ad redemp-

torem Booz refertur, cuius nomen per primogenitum Ruthae non erat « vocandum », sed ad Obed, in quo revicturus et perseveraturus censebatur Elimelech, cf. v. 11; similiter ילדתו ad Obed refertur. v. 15 « *Et habeas, qui consoletur animam tuam et enutriat senectutem : de nuru enim tua natus est, quae te diligit et multo tibi melior est, quam si septem haberes filios* ». Cf. 1 Reg. 1, 8 : « Numquid non ego melior tibi sum, quam decem filii ? » « Multa erant, quae Noemi aegre ferret in eo, quod supererat aetatis. Imprimis aetas gravis, quae plurimas secum affert molestias. Deinde solitudo et orbitas et tot funerum acerba memoria. Deinde paupertas, cui nullum apparebat a contribuli aut cognato sanguine subsidium. Haec omnia levare poterat legalis nepos, haeres futurus bonorum et Elimelech filius, hominis inter Bethlehemitas potentis et divitis, qui aviae de se et de genetrice optime meritae deesse non poterat » (*Sanct.*). « Thesaurum pretiosum possidet Noemi nurum, quae amissos reparat filios orbaeque vetulae spem pandit numerosae prolis obtinendae : non id septem filii praestitissent, quod Moabitidis praestitit dilectio » (*Zschokke*).

v. 16 « *Susceptumque Noemi puerum posuit in sinu suo et (nutricis ac) gerulae fungebatur officio* ». Sine dubio nutricis officia Noemi peramanter praestitit nepoti legali (*Sanct.*) ; at non haec proxime verbis exprimi crediderim. Non generaliori ratione eius in puerum affectus, sed speciale aliquod factum describitur, quod ut penitius perspicias confer cum Luc. 1, 57 sqq. Igitur haec gesta sunt octavo post natum puerum die, qui eidem et circumcidendo et nomine appellando sacer erat : cf. Luc. 1, 58 « et audierunt vicini et cognati... et congratulabantur ei ». In quo sacro negotio, uti apud nos in baptismo, honoris quaedam partes ei cedebant personae, quae infantis parentibus ceteris intimius iungeretur. Quae hic utique ipsa erat Noemi, hinc *gerulae* in circumcisione et appellatione, fereque dixerim patrinae, officio functa. Continuatur iam ritus descriptio v. 17 : « *vicinae autem mulieres congratulantes ei et dicentes : Natus est filius Noemi, vocaverunt nomen eius Obed* ». Paulo aliter *Hebr. : vicinae autem mulieres vocaverunt nomen eius dicentes : Natus est filius Noemi, et vocaverunt etc.* Significat sane Obed *servum*, quem servum Dei alii interpretati sunt, *Ios.* vero servum Noemi, « ut qui ad curam senectutis eius gerendam educaretur », « qui aviae unice viveret, eam sustentaret et consolaretur » (*Keil*). Debuerunt auctores, dum subtilius nominis significationem indagarent, illud etiam meminisse, potuisse ideo nomen Obed a cognatis seligi, quo iam alius aliquis in cognatione eadem appellaretur (Luc. 1, 61) ; id magis prosaicum, sed veri haud absimile. Quis nomen imposuit? Mulieres, inquit textus ; Noemi, ait *Ios.* ; sane recte uterque, si naturam rei et Luc. 1

compares. Suggessere nomen mulieres operosae, officiosae, garrulae; imposuit Noemi, consentientibus parentibus. Dum eo convenirent mulieres, *dicebant* seu, ut feliciter *Vulg.* explicat, *congratulabantur : Natus est filius Noemi.* Non ea princeps congratulandi ratio, quod Booz, qui filiis minime careret, alium receperit filium, aut Ruth, quae facile inter Moabitas invenisset maritum iuventute florentem, primogenitum ediderit, sed quod Noemi vetula et ab omni prolis exspectatione praeclusa nepotem nacta sit. Exprimit illud effatum festi rationem maxime propriam, ideoque inceptae iam de appellando puero sententiae inseritur. Non explicat etymologice nomen, cum eiusmodi interpretamenta (cf. Gen. 4, 1. 25; 5, 29; Ex. 2, 10 etc) voce לאמר *post* nomen interpretandum, non *ante* illud scribi consueverint. Nomen autem *Obed* non ideo memoriae traditur, ut, quam adamussim rationem festi etymologice exprimat, perspiciatur, sed quod puer tam anxie exspectatus nomine tandem appellandus sit, neque genealogiae ex anonymis confici queant. Quaerebant veteres aliqui, cur non puero nomen inditum Mahalon, cuius viri nomen is v. 11. 14 in Israel conservaturus esset: recte *Sanct.* ne filios quidem ab ipso patre naturali genitos ait patris nomine appellari consuevisse, licet ii certissime patris nomen conservarent et perpetuarent.

« *Hic est pater Isai, patris David* ». Sententiae sensus nequaquam necessario is est, Obedum immediate genuisse Isai, sed solummodo ex Obedo tandem sive mediate sive immediate ortum duxisse Isai. Quodsi ergo in genealogia David v. 17-22 reapse aliqua desiderentur nomina, uti cum aliis tenent *Lap.*, *Est.*, *Clair*, facillime eadem inter Obed et Isai omissa esse affirmabis. Etenim v. 17 eadem minime fuerant scribenda, quod eo versu auctor non genealogiam edere intenderit, sed monere solum, ex Obed ortum esse virum egregium stirpisque regiae parentem Isai; sed neque v. 21 sq. ea nomina suppleri oportuit, quod v. 18-22 auctor non tam integram a Phares ad Davidem genealogiam texere velit, quam potius nexum supplere inter Obed v. 17 et Phares v. 12.

v. 18 « *Hae sunt generationes Phares : Phares genuit Esson* », v. 19 « *Esron genuit Aram* » seu *Ram (Hebr.)*, « *Aram genuit Aminadab* », v. 20 « *Aminadab genuit Nahasson, Nahasson genuit Salmon* », — שלמה, v. 21 שלמון, 1 Par. 2, 11 שלמא : terminatio ן in eiusmodi nominibus non raro eliminatur, succedente ה vel א : cf. שלמה et *Salomon* — v. 21 « *Salmon genuit Booz, Booz genuit Obed* », v. 22 « *Obed genuit Isai, Isai genuit David* ». Eandem verbotenus genealogiam tradit Matth. 1, 3-5, inversam Luc. 3, 31-33, eandem rursus 1 Par. 2, 5. 9 sqq. — *Phares*, ex Gen. 38 indubie a patriarcha Iuda progenitus est.

Item *Esron* a Phares, qui cum eo Gen. 46, 8. 12 ingressus est Aegyptum. De *Aram* silet scriptura. Verum post exitum de Aegypto *Aminadab* Ex. 6, 23 filiam « Elisabeth, sororem Nahasson » nuptui tradidit Aaroni pontifici ; ex quo simul textu sat clare efficitur Nahasson fuisse immediate ab Aminadab procreatus, cum secus vix describeretur ut Elisabethae frater. *Nahasson*, coaevus Moysis et Aaron, Num. 1, 7 princeps erat tribus Iuda (cf. 7, 12. 17; 10, 14). Cum secus in scriptura *Salmon* non commemoretur, probabile est ideo eius h. l. nomen unice inseri, quod unicus reapse inter Nahasson et Booz intercesserit. Quodsi supponas, Boozum in priori parte aevi iudicum vixisse, affirmandum erit, et inter Obed et Isai aliquam vel aliquas omitti generationes. Id porro confirmatur eo, quod dicitur Matth. 1, 5 Salmon genuisse Booz *de Rahab*, quae alia esse non potest a Rahab meretrice (cf. Hebr. 11, 31 ; Iac. 2, 25), cuius acta Ios. 2,6 narrantur : in genealogiis quippe nonnisi mulieres aliunde iam notae recenseri consuevere. Et licet sententia « Salmon genuit Booz » de generatione mediata intelligi posset, at nequaquam sententia haec altera « Salmon genuit de Rahab » : avus paternus nequaquam potest dici gignere de matre. Ergo Booz imperante Iosue natus est. Iam si advertas, in nostra Davidis geneologia membra inter Booz et Isai ignorari, genealogiam Saul 1 Reg. 9, 1 nonnisi per sex generationes a Beniaminita quodam anonymo repeti, intelliges tempore iudicum nequaquam tam accuratam rationem genealogiae haberi consuevisse, minimeque eandem scriptis esse mandatam.

Textu igitur libri exposito, liceat ad egregias, quarum sensa et acta describuntur, personas reflectere animum.

Inter ceteras eminet *Ruth*, a qua non immerito libro inditum nomen. Ruth Moabitis iis usa, quae gentilibus praesto erant, gratiis in ecclesiam Israelitarum recepta et mater benedictionum effecta est. Praestitit illud *pietas*, exercita non in parentes tantum, — qui enim minus pia in parentes esse potuit filia tam eximie pia in socrum ! — non in maritum superstitem, quae frequens est et paene vulgaris pietas, sed in maritum defunctum et socrum derelictam. Integra pietate Ruth a parentibus secedens marito fidem obstrinxerat, qua eo vel demortuo non aliam, quam quae ipsum genuisset, noverit matrem. Erat socrus aetate provectior, prole orbata, opibus destituta : pietatis hi stimuli fuere, non obstacula. Praebuit se baculum seni, pauperi servam, orbae filiam. Ipsam comitatur, ipsam solatur, pro ipsa laborat vulgi haud verita obloquia. Populo suo pie relicto, populo Dei accensetur ; sacris gentilibus abdicatis sub alas Dei Israel recipitur. Pii laboris mercedem nanciscitur « mensuram bonam et confertam et coagitatam et supereffluentem » (Luc. 6, 38):

pietate legis magistra, socrui atque defuncto marito potius quam sibi coniugium leviratus exposcit et impetrat, atque ex eo semen regium, immo divinum obtinet.

Booz, avitae simplicitatis agricola, legis observans, verus Israelita; servis paternus, pauperibus benignus, inter cives honore habitus. Pietatis et ipse cultor. Nam ubi pro socru pie desudantem conspexit, blande allocutus laudavit pietatem, in suum agrum invitavit, cum suis refecit atque appellato Dei nomine eidem benedixit. Leviratus coniugium a femina paupere rogatus non renuit indignans, non luxurians arripuit, sed legis servandae unice sollicitus officia pollicitus est et, altero propinquo abnuente, nuptias pie petitas pius ipse concessit.

Tertium narrationis locum obtinet *Noemi*, mulier bona, non tamen aeque conspicuae atque Ruth et Booz virtutis. Nurus comites habere recusavit, vel quod minus sincere oblatum iudicaret officium, vel quod pia nollet egestatis socias habere, quas laetior in patria maneret sors. Ruthae nuptias procurare omni studio enisa est, pietate imprimis acta erga piam nurum filiumque defunctum, sane etiam desiderio sibimetipsi procurandi refugii, quo vetula se reciperet et inter nurus liberos aviae honore frueretur.

Hae tres personae in narratione praecipuae. Sunt aliae non laude, sed neque severiori, quod aliqui affixere interpretes, vituperio dignae. Elimelech et filii utrum in Moabitide insontes omnino vixerint necne, tacente scriptura quis definire attentet? Quis in Orpham invehi, quod eximiam Ruthae pietatem non sit aemulata? Plectitur suppresso nomine alter ille propinquus, qui suae familiae unice sollicitus pietatis officium renuit implere.

A. M. D. G.

INDEX

PROLEGOMENA

I. — ACTA IUDICUM. — IUD. 1-16

INTRODUCTIO IN ACTA IUDICUM. — IUD. 1

ACTORUM IUDICUM EPOCHA PRIMA. — IUD. 2-5

Oraculum in Bokim. — Iud. 2, 1-5

Digressio de Iudicibus. — Iud. 2, 6–3, 4

Othoniel. — Iud. 3, 5–11

Aod. — Iud. 3, 12-30

Samgar. — Iud. 3, 31

Debbora et Barac. — Iud. 4–5

Canticum Debborae. — Iud. 5

ACTORUM IUDICUM EPOCHA ALTERA. — IUD. 6, 1-10, 5

Gedeon. — Iud. 6–8

Abimelech. — Iud. 9

Thola et Jair. — Iud. 10, 1-5

ACTORUM IUDICUM EPOCHA TERTIA. — IUD. 10, 6-16, 31

Iephte. — Iud. 10, 6–12, 7

Abesan, Abialon et Abdon. — Iud. 12, 8-15

Samson. — Iud. 13-16

II — ISRAEL SINE REGE. — IUD. 17-21

III — RUTH

IMP. DE L'INST. SAINT-MÉDARD. — SOISSONS.